
37
22 C
15

MARCI MARINI

BRIXIANI

Canonici Regularis Sanctissimi Salvatoris

ANNOTATIONUM LITERALIUM

IN PSALMOS

PARS ALTERA.

MARCI MARINI
BRIXIANI

Canonici Regularis Congregationis Rhenanæ
Sanctissimi Salvatoris

ANNOTATIONES LITERALES
IN PSALMOS

NOVA VERSIONE AB IPSOMET ILLUSTRATOS

NUNC PRIMUM EDITÆ OPERA, ET STUDIO


D. JOANNIS ALOYSII MINGARELLI

Ejusdem Congregationis Canonici, & Sacr. Theolog. Lectoris,

QUI ETIAM HUIC


SECUNDÆ PARTI

Hebræorum Sex Canticorum, quibus in Divino Officio Romana
Ecclesia utitur, explanationem addidit.



BONONIÆ MDCCL.

Apud Hieronymum Corciolani, & H. H. Colli ex Typographia
S. Thomæ Aquinatis. *Superiorum permissu.*



Reverendissimo Patri

ANTONINO BREMOND

Ordinis Prædicatorum Magistro Generali Amplissimo

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI
S. Salvatoris Bononiæ Abbas
S. P. D.



Multæ me causæ, Reme, atque Amplissime Pater, moverunt, ut partem alteram Commentariorum in Psalmos a Marco Marino jam pridem elucubratorum Tibi dicatam vellem: Humanitas tua, quæ cum summa in omnes sit, in me sane eximia fuit & pene incredibilis: Eruditio, ac doctrina item tua; in qua quantum valeas, & id quod de *Guzmana S. Dominici stirpe* summa cum laude edidisti jam ostendit, & annales Dominicani Ordinis a te compositi, brevi, ut spero, prodituri, manifestius etiam ostendent: Dignitas pariter tua; præes enim Ordini illi, qui cum amplitudine, literatorum virorum copia, atque in Ecclesiam meritis nulli concedat, Ecclesiasticorum munerum, atque honorum præstantia, ac numero reliquos omnes facile superat: Sedulitas quoque tua in promovendo Hebraicæ linguæ studio, quod ut quam maxime in Tuo Ordine reflorescat, novis editionibus, novis propositis præmiis vehementer contendis ac curas. An non igitur Tibi dicanda erat ea, quæ evulganda adhuc supererat, portio Commentariorum illorum, quæ expressam, brevem, concinnamque Psalmorum explicationem continent, quæ proinde Hebraicæ linguæ cultoribus proponi possit veluti laudabile ad imitandum exemplar? Quoniam vero viris præclarissimis visum est deficere ex parte aliqua Commentaria hæc, nisi Canticorum hebrai-

braicorum , quibus in divinis officiis utimur, explanatio adderetur, hanc ipsam addi volui, elaboratam scilicet ab eo, qui familiæ meæ adolescentibus in Theologia, & Sacra lingua erudiendis præest: atque utinam his ausibus ea studia reviviscant, quæ dum Congregatio mea impensius fovit, viros in eo literarum genere eximios, summosque habuit, ac præ ceteris Augustinum Steuchum, & Marcum Marinum. Quamquam alia ad librum hunc ipsum nomini Tuo, atque honori dicandum me impulerunt, antiqua in primis, & jam dudum insita familiæ huic meæ erga Sanctissimum Parentem vestrum Dominicum, Ordinemque ab eo institutum veneratio atque obsequium. Postquam enim Thomas Ubaldinus ex antecessoribus meis vir summi nominis a Gregorio IX piissimo, doctissimoque Pontifice,& quondam Sodali nostro (1) electus est, ut una cum Tancredo Bononiensi Archidiacono ,& Palmerio a Campagnola,egregiis & Sapientissimis Viris,præclarissimi Legislatoris vestri illustria gesta,virtutesque,& miracula ab eo edita perquireret,& de iis solemne judicium ferret (quod ubi præstitum foret (2),Sanctorum fastis Dominicus adscriberetur); is primum quidem, tum reliqui nostri & Dominicum coluerunt,& vos omnes summo in honore habuere. Itaque Thomas ipse ad Fori Cornelii Episcopatum deinceps evectus vestrum Ordinem plurimum fovit (3), fortasse etiam Forum Cornelii accivit (4),& quamquam senio jam premeretur, solemniori ejusdem Dominici translationi interesse voluit, & sacris illius Ossibus pia oscula figere (5), suoque exemplo, atque hortatu nos incitavit ,ut Dominicum, & Dominici imitatores & asseclas quibus possemus amoris, atque obsequii argumentis perpetuo prosequeremur.

Stimulos etiam ad id quod animo proposueram, addidit consilium, quod tum cepi, quum optimorum Scriptorum hactenus delitescentibus operibus evulgandis animum adhibui. Statui nempe volumina, quæ ex iis conficerentur, nobilioribus Canonicorum Regularium cœtibus dicare. Æquissimum porro duxi ab eo exordiri, qui cum maxime floreat, a Canonicis Regularibus se primo institutum, atque altum esse profitetur (6). Habes, Reme, atque Amplissime Pater, rationem consilii mei. Quod nunc superest, te oro, obtestorque, ut munus hoc, qualecumque illud sit, gratum habeas, acceptumque.

(1) *In*

(1) *In Kalendario, seu, si appellare ita vis, Necrologio* S. Mariæ de Rheno, *quod autographum servamus, ad III. Kalendas Januarii hæc notata habemus*. Anno D. M.CC.XVIII. Mense Decembri noster frater Dominus Ugolinus Ostiensis Episcopus & Cardinalis fecit pacem inter Lombardos. *Quis porro nescit, Ugolinum hunc, eum ipsum esse, qui deinceps assumpto Gregorii IX nomine Romanus Pontifex electus est?*

(2) „ *Il Pontefice adunque Gregorio volendo egli annoverare fra lo stuolo de' Santi il gran Patriarca Domenico, a Tancredo Archidiacono di Bologna, a Tommaso di Santa Maria di Reno Priore, ed a Palmerio di S. Maria di Campagnuola Paroco, tutti buomini di Santa vita, e di molta dottrina, e credito, con Apostolica autorità comandò, che diligentemente della Vita, degli Atti, e de' Miracoli del Beato Domenico innanzi la sua morte, e dopo, dovessero investigare, e le cose, che trovassero, raccoglierle insieme, e raccolte per pubblico Notaro si descrivessero in un libro, e canonicamente scritte, e sigillate a lui si mandassero. Il che fu fatto. Le quali contestazioni di presente si trovano nelle Scritture di Aldrovandino Notaro pubblico, figliuolo di Tebaldo Notaro, che da Gio. Antonio Flaminio nella Vita di S. Domenico in tre libri sono descritte*. „ Gherardacci To.I.della Historia di Bologna lib.VI.pag.155.

Ex Codice M.S. Fratris Bernardi Guidonis in Archivis Conventus Carcassonis asservato. Dicta Testium super inquisitione facta de Vita, obitu, & Miraculis B. Dominici. „*Testes recepti super vita, conversatione, & transitu Fratris Dominici plantatoris (fundatoris) Ordinis Prædicatorum, & primi Magistri auctoritate D. Gregorii Papæ IX. per Magistrum Tancredum Archidiaconum Bononiensem, & Thomam Priorem Sanctæ Mariæ de Rheno, & Fratrem Palmerium Ecclesiæ de Campagnola Bononiensis, & Reginæ Diœcesum: & sunt introducti a F. Philippo ejusdem Ordinis Canonico, constituto Procuratore a F. Ventura Priore Conventus Ecclesiæ S. Nicolai Ordinis F. F. Prædicatorum, & Capitulo ipsius Ecclesiæ congregato more solito ad sonum Campanæ in ipso Capitulo, & super miracula quæ Deus operatus est per merita F. Dominici ante obitum ejus, & post. Et juraverunt coram dictis Inquisitoribus sub Anno Domini MCCXXXIII. Ind. sexta*. „ *Echard in opere, quod inscribitur:* Scriptores Ordinis Prædicatorum recensiti, *To. I. pag.* 44.

„ *Rursus apud eumdem Echard ibidem pag.* 56. = *Aldrevander, quondam Tebaldi, auctoritate Imperiali Notarius hos Testes de mandato Dominorum Magistri Tancredi Bononiensis Archidiaconi, Thomæ Prioris de Rheno, & Fratris Palmerii de Campagnola Judicum delegatorum a D. P. Gregorio IX recepit, & in publicam formam redegit, & scripsit. Deo gratias. Amen*.

(3) *Duo Monialium Monasteria Prædicatorum Ordini subdidit Thomas: quod allegatis Pontificis Romani Decretis affirmat Manzonius hæc scriptis mandans:* Quo itidem anno, idest 1252. (*Episcopatum porro jam obtinuerat Thomas anno* 1249) a Petro Cardinali Sabinensi peculiaribus ejusdem Summi Pontificis sanctionibus Moniales Sancti Dominici, (*eæ scilicet quæ deinde S. Dominici dictæ sunt*) item & aliæ S. Mariæ de Charitate Ordini Prædicatorum unitæ sunt, atque disciplinæ Religiosorum ejusdem instituti commendatæ, ita ut indulta, ac privilegia sacro illi Ordini concessa participarent. *Id vero annitente Episcopo peractum esse verisimile est, quando quidem novimus hujus generis immutationes Episcoporum opera & studio peragi consuevisse*.

(4) *Quo anno Prædicatorum Ordo Forum Cornelii accitus fuerit, nescitur: Scitur tamen medio fere seculo XIII in ea Urbe sedem fixisse. Conjicere itaque recte possumus intra illud annorum spatium, quod fluxit ab anno 1249, quo Thomas Episcopalem Cathedram ascendit, ad annum 1269, quo mortuus is est, Forum Cornelii accitos fuisse Dominicanos, præsertim quum noverimus (quod sæpe dixi), Thomam Dominico, atque Ordini ab eo instituto fuisse addictissimum*.

(5)

(5) *In questo istesso anno (1267) li Frati Predicatori celebrarono in Bologna il loro Capitolo Generale, dove fu creato Generale Fra Giovanni da Vercelli, il quale fece trasferire il Corpo del gran Patriarcha S. Domenico da quel sepolcro di pietra non celato ad un altro sepolcro celato. A questa traslazione furono presenti infiniti Padri di quel Capitolo, Filippo Arcivescovo di Ravenna, Ottaviano Ubaldini Vescovo di Bologna, Tommaso Ubaldini Vescovo d' Imola, e Bartolomeo Vescovo di Vicenza del medesimo Ordine, &c.* Gherardacci lib. VII. pag. 212.

Atque id ille ipse Bartholomæus Vicentinus Episcopus, cujus Gherardaccius meminit, testatur his verbis: Cum itaque in Generali Capitulo Ordinis Fratrum Prædicatorum apud Bononiam celebrato Sanctissimum Corpus piissimi Patris Dominici Ordinis ipsius institutoris, præsentibus & cernentibus Venerabili Patre F. Joanne Vercellensi Magistro, & Fratribus dicti Ordinis in dicto Capitulo anno a Nativitate Domini 1267, indictione 10, die Pentecostes, 5 Junii congregatis. Venerabilis Pater Dominus Philippus Dei gratia Archiepiscopus Ravennas, præsentibus, & astantibus Venerabilibus Patribus Dominis Dei gratia Octaviano Bononiensi, Thomasio Imolensi fratribus, Arnulpho Humanensi, & Ægidio Torcellanensi Episcopis, atque nobis. *Apud Michaelem Piò in opere, quod inscribitur:* Delle vite degli Uomini illustri di S. Domenico, *Lib. 1. pag.* 118.

(6) *Indubitatum id est, & Scriptores omnes id aperte affirmant. Paucissima delibabo. Hæc litteris mandavit Cardinalis de Vitriaco (histo. Occiden. cap. 27.)* Est & alia regularium Canonicorum Deo grata, & hominibus gratiosa Congregatio extra Civitatem Bononiæ, non longe ab ea, in castris æterni regis militantium, & eidem sub unius majoris obedientia, in fervore spiritus & mentis excessu tam devote quam humiliter servientium........ Quæ autem diligenter audierint, Summi Pontificis auctoritate, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ institutione Christi fidelibus in diebus festis in prædicationis & doctrinæ gratia decorantes, & Prædicatorum Ordinem Canonicorum ordini conjungentes. *Quæ quidem verba ad Dominicanos, omnes fere, & merito, referunt.*

Ex Codice Fratris Bernardi Guidonis nuper allegati. Et sunt introducti a Fratre Philippo ejusdem Ordinis Canonico Constituto Procuratore a Fratre Ventura Priore Conventus Ecclesiæ S. Nicolai. *Consule etiam obsecro quæ tradit Gravesom Histo. Eccles. Tom. IV. par. II. coll. VI. pag. 276. Edit. Venetæ, & Tom. V. ejusd. Histo. Eccles. coll. VI. pag. 208. & 209, edit. pariter Venetæ.*

M. MA-

M. MARINI BRIXIANI
CANONICI REGULARIS
CONGREGATIONIS RHENANÆ SS. SALVATORIS
ANNOTATIONES LITERALES IN PSALMOS
Nova verſione ab ipſo illuſtratos.



LIBER PSALMORUM.
GRADUS DECIMUS.
Pſalmus XCI. Lat. XC.

		Laus Cantici David.
ישב בסתר עליון בצל שדי יתלונן:	1. *Qui habitat in abdito altiſſimi, in umbra omnipotentis commorabitur.*	1. Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei *cæli* commorabitur.
אמר ליהוה מחסי ומצודתי אלהי אבטח בו:	2. *Dicam DOMINO confugio meo, & arci meæ, Deo meo, confidam in eo.*	2. Dicet DOMINO, ſuſceptor meus *es tu*, & refugium meum, Deus meus, ſperabo in eum.
כי הוא יצילך מפח יקוש מדבר הוות:	3. *Quòd ipſe liberabit te de laqueo aucupis, a peſte calamitatum.*	3. Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aſpero.
באברתו יסך לך ותחת כנפיו תחסה צנה וסחרה אמתו:	4. *In ala ſua tegere faciet tibi, & ſub pennis ejus confugies, cuſpis & clypeus veritas ejus.*	4. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis, ſcuto circumdabit te veritas ejus.
לא תירא מפחד לילה מחץ יעוף יומם:	5. *Non timebis a timore nocte, a ſagitta volabit interdiu.*	5. Non timebis a timore nocturno, a ſagitta volante in die;
מדבר באפל יהלך מקטב ישוד צהרים:	6. *A peſte in obſcuritate perambulabit, ab exciſione devaſtabit meridie.*	6. A negotio perambulante in tenebris; ab incurſu, & dæmonio meridiano.

7. Ca-

יפל מצדך אלף ורבבה מימינך אליך לא יגש :

7. Cadet a latere tuo mille, & decem millia a dextera tua, ad te non appropinquabit.

7. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te *autem* non appropinquabit.

רק בעיניך תביט ושלמת רשעים תראה :

8. Tantum in oculis tuis aspicies, & retributionem injustorum videbis.

8. Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.

כי אתה יהוה מחסי עליון שמת מעונך:

9. Quoniam tu DOMINUM confugium meum, altissimum posuisti habitaculum tuum.

9. Quoniam tu *es* DOMINE spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

לא תאנה אליך רעה ונגע לא יקרב באהלך :

10. Non caussabitur ad te malum, & plaga non appropinquabit in tabernaculo tuo.

10. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

כי מלאכיו יצוה לך לשמרך בכל דרכיך :

11. Quoniam angelis suis mandabit tibi, ad custodiendum te in omnibus viis tuis.

11. Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

על כפים ישאונך פן תגוף באבן רגלך :

12. Super volis portabunt te, ne forte offendet in lapidem pes tuus.

12. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

על שחל ופתן תדרך תרמס כפיר ותנין :

13. Super leonem, & aspidem calcabis, conculcabis leunculum, & draconem.

13. Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.

כי בי חשק ואפלטהו אשגבהו כי ידע שמי :

14. Quoniam in me experivit, & liberavi eum, evebam eum, quoniam cognovit nomen meum.

14. Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

יקראני ואענהו עמו אנכי בצרה אחלצהו ואכבדהו :

15. Vocabit me, & respondebo ei, cum ipso ego in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

15. Clamavit ad me, & exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

ארך ימים אשביעהו ואראהו בישועתי :

16. Longitudine dierum saturabo eum, & videre faciam eum in salutem meam.

16 Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

ANNOTATIONES.

Superioris psalmi quæstionem de brevitate, & miseriis humanæ vitæ resolvens ornata responsione docet, fideles vereque pios, qui sunt in Dei tutela, ab omnibus periculis esse securos; & longam vitam, Christique salutem eis promittit. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Laus, &c. In Hebræo nullus habetur titulus.

1. *Qui*

1. *Qui habitat*. Idem Hebræus: Habitans. *In adjutorio*. Translatio sensus. Hebræus: In abdito, latibulo, tanquam in adjutorio, quod fugæ securitatem pariat. Habitare in secreto alicujus, est idiotismus elegans, pro Fidenter & secure apud aliquem degere; quod latentes tuti sint. Hebræa verba aliam etiam patiuntur interpretationem, ut mansionis divinæ sint epitheta, videlicet: Habitat, manet in abdito, in loco recondito (in luce inaccessibili ex Divo Paulo) Altissimus. Sed prior interpretatio magis arridet. *In protectione*. Iterum hic translatio sensus. Hebræus idiotismo per quam eleganti habet: In umbra. *Dei cæli*. In Hebræo non habetur nomen Cæli, sed tantum Sadai epithetum Dei: idest, Omnipotentis, vel Omnipotens, juxta aliam interpretationem. *Commorabitur*. Idem Hebræus: Hospitabitur, pernoctabit, quod verbum de nocte unica, & de longiori tempore etiam dicitur. Consule Thesaurum. Hospitari in umbra alicujus, alter idiotismus, pro, Se recipere in protectionem & refrigerium ejus. Juxta aliam interpretationem sic transferes: In umbra Omnipotens commorabitur, quo nullus pervenire potest. Qui manet in Dei tutela, omnium injuriarum expers est. Non succumbet is, quem Deus adjuvat. Est enim Altissimus, ad quem non datur accessus facile; est omnipotens, ab injuriis liberare valens.

2. *Dicet*. Puto, Nostros punctis immutatis legisse אֹמַר, Dicit, habitans in Dei protectione scilicet; quod ipsi per futurum protulerunt. Hebræo nunc prophetæ verba sunt, אֹמַר, Dicam, asseram. Genebrardus autumat, Nostros enallagen personæ mutasse, ut connexio esset planior, & magis perpetua, quod mihi non probatur. *Domino*. Idem Hebræus. Sed Nostris est simplex locutio; idest, ad Dominum. Apud Hebræos autem dupliciter exponitur verbum hoc, cum regimine lamed: Dicere alicui, ad aliquem scilicet; vel de aliquo. Consule Thesaurum. Asseram, inquit, de Domino, quæ mox audies. *Susceptor meus, &c.* In Hebræo non habentur verba illa, *Es tu*, quæ sunt a Nostris addita, quod sæpius in hac lingua verbum substantivum desideretur, & hoc fuit in caussa, ut sic interpretarentur, quam etiam expositionem omnes fere doctores Hebræorum sequuntur. Ego post omnes, ut filum sententiæ planius & magis perpetuum sit, & propter pronomen relativum illud, *Sperabo in eum*, arbitror, versiculum sic transferendum esse, prout nos fecimus, ut linguæ puritas magis ac magis conservetur; alioquin dicendum erat, *In te*: quamvis quod ad sensum attinet, idem etiam in Nostris fere fit. Quod igitur noster ait, *Susceptor meus*, translatio sensus est; idest, Qui me protegendum suscipit. Hebræus: Confugio meo, ad quem tamquam in locum tutum me recipio, protectionem quærens. *Refugium meum*. Iterum translatio sensus. Hebræus: Arci meæ, in quam confugio, veluti ad refugium salutis meæ. *Deus meus*. Idem Hebræus, sed dativo, ut nobis placet: Deo meo. *Sperabo*. Hebræus: Confidam, quod sine spe non fit. Totus versiculus juxta nostram sententiam talis est. Dicam de Domino, (qui) confugium meum (est), & arx mea, Deus meus, confidam in eum (in quem confido scilicet), hæc quæ sequuntur.

3. *Quoniam*. Particula hebræa כִּי varie sumitur. Nostris est caussativa, Hebræis assertiva; hæc enim sunt, quæ dixerat, se velle de Deo asserere, quod videlicet liberaturus est habitantem in sui tutela, &c. *Liberavit me*. Hebræus futuro, & pronomine secundæ personæ, prout & Græcus, habet: Liberabit te. Hic enim Psalmographus pios incipit alloqui, & oratio continuatur usque ad versum antepenultimum, quo Deus loquens inducitur. *Venantium*. Hebræus singulariter, quod nihil refert: Venantis, aucupis. Potest etiam esse epithetum laquei: Illaqueante. *Et*. Non habetur in Hebræo. *A verbo*

aspero. Nostri procul dubio punctis nonnullis immutatis legerunt מִדְּבַר, A verbo infortuniorum, a re confractionum, a calumnia, maledicentia, & hujusmodi; quod nunc Hebræis est מִדֶּבֶר, a peste calamitatum; noxia & exitiali existente, ut quæ vulgo *Gianduffa* dicitur, & hujusmodi. Non magni momenti varietas.

4. *Scapulis suis*. Hebræus addens præpositionem, de more linguæ singulariter profert: In ala sua. Hanc Nostri Scapulas dixere, ut in utroque hemistichio metaphora esset diversa. Hebræa autem nomina, licet voce diversa, idem prope significant. *Obumbrabit tibi*. Non aliter fere Hebræus: Tegere faciet. Consule Thesaurum in hoc verbo. *Sperabis*. Hebræus: Confugies, refugium quæres; quod non fit sine spe. Sunt autem bini idiotismi pulcherrimi, Tegere facere (obumbrare) alicui in ala, & Confugere sub alas, ut in Thesauro, pro Protegere, & Protectionem quærere. *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Nostri videntur legisse verbaliter, paucis nonnullis immutatis, יְסֹחֲרֶךָּ, circumdabit te sicut scuto, ut scutum; quod nunc est nomen סֹחֵרָה, Parma, clypeus rotundus, qui circumdat hominem. Vox insuper צִנָּה, quam Scutum interpretati sunt, quid significet proprie, ambigitur; nam in aliquibus locis scutum, in aliis cuspis exponi potest. Fortassis clypeum cuspidem habentem in medio significat, & סֹחֵרָה illum, qui vulgo *Targa*, vel certe *Pavese* dicitur. Consule Thesaurum. Hebræa verba sic habent. Clypeus (cuspide præmunitus, vel cuspis, vulgo *spontone*), & parma (erit) veritas ejus. Fide, firmitate protectionis divinæ, veluti clypeo, & parma tectus esses, defenderis, & tutus permanebis. Idem sensus in Nostris.

5. *Nocturno*. Idem Hebræus nomine substantivo: Nocte; a terroribus nocturnis aut a dæmonibus, aut ab hominibus illatis. *Volante*. Sic Hebræus futuro verbo: (Quæ) volabit. Epithetum sagittæ propter pinnas volucris, casus repentinos, insperatos, advolantes velut sagittas indicantis. *In die*. Hebræus: De die, interdiu.

6. *A negotio*. Iterum hic punctis immutatis Nostri legerunt מִדָּבָר, A verbo, a re; quod vulgatus Negotium transtulit. Hebræus nunc legit מִדֶּבֶר, A peste, pestilentia. *Perambulante in tenebris*. Idem Hebræus, sed futuro verbo: (Quæ) in caligine perambulabit. Idiotismus pulcherrimus, quo lethali morbo infectus aer describitur. *Ab incursu*. Non longe aliter Hebræus: Ab excisione, quæ excidendo incurrit. *Et dæmonio*. Nostri procul dubio litteris transpositis legerunt וְשֵׁיד, & dæmonio; quod nunc Hebræis verbum est futuri temporis יָשׁוּד, devastabit. Dæmones etiam שֵׁדִים a devastatione dicuntur. *Meridiano*. Idem Hebræus substantivo: Meridiei (Nostris), vel Meridie (Hebræis). Excisionem devastare meridie, est idiotismus elegans, quo æstus maximus animantia pene interficiens describitur. Casus multiplices, & varia calamitatum genera commemorat, a quibus in Deo spes suas collocantes tuti sunt.

7. *Cadent*. Nostri concordant verbum cum Mille, numeri pluralis, Hebræis autem אֶלֶף est numerus singularis, & ideo legunt, Cadet mille, myrias. Numerus finitus pro infinito. Multi occumbent secus te, te inspectante, pestilentia, & prædictis aliis calamitatibus. *A dexteris tuis*. Idem Hebræus singulariter: A dextera tua. Ab utroque latere occumbent plurimi. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Non appropinquabit*. Malum, ulla calamitas, vel infortunium.

8. *Verumtamen*. Hebræis est particula diminutiva: Tantum, hoc solum tibi accidet, quod inspectator eorum stragis eris. *Oculis*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ.

Con-

Confiderabis. Sic Hebræus: Aſpicies (in) oculis, & mente conſiderabis. *Peccatorum*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſtorum. Quæ luant injuſti pro pœnis debitis, videbis.

9. *Es*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco, quod additum a Noſtris fuit in cauſſa, ut oratio alioquin clara & perſpicua in Hebræo, redderetur mutila, quaſi mimeſis hic adeſſet, linguæ conſueta, dicendo ſcilicet: Alioquin (ut Genebrardus aſſerit) nimis abrupte a pio ſe converteret ad Deum, & mox a Deo ad pium. Et retributionem peccatorum (inquiunt Noſtri, & Hebræi fere omnes) videbis (dicendo, vel & dices) Quoniam tu es Domine ſpes mea. Ego poſt omnes arbitror, rationem hic reddi, cur pius in tantis aliorum infortuniis tutus ſit, & verſiculum ſic interpretor. Quoniam tu Dominum ſpem meam Altiſſimum poſuiſti habitaculum tuum. Ideſt, tutus & ſecurus ab omnibus infortuniis permanes, quod in Deo maneas, in eo ſpes tuas collocaveris, & ei firmiter adhæreas. Ponere Deum habitaculum tuum, eſt idiotiſmus pulcherrimus, pro Totum te ei in tutelam tradere. *Tu*. Noſtris eſt ad Deum apoſtrophe, mihi vero continua ad pium locutio: Tu pie. *Domine*. Ob apoſtrophem ſic redditum. Hebræus: Dominum. *Spes mea*. Sic interpretantur Noſtri fere ſemper verbum hoc, ut ſæpius vidimus: Confugium; qui Deus eſt receptaculum meum, ad quem ſervari ſperans confugio. *Altiſſimum*. Dei epithetum, ut etiam verſiculo 1. *Refugium tuum*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus: Habitaculum tuum; ad quem in periculis confugis. Tota igitur ſententia eſt hujuſmodi. Labi non potes o pie; in tuto ſunt ſpes tuæ, quoniam tu poſuiſti Dominum Altiſſimum (qui receptaculum etiam meum eſt) habitaculum tuum; in excelſis cæli regionibus mente ſemper habitans, nempe apud Deum, quo nulli ſcelerato, ac nocenti datur aditus.

10. *Accedet*. Accidet fortuito. Non longe aliter Hebræus: Impelletur, cauſſabitur, ut ita dicam, nullum te opprimet malum. Conſule Theſaurum. *Flagellum*. Idem Hebræus: Plaga. Plagam non appropinquare in tabernaculo alicujus, eſt idiotiſmus non inelegans, pro, Nulla calamitas familiam tuam infeſtabit. *Tabernaculo*. Hebræus addit præpoſitionem *In*, de more linguæ.

11. *Mandavit*. Hebræus futuro: Mandabit, præcipiet. *De te*. Idem Hebræus dativo, ſuo loquendi idiotiſmo: Tibi, de, propter, ſuper te. *Ut cuſtodiant*. Sic Hebræus gerundio: Ad cuſtodiendum. *Viis tuis*. Quocumque perges proprie, vel etiam in omnibus actionibus, & ſtudiis tuis. Dictio hebræa varie ſumitur. Conſule Theſaurum.

12. *In manibus*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super volis portabunt, elevabunt, deducent, ne detrimentum aliquod patiaris. Humana loquitur ſimilitudine, licet etiam humana forma ſæpius viſi ſint Angeli. Hiſtorias Sacras percurrito. *Offendas*, &c. Verbum hebræum eſt futurum, & amphibolum, ſecundæ perſonæ videlicet cum Noſtris, & etiam tertiæ: Offendet pes tuus. Idem ſenſus. *Ad*. Hebræus: In. Nulla varietas.

13. *Aſpidem*, &c. Quid ſignificent voces Hebreæ, non eſt undequaque perſpicuum. Conſule Theſaurum. שַׁחַל Leonem grandævum, כְּפִיר juniorem omnes fere exponunt. פֶּתֶן Aſpidem ſignificat. Senſus eſt, quod nulla nocentia, venenata, rapaciaque animalia, aut dæmones, hominesve ſcelerati ullam adverſus eos, qui omnem cogitationem, ſpemque in Deum erexerunt, habere poſſunt. *Ambulabis*. Incedes, calcabis. Nulla varietas. *Et*. Non habetur in Hebræo.

14. *Speravit*. Vox hebræa neſcio quid intenſius, validiuſque ſignificat. Expetivit, deperiit, quaſi avide complexus eſt, non enim ſpem denotat ſimplicem, ſed amorem validum, cultumque intenſiſſimum. Conſule Theſaurum. Verba ſunt

Al-

Altiſſimi, per ſe promittentis, quæ Pſalmographus hactenus prædicaverat. *Liberabo*. Verbum hebræum quidem eſt futurum, ſed addito Vav converſivo, ut docetur in Grammatica, fit præteritum, ut promiſſio ſit efficacior, quaſi jam effecta: Et liberabo, liberavi eum. *Protegam*. Sic Noſtri transferunt verbum hoc. Hebræus eodem ſenſu: Eveham. In loco alto & tuto collocabo. *Nomen meum*. Me, vel Meſsiam, qui Dei nomen dicitur.

15. *Clamavit ad me*. Hebræus futuro: Vocabit me, me invocabit. *Exaudiam*. Ut Noſtri transferunt fere ſemper. Hebræus: Reſpondebo; quod exauditionis ſignum eſt. *Cum ipſo ſum in tribulatione*. In mediis vexationibus ipſi adero, ut opem feram. Vel ſunt verba fere ironica, quaſi dicat; Licet in rebus proſperis me non agnoſcat, ſed in adverſis tantum, juxta illud, Vexatio dat intellectum. Sed prior expoſitio fidelior. Pro verbo ſubſtantivo ſæpius utuntur Hebræi pronominibus: Ego; ſum videlicet.

16. *Replebo*. Idem Hebræus: Saturabo; ſatiabo. *Oſtendam illi*. Sic Hebræus: Videre faciam eum. *Salutare meum*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus ſua loquendi ſyntaxi: In ſalutem meam, Meſsiam, Mundi SALVATOREM. Hæc duo erant, de quibus in ſuperiori Pſalmo fideles conquerebantur, nempe de brevitate vitæ, & tardatione Meſsiæ, quæ nunc eis abunde promittuntur, ſive ſpatium hujus vitæ, ſive æternitatem ſpectemus.

PSALMUS XCII. Latinis XCI.

מזמור שיר ליום השבת׃	1. *Pſalmus canticum diei ſabbati.*	1. Pſalmus cantici, in die ſabbathi.
טוב להודות ליהוה ולזמר לשמך עליון׃	2. *Bonum eſt ad confitendum DOMINO, ad pſallendum nomini tuo, Altiſſime.*	2. Bonum eſt confiteri DOMINO, & pſallere nomini tuo, Altiſſime.
להגיד בבקר חסדך ואמונתך בלילות׃	3. *Ad annunciandum in mane pietatem tuam, et veritatem tuam in noctibus.*	3. Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.
עלי עשור ועלי נבל עלי הגיון בכנור׃	4. *Super decachordo, & ſuper nablo, ſuper locutione in cithara.*	4. In decachordo pſalterio, cum cantico in cithara.
כי שמחתני יהוה בפעלך במעשי ידיך ארנן׃	5. *Quia lætificaſti me DOMINE in opere tuo, in operibus manuum tuarum ovabo.*	5. Quia delectaſti me DOMINE in factura tua, & in operibus manuum tuarum exſultabo.
מה גדלו מעשיך יהוה מאד עמקו מחשבותיך׃	6. *Quàm magnificata ſunt opera tua DOMINE, valde profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.*	6. Quam magnificata ſunt opera tua DOMINE, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.
איש בער לא ידע וכסיל לא יבין את זאת׃	7. *Vir pecuinus non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hoc.*	7. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.

8. Cum

בפרח רשעים כמו עשב ויציצו כל פעלי און להשמדם עדי עד:	8. *In pullulando injusti sicut herba, & floruerunt omnes operatores iniquitatis ad devastandum eos (ut exscindantur) usque in seculum.*	8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem. Ut intereant in seculum seculi.
ואתה מרום לעולם יהוה:	9. *Tu autem Altissime seculo DOMINE.*	9. Tu autem Altissimus in æternum, DOMINE.
כי הנה איביך יהוה כי הנה איביך יאבדו יתפרדו כל פעלי און:	10. *Quoniam ecce inimici tui DOMINE, quoniam ecce inimici tui peribunt, separabuntur omnes operatores iniquitatis.*	10. Quoniam ecce inimici tui DOMINE, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.
ותרם כראים קרני בלותי בשמן רענן:	11. *Et exaltasti sicut unicornis cornu meum: perfudi in oleo viridi.*	11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi.
ותבט עיני בשורי בקמים עלי מרעים תשמענה אזני:	12. *Et aspexit oculus meus in inspectores meos, in surgentibus super me malignis audient aures meæ.*	12. Et despexit oculus meus inimicos meos, & in surgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
צדיק כתמר יפרח כארז בלבנון ישגה:	13. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus in Libano crescet.*	13. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.
שתולים בבית יהוה בחצרות אלהינו יפריחו:	14. *Plantati in domo DOMINI, in atriis Dei nostri florebunt.*	14. Plantati in domo DOMINI, in atriis *domus* Dei nostri florebunt.
עוד ינובון בשיבה דשנים ורעננים יהיו:	15. *Adhuc fructificabunt in senecta, pingues & floridi erunt.*	15. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt.
להגיד כי ישר יהוה צורי ולא עולתה בו:	16. *Ad annunciandum, quod rectus est DOMINUS petra mea, & non est iniquitas in eo.*	16. Ut annuncient, quoniam rectus DOMINUS Deus noster, & non est iniquitas in eo.

ANNOTATIONES.

EX præcedenti promissione Divina tam solemni, in spem optimam erectus, Deum, quod judiciis suis justissimis, licet nobis incognitis, malos perdat, bonos servet, carmine & verborum, & sententiarum elegantiis non parum ornato collaudat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Cantici*. Vel Canticum, ut superius etiam vidimus. *In die*. Sic dixerunt Nostri, quod caneretur a Levitis in Sabbato. Hebręus dativo: Diei Sabbati. De Sabbato non hujus seculi, sed alterius proprie, quo tempore erit perfecta quies, tractat hic psalmus.

2. *Confiteri*. Hebræus gerundio: Ad con-

confitendum, celebrandum, canendum odas. *Psallere*. Hebræus iterum gerundio: Ad psallendum, pulsandum instrumenta musicalia.

3. *Mane*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ. *Misericordiam*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Pietatem; beneficia, quæ nobis tempestive confers. Prædicandæ sunt nobis gratiarum divinarum copiæ, extollenda beneficia, quæ nobis ab incunabulis, ab ipso conceptu, nec non singulis diebus abunde Deus ipse largitur. *Veritatem*. Firmitatem, stabilitatem promissorum. Deus est beneficus, & stat promissis, data conservans insuper. *Per noctem*. Hebræus suo loquendi modo pluraliter: In noctibus, per singulas noctes.

4. *In decachordo*. Hebræus suo loquendi modo: Super decachordo. *Psalterio*. Hebræus iterans præpositionem Super, addit etiam conjunctionem Et; nam sunt duo instrumenta musica: Et Super nablo. *Cum cantico*. Cum suavi cantu. Translatio sensus. Hebræus: Super locutione in cithara. Idiotismus. Idest, citharæ dulci modulatione, quæ docta manu pulsata locutionem humanam imitari videtur. Vereor, ne Genebrardus hic decipiatur.

5. *Delectasti*. Hebræus idem fere: Lætificasti. Ex lætitia delectatio fit. *In factura tua*. Sic Hebræus: In opere tuo, actione tua; hisce rebus, quæ mecum agis, necnon cum aliis omnibus, continue. Genebrardus ad operationis trahit. Num recte, viderint alii. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exsultabo*. Idem prope Hebræus: Ovabo, voce & gestu exsultabo, & hæc omnia opera, quæ fiunt a te in rerum mundanarum gubernatione, extollam ut potero.

6. Sunt quidem magna & admiranda opera tua, & actionum tuarum cogitationes, consilia sunt valde profunda, nec facile possunt a nobis percipi, cum sæpius videamus bonos vexari, malos autem felicem & tranquillam vitam transigere. *Nimis*. Sic transferunt Nostri fere semper dictionem hanc hebraicam מְאֹד, multum, valde. *Cogitationes profundari*, profundas esse, Idiotismus non inelegans est, pro Difficiles & arduas esse pervestigatu perceptuque; vel certe, quod alium finem longiorem habeant, quam præseferant actiones ex illis provenientes.

7. *Insipiens*. Hebræus nescio quid gravius: Pecuinus, brutus fere, carnalis, animalis, ea tantum quæ videt, dijudicans, neque ea quæ Dei sunt, mente percipiens, vel sentiens. *Stultus*. Inconstans, hujus seculi sapiens. *Hæc*. Hebræus singulariter: Hanc rem; hoc, quod mox dicturus sum.

8. *Cum exorti fuerint*. Suspicor, Nostros facili vocis transitu legisse בִּזְרֹם, in oriendo, cum exorti fuerint; quod nunc Hebræis est בִּפְרֹחַ, in pullulando, cum pullulaverint, germinaverint, floruerint. *Peccatores*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Injusti. *Sicut fœnum*. A fine. Hebræus: Sicut herba, quæ cito crescit, & cito arescit. *Et apparuerint*. Hebræus alio verbo superiori synonymo, & futuro in prætertitum verso: Et floruerunt. *Qui operantur iniquitatem*. Idem Hebræus participio: Operatores iniquitatis. *Ut intereant*. Hæc particula Genebrardo consecutionem importat, non caussam; ordinem, & vicissitudinem, non finem. Hebræus autem gerundium habet passivum, caussam & finem importans, juxta illud poetæ, Tolluntur in altum, ut lapsu graviore cadant. Ad devastandum, exscindendum eos, ut exscindantur. Pullulant injusti in hoc mundo, germinant, & florent, exaltantur, elevantur, (en opus Dei magnum), ut mox acerbiores pœnas sustineant in ignes æternos præcipitati. En cogitationum divinarum profunditas. *In seculum seculi*. Idem Hebræus: Æternitatibus æternitatis, usque in æternum, semper.

9. *Altissimus*. Quasi substantivum sit

ſit Noſtris; Ideſt, in loco alto, incorrupto, alieno ab omni interitu es, manes: Quod Hebræis eſt adjectivum, Dei epithetum ſcilicet: O Altiſſime. *In æternum*. Idem Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo; & ob id impios punire valens perpetuo, ne momentaneam eorum pœnam, ſicut & felicitas fuit, exiſtimes. Genebrardus aliud affert, quod a puritate linguæ longius videtur.

10. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Diſpergentur*. Idem Hebræus fere: Separabuntur; a cœtu juſtorum ſcilicet. Hæc tandem felicitatis injuſtorum meta. Licet germinent & florcant in hoc ſeculo, peribunt tamen aliquando, & a fidelium beatitudine perpetua ſejungentur. *Qui operantur iniquitatem*. Hebræus ut ſupra verſ. 8.

11. *Exaltabitur*. Noſtri punctis vocalibus immutatis legerunt in Cal וַתָּרֶם tertia futuri fœminina, quæ nunc Hebræis eſt ex Hiphil ſecunda futuri maſculina in primam verſa וַתָּרֶם, Et exaltaſti, evexiſti, ſicut unicornis, cujus cornu pulcherrimum, duriſſimum, & elevatum eſt. *Cornu*. Robur, potentiam, dignitatem, & hujuſmodi. Metaphorice. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Senectus mea*. Noſtri vocem hanc deduxerunt a radice בלה, quaſi infinitivus ſit ex pihel, vel nomen ex infinitivo factum: Conſumere meum, vetuſtum reddere me, ſenectus mea; quod nunc Hebræis eſt prima præteriti Cal radicis בלל, Perfudi, conſperſi, unxi, me ipſum videlicet. Quamquam mihi eſt potius nomen; ideſt, perfuſio, conſperſio, unctio mea. Conſule Theſaurum. *In miſericordia uberi*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus: In oleo viridi. Græcus etiam habet ἐν ἐλαίῳ πίονι, Oleo pingui. Noſtris oleum eſt miſericordiæ ſymbolum. Senectus mea in oleo viridi; ideſt, copioſa & larga Dei miſericordia ſenectus mea exaltabitur, vel in illa certe permanet, & conquieſcit, ea fruitur. Idiotiſmus Hebræorum notus eſt, nam Ungere, vel unctionem eſſe in oleo viridi, qua perfuſum corpus fovetur, & bona ejus habitudo confirmatur, ut ad optimam ſenectutem perveniri poſſit, metaphorice de bonorum, & deliciarum affluentia dicitur. Neutrum ſenſum ego reſpuerem, nec multum inter ſe diſtare, diligentius intuenti patebit.

12. *Deſpexit*. Aſpexit, inſpexit. *Inimicos meos*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. In inſpectores meos, in eos qui me obſervant, quales ſunt inimici. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In me*. Idem Hebræus: Super, contra me. *Malignantibus*. Maleficis, malignis. *Audiet auris mea*. Hebræus plurali: Audient aures meæ. Nullius momenti varietas. Oculum aſpicere in aliquem, & Aurem audire in eis, qui ſurgunt contra te, ut optata conſequaris, puta vindictam, quam exſpectas, ſunt bini idiotiſmi, de quibus in Theſauro.

13. *Ut palma, ſicut cedrus*. Quæ arbores diu durant, & innumeras alias qualitates habent optimas. Vide Theſaurum. Eſt autem antitheſis ad verſ. 8. Injuſti ſicut herba ſunt, quæ licet germinet cito, brevi tamen tempore etiam areſcit, & fœnum fit; contra vero juſti, veluti palma cedruſque, firmi & ſtabiles, quo magis premuntur, aſſurgunt altius, ad felicitatem æternam ſolum reſpicientes. Palma ſiquidem virorem habet perpetuum, quem nullo tempore amittit, & fructus ſuaviſſimos edit, conſtans inſuper & firma non ſuccumbit oneribus, ſed contra ea nititur & aſſurgit, diutiſſimeque vivit, beatæ immortalitatis ſymbolum videlicet. Cedrus frequens & copioſa creſcit in Libano, odore jucundiſsimo, ſtatura proceriſsima & rectiſſima, umbra denique gratiſſima, nam folia non abjicit, & numquam putreſcit. *Libani*. Idem fere Hebræus: In Libano. Sic Græcus. *Multiplicabitur*. Creſcet; nempe cedrus, vel etiam juſtus ipſe.

B 14.

14. *Domus*. Ad declarationem additum, quod ne in Græco quidem habetur. Qui in Ecclesia Dei plantati, & firmiter radicati fuerint, florebunt, flores, germina proferent.

15. *Multiplicabuntur*. Translatio sensus. Hebræus: Fructificabunt, fructus, filios, nepotes procreabunt, virtutes edent non minimas. *Uberi*. Fortasse Nostri legerunt facili vocis transitu דשנה, pingui, vegeta, & succulenta, dictionem ad senectutem referentes, nam & Græcus *πίονι* habet; quod nunc Hebræis est דשנים, ad justos relatum: Pingues, optimo corporis habitu. Nullius momenti varietas. *Et bene patientes*. Bene affecti, & valentes, *εὐπαθοῦντες*; nam est Græcismus, ut perappofite notatur a Genebrardo. Hebræus: Floridi, virentes, vegeti.

16. *Ut annuncient*. Hebræus gerundio: Ad annunciandum, id quod sequitur. Hic est finis conservationis justorum in hoc mundo, ut annuncient, celebrent justitiam, bonitatem, & magnitudinem Dei. *Quoniam*. Quòd rectus est Dominus, & iniquitatis expers, licet injustis momentaneas det felicitates in hoc seculo, justosque vexari & affligi permittat, nam spectandus est omnium exitus, qui anteactam vitam dijudicat. *Deus noster*. Idem Hebræus Dei epitheto proprio, sed singulariter: Petra mea, rupes, arx, in qua tutus & securus permaneo.

PSALMUS XCIII. Lat. XCII.

		Laus cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra.
יהוה מלך גאות לבש לבש יהוה עז התאזר אף תכון תבל בל תמוט:	1. *DOMINUS regnavit, magnificentiam indutus est, indutus est DOMINUS fortitudinem, præcinxit se, etiam firmabitur orbis, ne commoveatur.*	1. DOMINUS regnavit, decorem indutus est, indutus est DOMINUS fortitudinem, & præcinxit se. Etenim firmavit orbem *terræ*, qui non commovebitur.
נכון כסאך מאז מעולם אתה:	2. *Stabilis est sedes tua ex tunc, a seculo tu es.*	2. Parata sedes tua ex tunc, a seculo tu es.
נשאו נהרות יהוה נשאו נהרות קולם ישאו נהרות דכים:	3. *Elevaverunt flumina DOMINE, elevaverunt flumina vocem suam, elevabunt flumina fluctus suos.*	3. Elevaverunt flumina DOMINE, elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos.
מקולות מים רבים אדירים משברי ים אדיר במרום יהוה:	4. *A vocibus aquarum multarum præpotentes* sunt *fluctus maris, præpotens in alto DOMINUS.*	4. A vocibus aquarum multarum mirabiles elationes maris: mirabilis in altis DOMINUS.

5. Te

עדתיך נאמנו מאד לביתך
נאוה קדש יהוה לארך ימים:

5 *Testimonia tua firma fuerunt valde; domum tuam decet sanctitas DOMINE longitudini dierum.*

5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo, DOMINE, in longitudinem dierum.

ANNOTATIONES.

DEi, sive Christi regnum extollens, promissiones præteritas uti certas piis & vere fidelibus exspectandas mirabili docet artificio. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Laus cantici, &c. A Nostris hoc totum fuit additum e majorum traditionibus forsitan, non e Scriptura; quod argumentum Psalmi videtur indicare.

1. *Decorem*. Majestatem, magnificentiam. Vox hebræa superbiam proprie significat, sed usurpatur tam in bonum, quam in malum. Induere superbiam, est idiotismus perquam elegans, pro, Magnificentia, & sublimi quodam corporis habitu copiose præditum esse. Consule Thesaurum. Sic etiam Induere fortitudinem, est Robur assumere, & copiose possidere. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Præcinxit se*. Humano loquitur more. Tractum ab his, qui se ad aliquid agendum accingunt. *Etenim*. Sic transferunt Nostri fere semper. Hebræus: Etiam, ex hac Dei magnificentia & fortitudine. *Firmavit*. Arbitror, Nostros facili transitu Vav in Jod legisse תָּכִין, firmabis, vel etiam mutato Thav in He הֵכִין, firmavit, aptavit. Nisi mailes, nulla mutatione facta litterarum legisse תָּכוֹן, ex Cal, quod jam in usu non est. Sed nunc Hebræi legunt ex Niphal תִּכּוֹן, tertia futuri feminina, Firmabitur, aptabitur orbis ex hoc immenso Dei robore, ob hanc divini numinis magnificentiam. *Terræ*. Ad declarationem additum. *Qui non commovebitur*. Idem Hebræus: Non commovebitur, ne commoveatur, ne commoveri, in nihilum redigi possit, usque ad consummationem seculi.

2. *Parata*. Firmata, stabilita, in perpetuum duratura. *Sedes tua*. Cælum, cælestia omnia. Siquidem Orbe firmato propter infinitam Dei fortitudinem, multo magis cæli stabiles dicendi sunt, qui materiam nobiliorem, & formas excellentiores possident. *Ex tunc*. Ab Orbe condito, quando cæli creati sunt hac conditione, ut firmi & stabiles permaneant usque ad consummationem seculi: Tu vero *A seculo es*. Ante seculum, Orbem, & cęlos ipsos.

3. *Elevaverunt*. In Hebræo tertium est futurum: Elevabunt; quod nihil refert. Flumina elevare sonitum, strepitum, & fluctus, Allegoria nota est de bellis impiorum, & omnibus aliis calamitatibus hujus mundi contra regnum Dei, Ecclesiam, & fideles.

4. *A vocibus*. Præpositio Mem varie sumitur, ut in Grammatica docemus. Præ vocibus, propter voces, & fremitus undarum multarum, præpotentes quidem & validi sunt fluctus maris, ut horrorem & timorem aspicientibus incutiant; verum etiam Dominus præpotens, & fortissimus est in alto, ubi sedes ejus, & ob id facile strepitus marium valens comprimere. Vel plusquam voces & strepitus aquarum multarum præpotentium, fluctuum nempe maris, præpotens & validus est Dominus in alto. Idem fere sensus ubique. E sublimi suo cælo Deus, illas maris elationes mirabiles & insignes, idest motus, & persecutiones, compescere valet. *Mirabiles*; *mirabilis*. Idem fere voce designatur hebraica: Præpotentes;

præpotens, validus, ob immensam fortitudinem mirabilis. *Elationes*. Non aliter Hebræus: Fluctus, confractiones maris; undæ, quæ elevatæ colliduntur. *Altis*. Hebræus singulariter: Alto. Nullius momenti varietas.

5. *Testimonia tua*. Cælum, & Orbis terræ, qui de tua amplitudine, fortitudine, & potestate maxima testimonium ferunt perspicuum. Vel obtestationes tuæ, verba tua, quæ tu es testificatus per Prophetas, te posse, & velle Fideles ab injuriis impiorum servare. Vox hebræa utrumque significat, eodem fere sensu manente semper. *Credibilia facta sunt*. Verbum hebræum Credibile, fidele, firmum, & certum significat. Consule Thesaurum. Hinc Hebræi: Testimonia tua (inquiunt) credibilia, firma fuerunt; idest, digna creditu, uti certa, fidelia, fixa, & firma. *Nimis*. Sic transferunt Nostri vocem hebræam: Valde, mirum in modum. *Domum tuam*. Hebræus suo loquendi modo: Domui tuæ. Hinc verba hebræa aliam etiam patiuntur constructionem, ut vox ista superiori verbo cohæreat, videlicet ad hunc modum: Obtestationes tuæ firmæ fuerunt valde domui tuæ, pulchræ, vel decoræ sanctitate. Domus Dei sunt cæli, quos superius sedem dixerat. Aliis templum ipsum, vel Ecclesia. Obtestationes tuæ cælos semper incolumes fore manifeste asserunt. Cur igitur fidelibus sperandum non est, se tandem ex fluctibus & strepitibus fluviorum omnium, ex omnibus videlicet calamitatibus, eripiendos, cum videant hanc cælorum, & Orbis firmitatem, a præpotenti Deo, qui cunctis fragoribus est insignior, & terribilior, provenientem? Hinc Cælos, Templum, & Ecclesiam decet sanctitudo, ut in perpetuum decorati puritate, tanto & tam provido custode gaudeant. Hinc argumentum immensæ fortitudinis divinæ, nec non magnificentiæ, & sublimitatis justitiæque ad reddendum tandem bona bonis, & mala malis, desumant licet, quod domus ejus sanctitate, & puritate prædita sit perpetuis duratura temporibus. *Decet*. Vox hebræa est amphibola, tertia præteriti, vel præsens participium, vel tandem nomen: Decuit, decens, decora. Vide Thesaurum. Idem sensus ubique. *In longitudine*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Longitudini; sequentibus perpetuis temporibus.



PSAL.

PSALMUS XCIV. Lat. XCIII.

		Psalmus ipsi David, quarta sabbati.
אל נקמות יהוה אל נקמות הופיע:	1. *Deus ultionum DOMINUS, Deus ultionum conspicuus appare.*	1. Deus ultionum DOMINUS, Deus ultionum libere egit.
הנשא שפט הארץ השב גמול על גאים:	2. *Exaltare judex terræ, reduc retributionem super superbos.*	2. Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis.
עד מתי רשעים יהוה עד מתי רשעים יעלזו:	3. *Usquequo injusti DOMINE, usquequo injusti exsultabunt?*	3. Usquequo peccatores DOMINE, usquequo peccatores gloriabuntur?
יביעו ידברו עתק יתאמרו כל פעלי און:	4. *Eructabunt, loquentur durum, jactabunt se omnes operatores iniquitatis.*	4. Effabuntur, & loquentur iniquitatem; loquentur omnes, qui operantur injustitiam?
עמך יהוה ידכאו ונחלתך יענו:	5. *Populum tuum DOMINE conterent, & hereditatem tuam affligent.*	5. Populum tuum DOMINE humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt.
אלמנה וגר יהרגו ויתומים ירצחו:	6. *Viduam, & advenam interficient, & pupillos occident.*	6. Viduam, & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.
ויאמרו לא יראה יה ולא יבין אלהי יעקב:	7. *Et dixerunt, non videbit Jaha, nec intelliget Deus Jacob.*	7. Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.
בינו בערים בעם וכסילים מתי תשכילו:	8. *Intelligite pecuini in populo, & stulti quando intelligetis?*	8. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.
הנטע אזן הלא ישמע אם יצר עין הלא יביט:	9. *Qui plantat aurem, nonne audiet? si fingens oculum nonne aspiciet?*	9. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?
היסר גוים הלא יוכיח המלמד אדם דעת:	10. *Qui corripit gentes, nonne arguet? qui docet hominem scientiam?*	10. Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?
יהוה יודע מחשבות אדם כי המה הבל:	11. *DOMINUS scit cogitationes hominis, quoniam sunt vanitas.*	11. DOMINUS scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.
אשרי הגבר אשר תיסרנו יה ומתורתך תלמדנו:	12. *Beatus vir, quem corripies Domine, & de lege tua docueris eum.*	12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.
להשקיט לו מימי רע עד יכרה לרשע שחת:	13. *Ad quietem præbendam ei a diebus mali, donec fodietur injusto fovea.*	13. Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.

14.

כי לא יטש יהוה עמו ונחלתו לא יעזב :	14. *Quia non projiciet DOMINUS plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet.*	14. Quia non repellet DOMINUS plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet.
כי עד צדק ישוב משפט ואחריו כל ישרי לב :	15. *Quia uſque ad juſtitiam redibit judicium, & poſt illud omnes recti cordis.*	15. Quoaduſque juſtitia convertatur in judicium, & *qui* juxta illam omnes qui recto ſunt corde.
מי יקום לי עם מרעים מי יתיצב לי עם פעלי און :	16. *Quis ſurget mibi cum malignis ? quis conſtituet ſe mihi cum operatoribus iniquitatis?*	16. Quis conſurget mihi adverſus malignantes ? *aut* quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem ?
לולי יהיה עזרתה לי במעט שכנה דומה נפשי :	19. *Niſi DOMINUS auxilium mibi, paulo minus habitaſſet ſilentium anima mea.*	17. Niſi *quia* DOMINUS adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.
אם אמרתי מטה רגלי חסדך יהוה יסעדני :	18. *Si dixi, motus eſt pes meus, pietas tua DOMINE ſtabiliet me.*	18. Si dicebam, motus eſt pes meus; miſericordia tua DOMINE adjuvabat me.
ברב שרעפי בקרבי תנחומיך ישעשעו נפשי :	19. *In multitudine cogitationum mearum intra me, conſolationes tuæ delectaverunt animam meam.*	19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.
היחברך כסא הוות יצר עמל עלי חק :	20. *Num conjungetur tibi ſedes calamitatum, fingens laborem ſuper ſtatuto?*	20. Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto ?
יגודו על נפש צדיק ודם נקי ירשיעו :	21. *Congregabuntur ſuper animam juſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.*	21. Captabunt in animam juſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.
ויהי יהוה לי למשגב ואלהי לצור מחסי :	22. *Et fuit DOMINUS mihi elevationi, & Deus meus petræ refugii mei.*	22. Et factus eſt mihi DOMINUS in refugium, & Deus meus in adjutorium ſpei meæ.
וישב עליהם את אונם וברעתם יצמיתם יצמיתם יהוה אלהינו :	23. *Et redire fecit ſuper eos iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum exſcindet illos, exſcindet illos DOMINUS Deus noſter.*	23. Et reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos, diſperdet illos DOMINUS Deus noſter.

ANNOTATIONES.

Fideles calamitatum pondere preſſos, peneque ſuccumbentes, ad ſpem meliorem revocans, impios tandem ſcelerum ſuorum pœnas a Deo æquiſſimo Ju-

Judice reportare, licet ad tempus felices, & bonis omnibus referti videantur, eleganti carmine, consolationumque pleno, decantat.

Psalmus, &c. Ex antiqua forsitan consuetudine a Nostris hæc apposita fuit epigraphe, quòd Psalmus iste recitaretur quarta feria.

1. *Deus ultionum*. Idiotismus. Ultor, & vindex, qui suos de improbis tandem ulciscitur. *Libere egit*. Splendide apparuit, palam & in luce quod libuit, egit; nempe judicia, & vindictam exercuit. Vox hebræa est amphibola, tertia præteriti scilicet, ut Nostris tamquam de salute certis, et imperativus, ut nunc Hebræis. Illucesce, conspicuus appare, majestatem tuam exsere.

2. *Qui judicas terram*. Idem Hebræus participio, vel nomine: Judicans, judex terræ, altum & gloriosum te ostende. *Redde*. Idem Hebræus suo idiotismo proprio: Reduc, redire fac. *Superbis*. Hebræus suo loquendi modo: Super superbos. Reducere retributionem super aliquem, est idiotismus non inelegans, pro Ut meretur, punire. Vide Thesaurum.

3. *Peccatores*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Injusti. *Gloriabuntur*. Non longe aliter Hebræus: Exsultabunt, de sua felicitate contra probos gestient.

4. *Effabuntur*. Translatio sensus. Hebræus idiotismo proprio: Eructabunt. Verba scilicet, sermones temeritatis plenos. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Iniquitatem*. Translatio sensus. Hebræus: Durum, dura & intoleranda verba, iniqua effundunt. Loqui durum, Hebraismus pulcherrimus; idest, verba superba fastu plena. *Loquentur*. Se jactabunt, quasi in dicteria se extollendo resolvent. Vide Thesaurum. Non magni momenti varietas. *Omnes*, &c. Idem Hebræus: Omnes operatores iniquitatis.

5. *Humiliaverunt*. Non longe aliter Hebræus, licet futuro: Attenuabunt, conterent, humilem reddent. *Vexaverunt*. Hebræus iterum futuro: Vexabunt, affligent.

6. *Interfecerunt*, *occiderunt*. Hebræus futuro, ut superius: Interficient, occident; necare solent, & opprimere.

7. *Dominus*. Hebræus: Jaha, nomen Dei proprium. Deum non videre, nec intelligere, est, Res humanas nescire, nec curare.

8. *Insipientes*. Idem fere Hebræus: Pecuini, brutorum vitam agentes. *Aliquando sapite*. Non aliter Hebræus interrogative: Ecquando intelligetis? Sapietis? Varietas ex Græco ποτέ.

9. *Qui plantavit*. Hebræus præsenti: Plantans, plantat. Littera autem He varie sumitur, ut in Grammatica. Qui plantat, vel Si plantans. Idem tamen sensus. *Non*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Si non; nonne audiet? *Aut*. Hebræus sua loquendi forma repetit particulam Si. *Qui finxit*. Sic Hebræus præsenti: Fingens, fingit. *Non*. Hebræus, ut supra: Nonne? *Considerat*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Aspiciet, cernet oculo, & mente considerabit. Plantare aurem, & formare oculum, de Deo sunt locutiones humano more, qui vim audiendi, & cernendi hominibus tribuit.

10. *Qui corripit*. Idem Hebræus. Vel, Si corripiens, castigans etiam gentes alienas a sui notitia. *Non*. Hebræus, ut supra: Nonne vos arguet? puniet? *Qui docet*. Appositorie cum præcedentibus. Qui docet hominem scientiam, nonne arguet? Vel certe sequentibus additur sic: Ille Dominus, qui docet hominem scientiam, scit hominum cogitationes esse vanas, &c.

11. *Hominum*. Hebræus: Adam, hominis collective. *Quoniam*. Continuativa particula. Quod sunt inanes & vanæ cogitationes hominum.

12. *Homo*. Hebræus: Vir ille. Minima varietas. *Tu*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Erudieris*. Corripies, castigabis verbo tenus, & re ipsa;

ipsa; ut a vanitate abductas cogitationes in bonum vertat, & recogitet, improbos tandem habere suorum malefactorum pœnas, & probos gloriam, cælestemque felicitatem. Docere de lege, duplicem habet sensum. Nam aut docere partem legis, vel mediante lege doctrinam afferre significat.

13. *Ut mitiges*. Idem fere Hebræus gerundio: Ad præbendam quietem ei: ut tranquillum & securum eum reddas. *Malis*. Idem Hebræus, licet genitivo singulari: Mali; quod referri potest ad dies, ut nostri fecerunt, & ad improbos. Idem tamen sensus. *Fodiatur*. Sic Hebræus futuro: Fodietur, excavabitur. *Peccatori*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Injusto. Nullius momenti varietas.

14. *Repellet*. Projiciet, abjiciet.

15. *Quoadusque*. Quasi Nostri legerint dictionibus transpositis עד כי, Quamdiu, donec; quod nunc est כי עד, Quia ad, quoniam usque ad. Redditio caussæ, cur Deus suos deserturus non sit, quoniam olim Christus Mundum juste judicabit, cujus judicia non erunt iniquissima, & corruptissima, ut hodie, sed æquum judicium Deus tunc faciet, bonis reddens bona, & malis mala æterna, licet nunc ut plurimum versa vice probi vexentur, & improbi mundana fruantur felicitate, videaturque propemodum justitia alio transmigrasse, relicto Mundo, propter quod judicia fiant iniquissima. Fictio poetica satis elegans. *Justitia*, &c. Sic transferendum erat propter dictionum prædictarum transpositionem. Hebræus: Quoadusque justitia redibit judicium; donec judicium sit justum; donec justitia vertetur in judicio. Hebraica vero lectio hodierna licet transposita, non immutat tamen sententiam. Quoniam usque ad justitiam redibit judicium. Tandem judicium inventa justitia prodibit æquum. *Qui*. Non habetur in Hebræo, sed nec in Græco, & sententiam obscurat, nisi legas per hysterologiam, Recti corde sunt qui juxta illam. Quidam per interrogationem se extricarunt: Et qui juxta illam? omnes, &c. *Juxta illam*. Relativum hebraicum est masculinum, & referri potest tam ad justitiam, quàm ad judicium, quæ nomina sunt in Hebræo masculina. Post eam Justitiam, post illud Judicium, juxta, pone, adhærentes eis, sicque necessario æquum judicium reportabunt. Persistit in fictione poetica, *Qui recto sunt corde*. Idem Hebræus. Recti cordis, corde. Græcus addit διάψαλμα.

16. *Consurget mihi*. Pro me surget, ut auxilietur mihi? quis me defendet interim ab improbis, quoad veniat dies ille optatissimus, quando Justitia, & Judicium simul conjungentur? *Adversus malignantes*. Non aliter Hebræus: Cum malignis, malignantibus; defendendi mei caussa. *Aut*. Non habetur in Hebræo: quod nihil refert. *Quis stabit mecum*. Idem fere Hebræus: Quis statuet, constituet, collocabit se mihi, pro me? *Adversus*, &c. Sic Hebræus: Cum operatoribus iniquitatis, ut opem mihi ferat.

17. *Quia*. Non habetur in Hebræo, quod parum vel nihil refert. *Adjuvit me*. Nostri detruncata parum voce legerunt verbaliter עזר לי, quod nunc Hebræis nomen est עֶזְרָתָה לִּי, auxilium mihi. Supple, fuit. Vel certe sensum, non verbum transtulere. Nulla varietas. *In inferno*. In sepulcro. Translatio sensus. Hebræus: Poetice satis eleganter: Silentium. Animam incolere silentium, est idiotismus pulcherrimus, pro Mori, in quo statu anima non loquitur, & corpus in sepulcro residet.

18. *Dicebam*. Idem Hebræus præterito: Dixi. Pedem moveri, est idiotismus elegans, pro eo quod diceres latine: Vacillant res meæ; actum est propemodum de me, & hujusmodi. *Misericordia*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Pietas. *Adjuvabit*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Stabiliet, fulciet me.

19. *Se-*

19. *Secundum multitudinem*. Nostri facillimo transitu Beth in Caph legerunt כרב, quod nunc Hebræis est בְּרֹב, In multitudine. Cum multæ & variæ cogitationes cor meum discruciarent. Non magna varietas. *Dolorum*. Translatio sensus. Hebræus: Cogitationum, quæ animum in diversa distrahunt. Vide Thesaurum. *In corde meo*. Non aliter Hebræus: Intra me, in medio mei. *Lætificaverunt*. Idem fere Hebræus: Delectarunt, delectationem ingesserunt, proborum & improborum exitum consideranti.

20. *Numquid adhæret*. Idem fere Hebræus, sed futuro: Num conjungetur tecum, associabitur tibi? Hæc sunt quæ mente revolvebat, ut in superiori versiculo. Qui potest fieri (inquit) ut associetur tibi, qui summa justitia es, thronus injustissimus! Hoc siquidem videtur esse verum, dum improbos impunitos esse permittis. Nescio quid commune tecum habere videtur sedes iniquorum hominum, o Deus, quod scelerum suorum pœnas meritas abs te non reportant. *Iniquitatis*. Non longe aliter Hebræus plurali: Calamitatum; active, & passive, ut ita dicam. Sedes calamitatum, est idiotismus, idest Sceleratorum, flagitiosorum, quorum actiones probis semper infestæ sunt. *Qui fingis*. In Hebræo est participium, Fingens, formans, quod referri potest ad Deum, uti Nostri fecerunt, vel ad thronum sceleratorum, ad improbos ipsos, ut Hebræis placet. *Laborem in præcepto*. Non longe aliter Hebræus: Super statuto. Deum formare laborem super statuto, est quodammodo sceleratis ansam præbere persequendi justos decretorum divinorum observatores. Thronum itidem sceleratorum, idest improbos, formare laborem super statuto, est decreta laboriosa, idest maleficia patrare, vel occasione sumpta ex decretis laborem inferre, ut v. gr. si quis cogeret virum Judæum edere carnes porcinas, quas a Deo videt illi esse prohibitas, vel Christianum die Veneris, & hujusmodi, carnes edere, quas sancti Patres interdixerunt, & hujus generis alia, viro pio maximo labore, & sollicitudine observanda. Ceteras hujus loci interpretationes apud alios vide.

21. *Captabunt*, &c. Translatio sensus. Hebræus: Coibunt turmatim, congregabuntur super, contra animam justi, ut eam captent, decipiant, & male tractent. Sanguinem insuper innoxium, innocentes viros condemnant isti flagitiosissimi.

22. *Et factus est*. Idem Hebræus: Et fuit. Quæ sequuntur, consolationes sunt, de quibus vers. 19. *In refugium*. Hebræus dativo: Elevationi, in elevationem, in locum altum, ad quem confugere possim, tamquam ad refugium tutum. *In adjutorium*. Translatio sensus. Hebræus dativo: Petræ, in petram, in rupem, in qua securus ab improbis permaneam. Epithetum Dei optimi maximi. *Spei meæ*. Sic transferunt Nostri hujus dictionis themata, prout sæpius vidimus. Hebræus: Refugii, confugii mei; in quam rupem, salvari confisus, me recipio. Nullius ponderis varietates.

23. *Et reddet illis*. Idem Hebræus suo idiotismo, sed futuro in præteritum verso, quasi Nostri mutatis vocalibus legerint וְיָשֵׁב, quod nunc est וַיָּשֶׁב, Et redire fecit super eos. Sed hoc parum vel nihil refert. Græcus hic addit Κύριος. Redire facere super aliquem iniquitatem ipsius, est idiotismus, ut in Thesauro. *In malitia*. Malo, quod aliis parabant. Græcus, κατὰ. *Disperdet*. Idem fere Hebræus: Exscindet, juxta proverbium illud, Gladio transfodere proprio. Sic istos improbos Deus malo ipsorum proprio tandem perdet, quæ maxima probis est consolatio. Secundum Disperdet non habetur in Græco. *Deus noster*. Græcus non habet pronomen, quod est in hebraico.

PSALMUS XCV. Lat. XCIV.

		Laus Cantici ipsi David.
לכו נרננה ליהוה נריעה לצור ישענו׃	1. *Venite, ovabimus DOMINO, jubilabimus Petræ salutis nostræ.*	1. Venite, exsultemus DOMINO, jubilemus Deo salutari nostro.
נקדמה פניו בתודה בזמירות נריע לו׃	2. *Præoccupabimus faciem ejus in confessione, in psalmis jubilabimus ei.*	2. Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei.
כי אל גדול יהוה ומלך גדול על כל אלהים׃	3. *Quoniam Deus magnus DOMINUS, & rex magnus super omnes Deos.*	3. Quoniam Deus magnus DOMINUS, & rex magnus super omnes deos.
אשר בידו מחקרי ארץ ותועפות הרים לו׃	4. *In cujus manu sunt scrutationes terræ. & robora montium sunt ei.*	4 Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt.
אשר לו הים והוא עשהו ויבשת ידיו יצרו׃	5. *Cui est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus ejus formaverunt.*	5. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus ejus formaverunt.
ובאו נשתחוה ונכרעה נברכה לפני יהוה עשנו׃	6. *Venite, adorabimus, & incurvabimur, & genuflectemus ante DOMINUM factorem nostrum.*	6. Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante DOMINUM, qui fecit nos.
כי הוא אלהינו ואנחנו עם מרעיתו וצאן ידו היום אם בקלו תשמעו׃	7. *Quia ipse* est *Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus hodie, si in vocem ejus audietis.*	7. Quia ipse *est Dominus* Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus. Hodie si vocem ejus audieritis:
אל תקשו לבבכם כמריבה כיום מסה במדבר׃	8. *Ne obdurabitis cor vestrum tamquam jurgio, sicuti die tentationis in deserto.*	8. Nolite obdurare corda sicut in irritatione, secundum diem tentationis in deserto.
אשר נסוני אבתיכם בחנוני גם ראו פעלי׃	9. *Quòd tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, etiam viderunt opus meum.*	9. Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea.
ארבעים שנה אקוט בדור ואמר עם תעי לבב הם והם לא ידעו דרכי׃	10. *Quadraginta annis contendam in generationem, & dixi, populus errantes corde ipsi, & ipsi non cognoverunt vias meas.*	10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi, semper hi errant corde: et isti non cognoverunt vias meas.
אשר נשבעתי באפי אם יבאון אל מנוחתי׃	11. *Quòd juravi in naso meo, si venient ad requiem meam,*	11. Ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Eleganti carmine fideles ad colendum Christum Deum excitantur. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Laus, &c. Nullus exstat in Hebræo titulus, a Nostris forsitan ob aliquam traditionem additus.

1. *Venite.* Excitantis, & exhortantis particula. *Exsultemus.* Idem fere Hebræus futuro: Ovabimus, voce & corporis actione gestiemus. *Jubilemus.* Idem Hebræus futuro: Jubilabimus, voces in laudes divinas extollendo. *Deo.* Hebræus: Petræ. Dei Optimi Maximi epithetum. *Salutari nostro.* Sic transferunt Nostri Hebræus: Salutis, auxilii nostri, ex qua petra semper auxilium in adversis reportamus. Nullius ponderis varietas.

2. *Præoccupemus, jubilemus.* Idem Hebræus futuro: Præoccupabimus, jubilabimus. *Et.* Non habetur in hebræo. Præoccupare faciem in confessione, est Propere venire in conspectum alicujus cum laudibus & hymnis. Vide Thesaurum.

3. *Super omnes Deos.* Vel Angelos, vel Idola, quæ colebantur ut Deus. De ratione nominis אלהים, vide Thesaurum. Græcus habet hic, ἐπὶ πᾶσαν γῆν, super omnem terram.

4. *Quia.* Dictio hebræa אֲשֶׁר modo pronomen relativum est, & modo conjunctio, qui, quæ, quod, ut in Thesauro. Nostris est conjunctio, Hebræis relativum; quod parum vel nihil sane refert. Solent autem hebræi præpositionem, quam relativo addunt Latini, antecedenti præponere, ut in Grammatica docuimus. Qui in manu ejus; in cujus manu; potestate. *Sunt.* Non habetur in Græco. *Fines terræ.* Penetralia, interiora, centrum proprie. Quę facile scrutatur. Sensus translatio. Hebræus: Scrutationes. Universam terram facile scrutari potest, usque in profunditates ipsas. *Altitudines.* Hebræus: Robora montium sunt ei. Dominatur in montibus immensis, quos nullo labore transferre potest, & in eis ad libitum agere. Hæc montium robora Nostri reduxerunt ad altitudinem solam, latitudinem & longitudinem non attendentes, quæ dimensiones omnes vocabulo denotantur hebraico, licet hoc parum vel nihil referre crederem, nam altitudine, uti difficiliori, illas omnes comprehendi voluerunt.

5. *Quoniam.* Eadem vox, ut in superiori versiculo. Hebræus suo idiotismo: Qui ei, cui. Est Dominus, et creator maris, terræque. *Siccam.* Aridam; tellurem sic dictam post congregationem aquarum, quæ eam contegebant. Vide Genes. 1.

6. *Adoremus.* Idem Hebræus futuro: Adorabimus. *Procidamus.* Sic Hebræus fere futuro: Incurvabimur, prosternemur. Græcus addit ἀυτῷ. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Ploremus.* Nostri procul dubio, detracto resc legerunt נִבְכֶּה, plorabimus, quod nunc Hebræis est נִבְרְעָה, Geniculabimur, ut ita loquar, genua flectemus. Tres venerationis actus, adorare vel prosterni, incurvari, & genua flectere. *Qui fecit nos.* Nostri punctis vocalibus immutatis legerunt עָשָׂנוּ, quod nunc Hebræis est præsens participium, vel Toar, עֹשֵׂנוּ, Factorem nostrum. Nullius momenti varietas.

7. *Dominus.* Non habetur in Hebræo, nec in Græco; quod parum refert. *Oves.* Populus pascuæ, & Oves manus, denotant, nos spiritualiter, & corporaliter ali, regique providentia, & bonitate divina. *Vocem.* Hebræus addit præpositionem In. *Audieritis.* Sic Hebræus: Audietis. Audire in vocem alicujus, est illi obtemperare.

8. *Nolite obdurare.* Sic Hebræus: Ne obdurabitis, obduretis. Inducitur Deus loquens, ut comminatio sit vehe-

mentior. *Corda vestra*. Hebræus singulariter: Cor vestrum. Nulla varietas. *Sicut in irritatione*. Idem fere Hebræus: Tamquam jurgio, contentione, rixa irritante. *Secundum diem*. Sicut in die, tempore tentationis, instar illius diei. Historia nota est. Lege Exodi, & Numerorum libros, & vide Thesaurum nostrum, in dictionibus מַסָּה, & מְרִיבָה.

9. *Ubi*. Hebræus: Quod. Eadem vox, de qua superius vers. 4. *Probaverunt*. Providentiam, & veritatem meam experti, de qua dubitando murmuraverant. Hebræus repetit pronomen Me de more linguæ. *Et*. Hebræus: Etiam. Minima varietas. *Opera mea*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis כְּעָבַי, quod nunc Hebræis est singulare, nulla sensus varietate: Opus meum.

10. *Offensus fui*. Græca vox προσώχθισα Offendi, & Propinquare significat. Hinc Romanum Psalterium Proximus fui, habet, idest, in malum. Hebræus futuro: Contendam. Contendebam, dissecabar, ut eos ad meliorem frugem revocarem, & sic illis offensus eram. Vide Thesaurum in radice קוט. *Generationi*. Hebræus addit præpositionem: In generationem. In viros illius generationis, ætatis. *Illi*. Ad declarationem additum. *Semper*. Suspicor, Nostros aliter legisse, quam nunc est in Hebræo, nec quid legerint, conjectare valeo, nisi velles, eos pro עַם legisse תָּמִיד, vel certe ad majorem declarationem, hanc particulam, *Semper*, de suo addidisse. Hebræus siquidem nunc habet: Populus errantes (qui errat) corde ipsi. Supple, sunt. Nullius fere ponderis varietas. *Et isti*. Hebræus: Ipsi; illi. Cognoscere vias Dei, idiotismus, ut in Thesauro, & alibi.

11. *Ut*. Vel Quibus, ut alii. Hebræus eadem voce, de qua superius vers. 4, habet: Qui, quod. Qui juravi, idiotismus. Quod juravi; ita ut jurarem. Idem sensus perpetuo. *Ira*. Vox hebræa Nasum & Iram significat. Vide Thesaurum. Jurare in naso, vel in ira, est, cum iratus sis, juramento se ad aliquid obstringere. *Si introibunt*. Idem Hebræus: Venient. Formula jurandi ecliptica: Ne sim Deus, habear mendax, vel quid simile. Idest, nequaquam introibunt. *In*. Hebræus eodem sensu: Ad. *Requiem meam*. Sic terram promissionis appellat, ubi sedes quietas se daturum illis promiserat, & patriæ cælestis insuper est allusio, ubi omnia quieta, dulcia, felicia.



PSALMUS XCVI. Lat. XCV.

		Canticum ipsi David; quando domus ædificabatur post captivitatem.
שירו ליהוה שיר הדש שירו ליהוה כל הארץ:	1. *Cantate DOMINO canticum novum, cantate DOMINO omnis terra.*	1. Cantate DOMINO canticum novum, cantate DOMINO omnis terra.
שירו ליהוה ברכו שמו בשרו מיום ליום ישועתו:	2. *Cantate DOMINO, benedicite nomini ejus, annunciate de die in diem salutem ejus.*	2. Cantate DOMINO, & benedicite nomini ejus; annunciate de die in diem salutare ejus.
ספרו בגוים כבודו בכל העמים נפלאותיו:	3. *Narrate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.*	3. Annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.
כי גדול יהוה ומהלל מאד נורא הוא על כל אלהים:	4. *Quoniam magnus DOMINUS, & laudabilis valde, terribilis ipse super omnes Deos.*	4. Quoniam magnus DOMINUS, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos.
כי כל אלהי העמים אלילים ויהוה שמים עשה:	5. *Quoniam omnes Dii populorum idola, DOMINUS autem cælos fecit.*	5. Quoniam omnes dii gentium dæmonia, DOMINUS autem cælos fecit.
הוד והדר לפניו עז ותפארת במקדשו:	6. *Majestas, & honor faciebus ejus, robur, & decus in sanctuario ejus.*	6. Confessio, & pulcritudo in conspectu ejus, sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.
הבו ליהוה משפחות עמים הבו ליהוה כבוד ועז:	7. *Afferte DOMINO familiæ populorum, afferte DOMINO gloriam, & fortitudinem.*	7. Afferte DOMINO patriæ gentium, afferte DOMINO gloriam, & honorem.
הבו ליהוה כבוד שמו שאו מנחה ובאו לחצרותיו:	8. *Afferte DOMINO gloriam nominis ejus, tollite munus, & venite atriis ejus.*	8. Afferte DOMINO gloriam nomini ejus, tollite hostias, & introite in atria ejus.
השתחוו ליהוה בהדרת קדש חילו מפניו כל הארץ:	9. *Adorate DOMINO in decore sanctitatis, dolete a faciebus ejus universa terra.*	9. Adorate DOMINUM in atrio sancto ejus, commoveatur a facie ejus universa terra.
אמרו בגוים יהוה מלך אף תכון תבל בל תמוט ידין עמים במישרים:	10. *Dicite in gentibus, DOMINUS regnavit, etiam aptabitur orbis, non commovebitur, judicabit populos in rectitudinibus.*	10. Dicite in gentibus, *quia* DOMINUS regnavit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur, judicabit populos in æquitate.



11. Læ-

ישמחו השמים ותגל הארץ ירעם הים ומלאו :	11. *Lætabuntur cæli, & exsultabit terra, reboabit mare, & plenitudo ejus.*	11. Lætentur cæli, & exsultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus.
יעלז שדי וכל אשר בו אז ירננו כל עצי יער :	12. *Gestiet ager, & omne quod est in eo, tunc ovabunt omnia ligna silvæ.*	12. Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exsultabunt omnia lingua silvarum;
לפני יהוה כי בא כי בא לשפט הארץ ישפט תבל בצדק ועמים באמונתו :	13. *Faciebus DOMINI, quia venit, quoniam venit ad judicandum terram, judicabit orbem in justitia, & populos in veritate sua.*	13. A facie DOMINI, quia venit, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem *terræ* in æquitate, & populos in veritate sua.

ANNOTATIONES.

Psalmorum præcedentium promissiones de finibus bonorum & malorum, quasi jam effectas elegantiori decantans carmine, omnia ad extollendum Christum Dominum, qui tandem sit homines ex æquo judicaturus, incitat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Neque huic psalmo ullus est Hebræis titulus, sed a Nostris certa ratione additus ex majorum traditione forsitan. Idem psalmus, paucis immutatis, habetur 1. Par. 16. cum aliis psalmis conjunctus, uti videre licet.

1. *Novum.* Idest, semper innovate cantica, numquam ab hymnis cessantes. Alii, ob novum beneficium, hymnos hactenus a nullis decantatos fundite. *Omnis terra.* Terrarum incolæ. Metonymia.

2. *Et.* Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *De die in diem.* Quotidie, singulis diebus. *Salutare.* Prout Nostri transferunt. Hebræus: Salutem, auxilium, quod probis attulit.

3. *Annunciate inter gentes.* Non longe aliter Hebræus: Narrate in gentibus gloriam Domini, & miracula. Vocationem gentium prædicit.

4. *Nimis.* Sic transferunt Nostri, quasi Deus numquam a mortalibus satis laudari queat. Hebræus: Valde. *Est.* Idem Hebræus pronomine: Ipse. *Super omnes Deos.* Dæmonia, Idola, quæ falso Dii credebantur.

5. *Gentium.* Idem Hebræus: Populorum. *Dæmonia.* Translatio sensus. Hebræus: Idola, nihila, nullius potestatis. Idola vel sunt nulla, nihil, nullam opem ferre valentia, uti vox hebræa designat, vel Dæmonia. Vide Thesaurum.

6. *Confessio.* Nostri vocem deduxerunt abs הוֹדָה, confessus est, celebravit, a radice יָדָה scilicet; quæ nunc Hebræis est radix primaria, gloriam, majestatem significans. Quidam metonymice laudis & gloriæ materiam interpretantur. *Pulcritudo.* Honor, & decus, quæ sunt idem fere. Vide Thesaurum. *In conspectu.* Sic Hebræus suo idiotismo: Faciebus ejus, ante eum. *Sanctimonia.* Quam Dei robur & fortitudinem possumus appellare. Translatio sensus. Hebræus: Potentia, validitas. *Magnificentia.* Hebræus: Pulcritudo, decus. *In sanctificatione ejus.* In sancta majestate, sede ejus. Hebræus: In sanctuario; vel Cælo, vel Templo, Ecclesia, in quibus Dei sanctitas, & magnificentia magis relucet. Omnes istæ varietates non magni ponderis sunt. Immensa Dei majestas hisce vocibus describitur.

7. *As-*

7. *Afferte*. Date, tribuite. *Patriæ*. Græcam retinuit vocem Vulgatus. Ideſt Familiæ, Tribus, cognationes. Idem Hebræus. *Gentium*. Sic Hebræus: Populorum. *Honorem*. Hebræus: Fortitudinem, potentiam, quæ Dei eſt honor. Vocem hanc ſuperiori verſiculo Noſtri Sanctimoniam tranſtulerunt.

8. *Nomini*. Hebræus genitivo: Nominis, famæ divinæ gloriam date Domino. Non magna varietas. *Hoſtias*. Idem fere Hebræus ſingulariter: Munus, quod univerſaliter intelligitur de quacumque oblatione. Conſule Theſaurum. *Introite in atria*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Venire atriis, ad, in atria ejus.

9. *In atrio ſancto*. Translatio ſenſus. Hebræus: In decore ſanctitatis. In Templo, Eccleſia Dei, decore glorioſiſſimo & ſanctiſſimo. *Commoveatur*. Non longe aliter Hebræus, licet imperativo: Dolete, pavete, metuite, cruciamini timore, more parturientis fœminæ. *A facie*. Sic Hebræus pluraliter: A faciebus.

10. *Quia*. Non habetur in Hebræo; quod parum vel nihil refert. *Etenim*. Sic interpretantur Noſtri ſæpius voculam hanc. Hebræus: Etiam; inſuper. *Correxit*. Aptavit, ſtabilivit, firmavit. Noſtri, retento ſenſu, verbi ſignificationem immutarunt, vel certe paucis immutatis legerunt in Hiphil הֵכִין, aptavit, vel תָּכִין, aptabis; quod nunc Hebræis eſt Niphal תִּכּוֹן, Aptabitur, firmabitur orbis. *Terræ*. Ad declarationem additum. Vox hebræa habitabilem terram proprie ſignificat. Vide Theſaurum. *Qui non commovebitur*. Sic Hebræus: Non, nequaquam commovebitur, ne commoveatur, commoveri poſſit. *Æquitate*. Hebræus idem pluraliter: Rectitudinibus.

11. *Lætentur*, *exſultet*. Idem Hebræus futuro: Lætabuntur, exſultabit. Proſopopœja. *Commoveatur*. Hebræus non longe aliter futuro: Reboabit, mugiet mare; quod fit commotione. *Et plenitudo ejus*. Piſces, & hujuſmodi.

12. *Gaudebunt*, &c. Idem fere Hebræus ſingulariter collective: Geſtiet ager, & quidquid in eo eſt. *Sunt*. Non habetur in Græco. *Exſultabunt*. Ovantes, voce & corpore geſtientes ſilveſtres arbores.

13. *A facie Domini*. Propter Dominum. Quaſi legerint Noſtri מִפְּנֵי, facili vocis tranſitu, quod nunc Hebræus non longe aliter exprimit dativo: Faciebus Domini, ante Dominum. *Venit*. Bis poſitum. Non ſolum quia venit ſimpliciter, ſed etiam quia venit ad judicium. Duplicem adventum Chriſti deſcribit. *Judicare*. Sic Hebræus: Ad judicandum. *Orbem terræ*. Habitabilem proprie, ut ſuperius verſ. 10. Homines videlicet, mortales. *In æquitate*. Juſtitia; juſte, juxta ſuas promiſſiones, bonis præmia conferendo, & malos puniendo. *In veritate*. Vere, fideliterque.



PSALMUS XCVII. Latinis XCVI.

יהוה מלך תגל הארץ ישמחו איים רבים:

ענן וערפל סביביו צדק ומשפט מכון כסאו:

אש לפניו תלך ותלהט סביב צריו:

האירו ברקיו תבל ראתה ותחל הארץ:

הרים כדונג נמסו מלפני יהוה מלפני אדון כל הארץ:

הגירו השמים צדקו וראו כל העמים כבודו:

יבשו כל עבדי פסל המתהללים באלולים השתחוו לו כל אלהים:

שמעה ותשמח ציון ותגל בנות יהודה למען משפטיך יהוה:

כי אתה יהוה עליון על כל הארץ מאד נעלית על כל אלהים:

אהבי יהוה שנאו רע שמר נפשות חסידיו מיד רשעים יצילם:

אור זרע לצדיק ולישרי לב שמחה:

1. *DOMINUS regnavit, exsultabit terra, lætabuntur insulæ multæ.*

2. *Nubes & caligo circuitus ejus, justitia & judicium habitaculum sedis ejus.*

3. *Ignis faciebus ejus ibit, & inflammabit circum circa tribulantes eum.*

4. *Illustrarunt fulgura ejus orbem, vidit, & doluit terra.*

5. *Montes sicut cera liquefacti sunt a faciebus DOMINI, a faciebus DOMINI omnis terra.*

6. *Annunciaverunt cæli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.*

7. *Confundentur omnes cultores sculptilis, qui gloriantur in idolis, adoraverunt ei omnes Dii.*

8. *Audivit, & lætata est Sion, et exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua DOMINE.*

9. *Quoniam tu DOMINUS altissimus super omnem terram, valde exaltatus es super omnes Deos.*

10. *Amatores DOMINI, odite malum, custos animarum piorum suorum de manu injustorum liberabit eos.*

11. *Lux sata est justo, & rectis corde lætitia.*

Huic David, quando terra ejus restituta est ei.

1. DOMINUS regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ.

2. Nubes, & caligo in circuitu ejus, justitia, & judicium correctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra.

5. Montes sicut cera fluxerunt a facie DOMINI, a facie DOMINI omnis terra.

6. Annunciaverunt cęli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.

7. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum omnes Angeli *ejus*.

8. Audivit, & lætata est Sion. Et exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua DOMINE.

9. Quoniam tu DOMINUS altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.

10 Qui diligitis DOMINUM, odite malum: custodit DOMINUS animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

11. Lux orta est justo, & rectis corde lætitia.

12. Læ-

שמחו צדיקים ביהוה והודו לזכר קדשו׃

12. *Lætamini justi in DOMINO, & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.*

12. Lætamini justi in DOMINO, & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

ANNOTATIONES.

APparatum extremi Judicii carmine describens elegantissimo, Fideles ad adorandum Christum Dominum invitat, qui bonis tandem sit allaturus lucem, & gaudia in æternum permansura. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Hujus etiam Psalmi titulus a Nostris additus est, ex aliqua fortassis antiquorum traditione.

1. *Exsultet, lætentur*. Idem Hebræus futuro: Exsultabit, lætabuntur. *Terra*. Prosopopœja, vel metonymia; Terrarum & insularum incolæ.

2. *Caligo*. Nubes densissima & lucidissima, lux inaccessibilis Divo Paulo. *In circuitu*. Idem Hebræus suo loquendi modo. Circuitus ejus sunt nubes & caligo. *Correctio*. Aptatio, firmitas, basis, locus in quo res collocata firmatur. In præcedenti Psalmo idem verbum Vulgatus transtulit vers. 10. Etenim correxit. Ibi vide.

3. *Ante ipsum præcedet*. Idem Hebræus suo loquendi idiotismo: Faciebus ejus ibit. Venientem Judicem describit. *In circuitu*. Sic Hebræus: Circumcirca, undequaque. *Inimicos*. Hebræus: Infestos, tribulantes, qui se & fideles afflixerant. Minima variatio.

4. *Illuxerunt, &c.* Micarunt per orbem. Idem Hebræus: Illustrarunt, illuminarunt orbem fulgura. *Terræ*. Ad declarationem additum. *Commota est*. Sic etiam interpretati sunt Nostri superiori psalmo vers. 9. Hebræus: Doluit, cruciata est, ob hæc Judicii signa, & terrores. Prosopopœja, vel Metonymia.

5. *Fluxerunt*. Sic Hebræus: Liquefacti sunt; Igne conflagrationis. *A facie*. Hebræus pluraliter: A faciebus; ob præsentiam, & adventum Domini. *Omnis terra*. Fluet, liquescet, per zeugma. Nostri punctis immutatis legerunt אָרוֹן, quod nunc Hebræis est in regimine אֲדוֹן, Domini totius terræ. Sic & Græcus. Nullius fere momenti variatio.

6. *Annunciaverunt cæli*. Persistit in Prosopopœjis, & Metonymiis.

7. *Confundantur*. Sic Hebræus futuro: Confundentur, pudore & ignominia afficientur ob majestatem & potentiam tanti Judicis. *Omnes qui adorant*. Idem Hebræus: Omnes cultores, qui colunt, serviunt. *Sculptilia*. Hebræus singulariter collective: Sculptilis. *Et* Non habetur in Hebræo. *Simulacris*. Idem Hebræus: Idolis. Vide Thesaurum. *Adorate*. Vox hebræa est æquivoca. Nostris est imperativus, quemadmodum & Apostolus videtur explicare Hebr. 1. Adorent eum omnes Angeli Dei. Hebræis est præteritum, prout etiam orationis filo magis congruere videtur. Adoraverunt. Futura ut præsentia ponit ob oculos. Nulla sensus varietas. *Eum*. Hebræus suo idiotismo: Ei. *Angeli*. Vox hebræa אֱלֹהִים Deos, Angelos, Judices, & hujusmodi significat. Consule Thesaurum. *Ejus*. Ad declarationem additum. Nisi malles Nostros legisse אֱלֹהָיו cum affixo. Sed hæc minima.

8. *Audivit*. Sion, sive Ecclesi Fidelium Christum adventare sentiens summopere lætabitur propter beatitudinem proborum, & damnationem improborum mox futuram.

9. *Nimis*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Valde. *Deos*. Eadem vox, ut superius: אֱלֹהִים, Deos, Angelos, &c.

10. *Qui diligitis Dominum*. Idem Hebræus: Amatores Domini. *Malum*.

Neutrius generis. Vox hebræa est etiam masculina. Malum hominem, improbum. Vide Thesaurum. *Custodit, &c.* Vox hebræa est participium, quod pro verbo præsenti ponitur, prout in grammaticis rebus dictum est. Nostri addentes vocem *Dominus*, quæ non habetur in Hebræo, duas fecere periodos. Custodit, liberabit. Hebræis est Toar, & unica periodus. Custos animarum liberabit. Nullius fere ponderis variatio. *Sanctorum.* Sic transferunt Nostri. Hebræus: Piorum active, & passive. Consule Thesaurum. *Peccatoris.* Sic transferre Nostros, sæpius vidimus. Hebræus pluraliter: Injustorum, qui scelerum suorum pœnas tandem daturi sunt.

11. *Orta.* Suspicor Nostros non admodum difficili transitu legisse זָרַח, orta est: quod nunc Hebræis est זָרֻעַ, sata, quæ tandem colligetur in adventu Christi. Gaudia immortalia, voluptatesque indeficientes, locutione hac poetica satis eleganter exprimit. Lux & lætitia probis, vereque fidelibus sata est, quam in cælo colligent: quare merito lætandum est interim, & celebranda harum rerum omnium memoria.

12. *Sanctificationis.* Hebræus: Sanctitatis ejus. Tunc siquidem vere sanctus & justus apparebit, improbos condemnando, & probos bonis innumeris afficiendo.

PSAL. XCVIII. Lat. XCVII.

מזמור שירו ליהוה שיר חדש
כי נפלאות עשה הושיעה לו
ימינו וזרוע קדשו :

הודיע יהוה ישועתו לעיני
הגוים גלה צדקתו :

זכר חסדו ואמונתו לבית
ישראל ראו כל אפסי ארץ את
ישועת אלהינו :

הריעו ליהוה כל הארץ
פצחו ורננו וזמרו :

זמרו ליהוה בכנור בכנור
וקול זמרה :

בחצצרות וקול שופר הריעו
לפני המלך יהוה :

1. *Cantate DOMINO canticum novum, quia mirabilia fecit: salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctitatis ejus.*

2. *Notam fecit DOMINUS salutem suam, oculis gentium revelavit justitiam suam.*

3. *Recordatus est pietatis suæ, & veritatis suæ domui Israel: viderunt omnes termini terræ salutem Dei nostri.*

4. *Jubilate DOMINO omnis terra, erumpite, & ovate, & psallite.*

5. *Psallite DOMINO in cithara, in cithara, & voce psalmi.*

6. *In tubis, & voce tubæ jubilate facie bus regis DOMINI.*

1. Psalmus *ipsi David.* Cantate DOMINO canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus.

2. Notum fecit DOMINUS salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

3. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri.

4. Jubilate Deo omnis terra, cantate, & exsultate, & psallite.

5. Psallite DOMINO in cithara, in cithara, & voce psalmi:

6. In tubis *ductilibus* & voce tubæ *corneæ*. Jubilate in conspectu regis DOMINI.

7. Mo-

ירעם הים ומלאו תבל וישבי בה:	7. *Reboabit mare, & plenitudo ejus, orbis, & habitantes in eo.*	7. Moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis *terrarum*, & qui habitant in eo.
נהרות ימחאו כף יחד הרים ירננו:	8. *Flumina plaudent palma, simul montes ovabunt.*	8. Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt.
לפני יהוה כי בא לשפט הארץ ישפט תבל בצדק ועמים במישרים:	9. *Faciebus DOMINI, quoniam venit ad judicandam terram. Judicabit orbem in justitia, & populos in rectitudinibus.*	9. A conspectu DOMINI, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem *terrarum* in justitia, & populos in æquitate.

ANNOTATIONES.

EOdem cum præcedentibus psalmis argumento, fideles ad Christum celebrandum, qui, subjectis sibi omnibus, orbem sit judicaturus, carmine invitat suavissimo. Distinctionum varietates ex temetipso recognoscas velim.

1. *Ipsi David*. Non habetur in Hebræo, a Nostris forsitan additum ex antiquorum traditione. *Novum*. Vide superius psal. 96. 1. *Fecit*. Græcus addit Κύριος. *Sanctum*. Idem hebræo nomine substantivo: Sanctitatis suę. Dexteram, & brachium Dei salvare sibi, idest se, est idiotismus, morem humanum referens. Prostratis idolis, & devictis infidelibus, absorpta morte, peccato, diabolo, inferno, mundoque, Christus quodam modo se, suos autem præcipue propria virtute & potestate de manibus hostium eripuit.

2. *Salutare*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Salutem, auxilium a se partum. *In conspectu*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Oculis, ante oculos. *Justitiam*. Qua bonis bona, malis mala rependet, & qua justificat impios.

3. *Misericordiæ*. Sic Nostri transferunt. Hebræus: Pietatis. *Veritatis*. Fidei, firmitatis in præstandis promissis. Recordari pietatis & veritatis, alius est idiotismus. Idest, in gratiam, & favorem ejus exercere pietatis officia numquam interitura. Consule Thesaurum in hisce dictionibus. *Salutare*. Ut superius. Hebræus: Salutem, auxilium Dei, quo probos salvavit. *Viderunt*. Prosopopœja, vel Metonymia, prout superius in præcedenti psalmo. Sic etiam in sequentibus.

4. *Omnis terra*. Prosopopœja, vel Metonymia. *Cantate*. Verbum hebræum significat vocem jubilando extollere, in jubila erumpere. *Exsultate*. Idem fere Hebræus: Ovate, gestu & voce.

5. *Psallite*. Instrumentis musicis ludite; quod in sequentibus magis exprimit.

6. *Ductilibus, corneæ*. Duo epitheta a Nostris addita, ut diversa Buccinarum vocabula distinguerent, quæ dicuntur hebraice חֲצֹצְרָה, & שֹׁפָר. Vide Thesaurum. *In conspectu*. Sic Hebræus suo idiotismo: Faciebus, ante.

7. *Moveatur*. Non longe aliter Hebræus futuro: Reboabit, tonabit, mugiet, quod fit commotione. Persistit in Prosopopœjis, & Metonymiis. *Plenitudo ejus*. Pisces, vel Insulæ. *Terrarum*. Ad declarationem additum, ut sępius vidimus. *Orbis*. Hebræus: Terra habitabilis. *Qui habitant*. Sic Hebræus: Habitantes.

8. *Manu*. Hebræus idem: Palma. Poetica locutione dat palmas fluminibus.

bus. *Exsultabunt*. Hebræus idem fere: Ovabunt, gestu & voce. Prosequitur Prosopopœjis, & Metonymiis eleganter.

9. A conspectu. Vide superius psal. *96.* 13. quo in loco idem versiculus ad verbum fere legitur. *Terrarum*. Additum, ut superius. *Æquitate*. Hebræus pluraliter: Rectitudinibus; recte justeque.

PSAL. XCIX. *Latinis XCVIII.*

יהוה מלך ירגזו עמים ישב כרובים תנוט הארץ:	1. *DOMINUS regnavit, contremiscent populi, sessor Cherubim, nutabit terra*.	1. *Psalmus ipsi David*. DOMINUS regnavit, irascantur populi, qui sedes super cherubim, moveatur terra.
יהוה בציון גדול ורם הוא על כל העמים:	2. *DOMINUS in Sion magnus, & excelsus ipse super omnes populos*.	2. DOMINUS in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.
יודו שמך גדול ונורא קדוש הוא:	3. *Confitebuntur nomini tuo magno, & terribili, Sanctus ipsum*.	3. Confiteantur nomini tuo magno, *quoniam* terribile, & sanctum est.
ועז מלך משפט אהב אתה כוננת מישרים משפט וצדקה ביעקב אתה עשית:	4. *Et robur regis judicium diligit: tu parasti directiones, judicium & justitiam in Jacob tu fecisti*.	4. Et honor regis judicium diligit. Tu parasti directiones, judicium, & justitiam in Jacob tu fecisti.
רוממו יהוה אלהינו והשתחוו להדום רגליו קדוש הוא:	5. *Exaltate DOMINUM Deum nostrum, & adorate scabello pedum ejus, sanctum est*.	5. Exaltate DOMINUM Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, *quoniam* sanctum est.
משה ואהרן בכהניו ושמואל בקראי שמו קראים אל יהוה והוא יענם:	6. *Moses, & Aharon in sacerdotibus ejus, & Samuel in vocantibus nominis ejus, clamabant ad DOMINUM, & ipse respondebit eis*.	6. Moyses, & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Invocabant DOMINUM, & ipse exaudiebat eos.
בעמוד ענן ידבר אליהם שמרו עדתיו וחק נתן למו:	7. *In columna nubis loquetur ad eos, custodierunt testimonia ejus, et decretum*, quod *dedit illis*.	7. In columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia ejus, & præceptum, *quod* dedit illis.
יהוה אלהינו אתה עניתם אל נשא היית להם ונקם על עלילהם:	8. *DOMINE Deus noster tu respondisti eis, Deus, tollens fuisti eis, & ulciscens super adinventiones eorum*.	8. DOMINE Deus noster, tu exaudiebas eos, Deus *tu* propitius fuisti eis, & ulciscens in *omnes* adinventiones eorum.
רוממו יהוה אלהינו והשתחוו להר קדשו כי קדוש יהוה אלהינו:	9. *Exaltate DOMINUM Deum nostrum, & adorate monti sanctitatis ejus, quoniam Sanctus DOMINUS Deus noster*.	9. Exaltate DOMINUM Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus DOMINUS Deus noster.

ANNO-

ANNOTATIONES.

MOsis, Aharonis, & Samuelis exemplo, carmine satis eleganti fideles inducit ad adorandum Christum Dominum jam ubique regnantem. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Etiam hujus psalmi titulus a Nostris est additus, ex aliqua fortassis antiquorum traditione.

1. *Irascantur*. Idem fere Hebræus futuro: Contremiscent indignantes ob regni Christi novum ortum. Verbum Hebræum רגז iram, timorem, & tremorem, includit. Consule Thesaurum. *Qui sedes super Cherubim*. Hebræus participio præsenti: Sedens, sessor cherubim, regnavit, per zeugma. Nostris est precatio. O sedens, qui sedes super Cherubim, terra commoveatur, & perturbetur. Minimi momenti varietas. *Moveatur*. Hebræus futuro: Nutabit (ab hebræo verbo scilicet), movebitur. *Terra*. Prosopopœja, vel Metonymia. Idest, terrarum habitatores.

2. *Excelsus*. Hebræus emphatice addit pronomen Ipse, quod vice substantivi verbi ponitur: Est.

3. *Confiteantur*. Idem Hebræus futuro: Confitebuntur, celebrabunt. *Quoniam*. Suspicor Nostros Vav copulativum legisse transpositum, secus ac nunc habet Hebræus, & ideo subaudisse hic כִּי de suo, nempe sic: Confiteantur nomini tuo, נוֹרָא וְקָדוֹשׁ הוּא, terribile, & sanctum est: Quoniam timendum & sanctum est. Hebræi nunc conjunctim legunt: Celebrabunt nomen tuum magnum, וְנוֹרָא, & terribile, sanctum est. Potest nihilominus particula כִּי hic subaudiri: Quoniam sanctum est, vel, ut alii volunt, superius, sic: Confiteantur nomini tuo, quoniam magnum, & terribile. *Sanctum*. Nostri ad nomen referunt, Hebræus ad Deum. Sanctus est. Nomen Dei magnum & terribile. Idem tamen sensus; quod Deus, & nomen ejus unum sint.

4. *Honor*. Translatio sensus. Hebræus: Fortitudo, potentia, quæ Dei est honos. Altera ratio, cur nomen Dei sit celebrandum, propter fortitudinem, & æquitatis observantiam. *Regis*. Idest, tuus; nam Deum alloquitur in tertia persona, venerationis caussa. *Diligit*. Vox hebræa est Toar: Diligens, vel diligentis; quod parum vel nihil refert. *Parasti*. Aptasti, stabilivisti rectitudines, æquitatem quam diligis. Facere Judicium & Justitiam inter aliquos, est justum judicium exsequi. Vide Thesaurum.

5. *Scabellum*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Scabello pedum. Terram, vel Templum, vel Arcam fœderis, vel tandem cum Nostris, Humanitatem Christi intellige. *Quoniam*. Additum ex orationis filo ad declarationem.

6. *In sacerdotibus*. Constat etenim Mosem fuisse primum legis Sacerdotem. Levit. 8. *Inter eos*, &c. Idem Hebræus participio: In vocantibus nominis ejus, inter vocantes, invocantes nomen divinum. Samuel non Sacerdos, sed simplex Levita fuit, Sacerdotis tamen officia ex peculiari Dei privilegio exsecutus est. *Invocabant Dominum*. Idem Hebræus suo loquendi idiotismo: Vocabant, clamabant ad Dominum tam Moses & Aharon Sacerdotes, quam Samuel. *Exaudiebat eos*. Sic Hebræus futuro, suo loquendi modo: Respondebit, respondebat eos; quod est exauditionis signum.

7. *Loquebatur*. Idem Hebræus, licet futuro, quod pro aliis temporibus usurpari sæpius vidimus. Loquetur. Lege sacras historias. *Custodiebant*. Sic Hebræus præterito: Custodierunt, servarunt conte stationes ejus. *Præceptum*. Hebræa vox eam partem legis significat, quæ sola Principis voluntate fertur. Decretum, statutum. *Quod*. Additum ex orationis consequentia.

8. *Exau-*

8. *Exaudiebas*. Hebræus idem præterito: Respondisti. Quod exauditionis signum est. *Tu*. Ad emphasim a Nostris additum. *Propitius*. Translatio sensus. Hebræus: Tollens, levans; peccata scilicet; parcens. Vide Thesaurum. *Omnes*. Non habetur in Hebræo, quod nihil refert. *In adinventiones eorum*. Passive. Sic Hebræus: Super, contra opera eorum: Quæ patiebantur a malis. Vox hebræa tam in bonum, quam in malum sumitur, & relativa pronomina active, passive, & possessive usurpantur, uti docuimus in grammaticis rebus, & in Thesauro.

9. *In monte*. Hebræus dativo: Monti, montem; propter Deum scilicet illic habitantem, & eum sanctificantem: quod Nostri clarius reddiderunt. In monte. *Sancto*. Sic Hebræus substantivo de more linguæ: Sanctitatis.

PSALMUS C. Latinis XCIX.

מזמור לתודה הריעו ליהוה כל הארץ :	1. *Psalmus confessioni. Jubilate DOMINO omnis terra.*	1. Psalmus in confessione. Jubilate Deo omnis terra.
עבדו את יהוה בשמחה באו לפניו ברננה :	2. *Servite DOMINO in lætitia, venite faciebus ejus in ovatione.*	2. Servite DOMINO in lætitia. Introite in conspectu ejus in exsultatione.
דעו כי יהוה הוא אלהים הוא עשנו ולא אנחנו עמו וצאן מרעיתו :	3. *Scitote quoniam DOMINUS ipse est Deus: ipse fecit nos, & non nos, populus ejus, & oves pascuæ ejus.*	3. Scitote quoniam DOMINUS ipse est Deus: Ipse fecit nos, & non *ipsi* nos. Populus ejus, & oves pascuæ ejus.
באו שעריו בתודה חצרתיו בתהלה הודו לו ברכו שמו :	4. *Venite* in *portas ejus in confessione, atria ejus in laude, confitemini illi, benedicite nomini ejus.*	4. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi. Laudate nomen ejus.
כי טוב יהוה לעולם חסדו ועד דר ודר אמונתו :	5. *Quoniam bonus DOMINUS, æterno pietas ejus, & usque in ætatem & ætatem veritas ejus.*	5. Quoniam suavis *est* DOMINUS, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.

ANNOTATIONES.

Fideles ad celebrandum Deum servantem promissa fideliter, & ad eum sancte colendum, oratione quidem brevissima, sed ornata, facilique hortatur. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *In confessione*. Idem Hebræus dativo: Confessioni, pro confessione, ad celebrandum. *Deo*. Hebræus habet proprium ineffabile Jehovah. Domino. *Omnis terra*. Metonymia, & discordia vocum, non sensus: Universi mortales.

2. *Introite*. Sic Hebræus: Venite. *In conspectu ejus*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Faciebus ejus, an-

ante eum. *In exsultatione*. Non aliter fere Hebræus: In ovatione gestu & voce.

3. *Deus fecit nos*. Non solum creavit, sed innumeris ornavit beneficiis. Vide verbum hoc in Thesauro. *Et non*. Scribitur quidem etiam nunc constanter וְלֹא, sed legitur וְלוֹ; nam est vox ambigua, quo ad sensum, licet voce eadem, sed scriptura diversa sit. Nostrorum sensus est. Non enim ipsi nos fecimus, sed Deus factor, & creator noster est. Hebræus: Et ei nos populus, &c. Illius populus nos sumus, qui fecit nos. *Ipsi*. Ad emphasim a Nostris additum. *Populus ejus, &c.* Nostris vel appositorie superioribus connectitur, Et non ipsi nos; populus ejus; qui sumus populus ejus, &c. vel ponitur vocativi loco, & construitur cum sequentibus, O popule ejus introite, &c. Hebræus, ut diximus habet: Et ei nos populus ejus (supple, sumus), & oves pascuæ, quas pascit & regit. *Oves*. Idem Hebræus singulari nomine collectivo: Ovis grex.

4. *Introite*. Sic Hebræus: Venite. *Portas*. De more linguæ supplendum est cum Ad, vel In, præpositionibus. *In confessione*. Laude, gratiarum actione. *In hymnis*. Hebræus singulariter: In laude, hymno, & divinis honoribus. Portæ, & atria Dei, Templum & Ecclesiam innuunt, ubi ad celebrandum Deum fideles debent confluere. *Confitemini*. Celebrate, laudate. Sic Nostri transferunt verbum hoc. *Laudate nomen ejus*. Idem Hebræus: Benedicite nomini ejus. Benedicere Deo, in Hebræa lingua, est laudare, celebrare. Consule Thesaurum.

5. *Suavis*. Non longe aliter Hebræus: Bonus, benignus, beneficus. *Est*. A Nostris additum de more linguæ. Rationem reddit, cur Deus laudandus sit, nempe quia bonus & beneficus. Hebræus connectit cum sequentibus. Quia bonus Dominus, ob id ingentia, atque firmissima præstat beneficia. *In æternum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. *Misericordia*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietas, officium. *In generationem, & generationem*. Ætatem & ætatem, per singulas ætates, & generationes. *Veritas ejus*. Fides in promissis præstandis & servandis.



CRA-

GRADUS UNDECIMUS.

PSALMUS CI. Latinis C.

לדוד מזמור חסד ומשפט אשירה לך יהוה אזמרה :	1. *Davidis pſalmus. Pietatem, & judicium cantabo, tibi DOMINE pſallam.*	1. Pſalmus David. Miſericordiam, & judicium cantabo tibi DOMINE. Pſallam,
אשכילה בדרך תמים מתי תבוא אלי אתהלך בתם לבבי בקרב ביתי :	2. *Intelligam in via immaculata, quando venies ad me, perambulabo in innocentia cordis mei in medio domus meæ.*	2. *Et* intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.
לא אשית לנגד עיני דבר בליעל עשה סטים שנאתי לא ידבק בי :	3. *Non ponam coram oculis meis verbum belial, facere declinationes odivi: non adhærebit in me.*	3. Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam, facientes prævaricationem odivi. Non adhæſit mihi
לבב עקש יסור ממני רע לא אדע :	4. *Cor pravum recedet a me, malum non cognoſcam.*	4. Cor pravum: declinantem a me malignum non cognoſcebam.
מלושני בסתר רעהו אותו אצמית גבה עינים ורחב לבב אותו לא אוכל :	5. *Detrahentem in ſecreto proximo ſuo, ipſum exſcindam, altum oculorum, & latum corde, ipſum non potero.*	5. Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.
עיני בנאמני ארץ לשבת עמדי הלך בדרך תמים הוא ישרתני :	6. *Oculi mei in fideles terræ ad ſedendum mecum, ambulans in via immaculata, ipſe miniſtrabit mihi.*	6. Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.
לא ישב בקרב ביתי עשה רמיה דבר שקרים לא יכון לנגד עיני :	7. *Non habitabit in medio domus meæ faciens fraudem, loquens mendacia non firmabitur coram oculis meis.*	7. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.
לבקרים אצמית כל רשעי ארץ להכרית מעיר יהוה כל פעלי און :	8. *Matutinis exſcindam omnes injuſtos terræ, ad exſcindendum de civitate DOMINI omnes operatores iniquitatis.*	8. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut diſperderem de civitate DOMINI omnes operantes iniquitatem.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Fideles, & præſertim Judices, qua ratione ſuam, & familiæ vitam inſtituant, oratione præ manibus ſemper haberi digna, exemplo ſui eleganter inſtruit. Congruit Chriſto. Varius ſatis eſt Vulgatus ab Hebræo tam in ſententiarum diſtinctionibus, quam in verborum translatione, cujus varietatis cauſſas in medium nos proferre conabimur.

1. *Pſalmus David*. Hebræus: Davidi, vel Davidis pſalmus. Lamed in Hebræa lingua dativo, & genitivo ſervit. Arbitror autem, non nihil intereſſe inter hæc duo, Pſalmus David, & Davidi Pſalmus, prout alibi docebimus. *Miſericordiam*. Sic transferunt Noſtri, ut ſæpius vidimus. Hebræus: Pietatem, & judicium cantabo. Quibus me, & meos tam familiares, quam ceteros ſubditos, regere ſtudeo. Ceteræ interpretationes longius recedunt a veritate litteræ. Non diſplicet tamen, quod quidam hanc pietatem, & judicium interpretentur de Deo, quaſi dicat: O Deus, tibi canam ſemper, ſive pietatem, ſive judicium in me exerceas; ut concordet cum illa ſententia Pſalm. 34, Benedicam Dominum in omni tempore. Pietas in juvando & ſublevando, Judicium in omnibus recte & juſte adminiſtrandis verſatur. *Tibi Domine*. Noſtri cum ſuperiori verbo conjungunt: Tibi canam, ut tibi gratias agam. Hebræus cum ſequenti: Tibi pſallam, inſtrumentis muſicis; quam pietatem, & quod judicium aveo decantare. Nullius fere momenti varietas.

2. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Intelligere in via immaculata*, integra, eſt idiotiſmus, pro Animum ad innocentiam, & integritatem adjicere. *Quando venies ad me*. Ut ſapientius & perfectius inſiſtam innocentiæ, cum meos conatus ipſe juvaveris. *Perambulabam*. Omnia verba hujus pſalmi ſunt futuri temporis, quod pro aliis poni, & præſertim loco præteriti imperfecti, docuimus in grammaticis rebus. *Perambulabo*. Ambulare in integritate cordis in medio domus tuæ, eſt idiotiſmus, pro Recte, ſancte, pie, & fideliter res proprias curare.

3. *Proponebam*. Hebræus futuro: Ponam. *Ante oculos*. Idem Hebræus: Coram oculis: cui dictioni præponitur eleganter Lamed dativi articulus in lingua Hebræa: quaſi diceres, Oppoſito (loco) oculorum meorum. *Rem*. Vox hebræa Verbum, & Rem ſignificat. Vide Theſaurum. *Injuſtam*. Belial, inutilem, legi contrariam. *Facientes*. Arbitror, Noſtros punctis immutatis legiſſe עֹשֵׂה, Facientem, quod illi pluraliter reddiderunt. Nunc Hebræis eſt infinitivus עֲשֹׂה, Facere. Non magni ponderis varietas. *Prævaricationem*. Translatio ſenſus. Hebræus pluraliter: Declinationes. Hebraiſmus. Facere declinationes, eſt Operari erronea, quæ declinant, deviant a lege divina. Talia agere odi, odio habui. *Adhæſit*. Hebræus futuro: Adhærebit. *Mihi*. Hebræus ſuo loquendi modo: In me. Supple, hujuſmodi actio operandi declinationes, per protozeugma. Noſtri conjungunt verbum hoc cum ſequentibus, uti vides in textu.

4. *Declinantem*. Suſpicor, Noſtros, detracto Jod, legiſſe סוּר Pahul verbi Cal. Niſi malles יָסוּר eis eſſe nomen Toar: Recedentem; qui a me jam receſſit, propterea quod agnoſcit, mihi ſe placere non poſſe. Nunc Hebræis eſt futurum præcedenti nomini additum. Cor pravum recedet a me. *Malignum*. Vox hebræa eſt maſculini generis, ſed pro neutro etiam uſurpatur. Noſtri in primo: Virum malum, malignum non fovebam. Hebræus in neutro genere ſumit: Malum, rem malam. *Cognoſcebam*. Hebræus futuro: Cognoſcam. Quid ſit malum, non agnoſcam, nedum operabor.

5. *Secreto*. Hebræus addit prætpo-

fitionem In, de more linguæ. *Proximo*. Græcus habet: τῶν πλησίον αὐτοῦ. *Hunc*. Idem Hebræus: Ipſum. *Perſequebar*. Uſque ad internecionem. Hebræus futuro clarius habet: Exſcindam. Malos aulicos pingit. *Superbo oculo*, *&c.* Puto, Noſtros ſic interpretatos eſſe, quod vocalibus immutatis legerint, אִתּוֹ לֹא אוּכַל, cum hoc non edam; pro eo quod nunc eſt אוֹתוֹ לֹא אוּכַל, Ipſum non potero; non ſufferam; ferre non potero. Noſtris verbum eſt ab אָכַל; Hebræis abs יָכֹל, quæ faciunt eandem perſonam primam in futuro. Vide Theſaurum. Quod autem ait, Superbo oculo, translatio ſenſus eſt. Hebræus: Altum oculorum; qui altos habet oculos. Superbi deſcriptio. *Inſatiabili*. Iterum translatio ſenſus. Hebræus: Latum corde. Avarum, vel certe ambitioſum, & hujuſmodi, qui nullis ſatiantur vel divitiis, vel honoribus, hos ferre nequaquam potero. Genebrardus putat, eclipſim ineſſe litteræ hebraicæ, quam Noſtri interpretati ſint: Superbum oculis, & latum corde, eum non poteram; ad menſam (ſupple) recipere; quod vereor, ne frivolum ſit.

6. Ad. Hebræus: In fideles, fidos, ſtabiles, veraces. *Ut ſedeant*. Hebræus idem gerundio: Ad ſedendum, habitandum, ut mei ſint familiares. Ambulare in via immaculata, eſt idiotiſmus, pro Integrum, & innocentem ſe conſervare. *Miniſtrabat*. Hebræus futuro: Miniſtrabit, ſerviet.

7. *Qui facit*. Idem Hebræus: Faciens. *Superbiam*. Suſpicor, Noſtros facili vocis tranſitu legiſſe רָכָב, Altum, altitudinem, quam ſuperbiam ipſi dixerunt, pro eo quod nunc Hebræus habet רְמִיָּה, Fraudem, dolum. *Qui loquitur*. Hebræus iterum participio: Loquens. *Iniqua*. Hebræus: Mendaia. Non magni ponderis varietas. *Direxit*. Arbitror, Noſtros paucis immutatis legiſſe יָכִין ex hiphil, Direxit, ſupple viam ſuam, ideſt, non proſperavit apud me; quod nunc Hebræis eſt ex niphal יִכּוֹן, Firmabitur, ſtabilietur. *In conſpectu*, *&c.* Idem Hebræus: Coram oculis meis, ante me. Eſt eadem dictio, de qua ſupra verſ. 3.

8. *In matutino*. Idem Hebræus, licet dativo plurali: Matutinis, ſingulo mane, mature, tempeſtive; antequam invaleſcerent. *Interficiebam*. Hebræus futuro: Exſcindam, ut verſ. 5. *Peccatores*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſtos; improbos, & ſceleratos. *Ut diſperderem*. Hebræus gerundio, & ſuperioris verbi ſynonymo: Ad exſcindendum. *Operantes iniquitatem*. Idem Hebræus: Operatores, factores iniquitatis.



PSAL-

PSALMUS CII. Latinis CI.

תפלה לעני כי יעטף ולפני יהוה ישפך שיחו :	1. *Oratio pauperi, cum anxius fuerit, & faciebus DOMINI effundet eloquium suum.*	1. Oratio pauperis, cum anxius fuerit, & coram DOMINO effuderit precem suam.
יהוה שמעה תפלתי ושועתי אליך תבוא :	2. *DOMINE audi orationem meam, & clamor meus ad te veniet.*	2. DOMINE exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.
אל תסתר פניך ממני ביום צר לי הטה אלי אזנך ביום אקרא מהר ענני :	3. *Ne celaveris facies tuas a me, in die angustia mihi, inclina ad me aurem tuam, in die vocabo te, velociter responde mihi.*	3. Non avertas faciem tuam a me; in *quacumque* die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In *quacumque* die invocavero te, velociter exaudi me.
כי כלו בעשן ימי ועצמותי כמוקד נחרו :	4. *Quia defecerunt in fumo dies mei, & ossa mea sicut focus aruerunt.*	4. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.
הוכה כעשב ויבש לבי כי שכחתי מאכל לחמי :	5. *Percussum est, ut herba, & aruit cor meum, quia oblitus sum a comedendo panem meum.*	5. Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.
מקול אנחתי דבקה עצמי לבשרי :	6. *A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.*	6. A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.
דמיתי לקאת מדבר הייתי ככוס חרבות :	7. *Similis factus sum pellicano solitudinis, fui sicut nycticorax desolationum.*	7. Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum, sicut nycticorax, in domicilio.
שקדתי ואהיה כצפור בודד על גג :	8. *Vigilavi, & fui sicut passer solitarius super tecto.*	8. Vigilavi, & factus sum, sicut passer, solitarius in tecto.
כל היום חרפוני איבי מהוללי בי נשבעו :	9. *Tota die exprobraverunt me inimici mei, gloriabundi mei in me juraverunt.*	9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adversum me jurabant.
כי אפר כלחם אבלתי ושקוי בבכי מסכתי :	10. *Quia cinerem tamquam panem manducavi, & potus meos in fletu miscui.*	10. Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.
מפני זעמך וקצפך כי נשאתני ותשליכני :	11. *A faciebus indignationis tuæ, & furoris tui, quia elevasti me, & projecisti me.*	11. A facie iræ, & indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.

ימי כצל נטוי ואני כעשב איבש :	12. *Dies mei ficut umbra inclinata , & ego ficut herba arefcam .*	12. Dies mei ficut umbra declinaverunt , & ego ficut fœnum arui .
ואתה יהוה לעולם תשב וזכרך לדר ודור :	13. *Tu autem DOMINE feculo fedebis , & memoria tui ætati , & ætati.*	13. Tu autem , DOMINE , in æternum permanes , & memoriale tuum in generationem , & generationem .
אתה תקום תרחם ציון כי עת לחננה כי בא מועד :	14. *Tu furges , mifereberis Sion , quia tempus gratiæ ejus , quia venit tempus præfixum .*	14. Tu exfurgens *Domine* mifereberis Sion : quia tempus miferendi ejus , quia venit tempus .
כי רצו עבדיך את אבניה ואת עפרה יחננו :	15. *Quoniam voluerunt fervi tui lapides ejus , & pulveris ejus miferebuntur .*	15. Quoniam placuerunt fervis tuis lapides ejus , & terræ ejus miferebuntur .
וייראו גוים את שם יהוה וכל מלכי הארץ את כבודך :	16. *Et timebunt gentes nomen DOMINI , & omnes reges terræ gloriam tuam .*	16. Et timebunt gentes nomen *tuum* DOMINE , & omnes reges terræ gloriam tuam .
כי בנה יהוה ציון נראה בכבודו :	17. *Quia ædificavit DOMINUS Sion , vifus eft in gloria fua .*	17. Quia ædificavit DOMINUS Sion , & videbitur in gloria fua .
פנה אל תפלת הערער ולא בזה את תפלתם :	18. *Refpexit ad orationem myricæ , & non fprevit precem eorum .*	18. Refpexit in orationem humilium , & non fprevit precem eorum .
תכתב זאת לדר אחרון ועם נברא יהלל יה :	19. *Scribatur hoc ætati alteri , & populus creatus laudabit Dominum .*	19. Scribantur hæc in generatione altera , & populus , qui creabitur , laudabit Dominum .
כי השקיף ממרום קדשו יהוה משמים אל ארץ הביט :	20. *Quia profpexit de excelfo fanctitatis fuæ , DOMINUS de cælo ad terram afpexit .*	20. Quia profpexit de excelfo fancto fuo , DOMINUS de cælo in terram afpexit .
לשמע אנקת אסיר לפתח בני תמותה :	21. *Ad audiendum gemitum compediti , ad folvendum filios mortis .*	21. Ut audiret gemitus compeditorum , ut folveret filios interemptorum .
לספר בציון שם יהוה ותהלתו בירושלם :	22. *Ad narrandum in Sion nomen DOMINI , & laudem ejus in Jerufalem .*	22. Ut annuncient in Sion nomen DOMINI , & laudem ejus in Jerufalem .
בהקבץ עמים יחדו וממלכות לעבד את יהוה :	23. *In congregando populos in unum , & regna ad ferviendum DOMINO.*	23. In conveniendo populos in unum , & reges , ut ferviant DOMINO .
ענה בדרך כחו קצר ימי :	24. *Afflixit in via vim meam , abbreviavit , dies meos .*	24. Refpondit *ei* in via virtutis fuæ , paucitatem dierum meorum

25. nun-

אמר אלי אל תעלני בחצי ימי בדור דורים שנותיך :	25. *Dicam, Deus mi ne facies me ascendere in dimidio dierum meorum, in ætate ætatum anni tui.*	25. nuncia mihi. Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.
לפנים הארץ יסדת ומעשה ידיך שמים :	26. *Olim terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cæli.*	26. Initio *tu Domine* terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.
המה יאבדו ואתה תעמד וכלם כבגד יבלו כלבוש תחליפם ויחלפו :	27. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes illi sicut pannus veterascent, & sicut vestimentum mutabis eos, & mutabuntur.*	27. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.
ואתת הוא ושנותיך לא יתמו:	28. *Tu autem ipse, & anni tui non perficientur.*	28. Tu autem *idem* ipse es, & anni tui non deficient.
בני עבדיך ישכנו וזרעם לפניך יכון :	29. *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum faciebus tuis dirigetur.*	29. Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur.

ANNOTATIONES.

Calamitatibus, & ruinis oppressum hominem poetice describens, quibus verbis, & qua ratione Deum oret, ut sibi tandem, & fidelibus omnibus promissam det salutem, artificiose satis & eleganter insinuat. Argumentum psalmi ex ipso quidem titulo satis clarum est, sed orationis filum paulo obscurius; quin & Vulgatus non parum variat ab Hebræo, tam in sententiarum distinctionibus, quam in verborum translationibus, cujus varietatis caussas, Deo favente, nos in medium proferre conabimur.

1. *Pauperis*. Vox hebræa afflictum vel paupertate, vel miseriis aliis significat, & est dativi casus, quamvis Lamed usurpetur etiam pro genitivo, prout docuimus in Grammatica. Pauperi, afflicto, pro misero fusa oratio. *Coram Domino*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Faciebus Domini, ante Dominum. *Effuderit*. Idem Hebræus: Effundet; versabit. *Precem suam*. Sic Hebræus fere: Eloquium suum. Animo sane ob miserias perturbato, inordinate orationem effunderet, quod ut recte possit facere, hunc precandi modum ei proponimus.

2. *Exaudi*. Pro simplici Audi positum. *Veniat*. Idem Hebræus futuro: Veniet.

3. *Non avertas*. Hebræus futuro: Ne celaveris, abscondes. Minima varietas. *Faciem tuam*. Hebræus pluraliter: Facies tuas. *Quacumque*. Additum ex orationis sententia. *In die tribulor*. Idem Hebræus suo loquendi modo: In die angustia, afflictio, tribulatio mihi. Supple, est. Inclinare aurem ad aliquem, idiotismus notus. *Quacumque*. Additum, ut superius. *Invocavero te*. Sic Hebræus: Vocabo te. *Velociter*. Vox hebræa potest etiam esse verbum: Accelera, festina. Idem sensus. *Exaudi*. Hebræus: Responde; quod exauditionis signum est.

4. *Sicut*

4. *Sicut fumus.* Nostri facillimo transitu Beth in Caph legerunt כְּעָשָׁן, quod nunc Hebræis est בְּעָשָׁן, In fumo; tenues evanescunt in auras. Nullius ponderis varietas. *Sicut cremium.* Quod frigitur, vel res crematu facilis. Hebræus: Sicut focus adustus, vel sicut torris. Vide Thesaurum. Torres deficere in fumo, & ossa arere, sicut focum, sunt locutiones poeticæ satis ornatæ, quibus hominem mœstissimum, cujus corpus præ animi dolore macie conficiatur, describit eleganter.

5. *Percussus sum.* Verbum hebræum refertur ad cor: Percussum est. Nullius fere momenti varietas. *Ut fœnum.* A fine. Hebræus: Ut herba. *Comedere.* Hebræus gerundio: A, vel de comedendo. Vel quod non esset cibi appetitus præ nimia calamitate, & angustia, vel quod tempus edendi congruum servare non possem. *Panem meum.* Ut antea. Nunc enim præ miseriis cogor alienum mendicare panem.

6. *A voce.* Propter vocem suspirii, propter suspiria corpus exsuccum factum est, adeo ut ossa carni adhæreant, nulla intermedia crassitudine. Quidam carnem, idest cutem, interpretantur; quidam viscera exponunt, quæ carnis nomine comprehenduntur. Maciem corporis exaggerat.

7. *Pellicano, Nycticorax.* Voces hebrææ quid significent, incertum est. Consule Thesaurum. *Solitudinis.* Deserti; qui solitudinem incolit, hominum aspectum refugiens. *Factus sum.* Hebræus: Fui. Nullius momenti variatio. *In domicilio.* In ædium ruinis, & parietinis. Hebræus: Desolationum; qui versatur in desolatis locis. More avium lucifugarum, & tristium, vito hominum consortia, & in tenebris adactus veluti carmen lugubre semper effundo.

8. *Factus sum.* Hebræus: Fui, ut superius. *Passer.* Nomen hebræum quamlibet aviculam significat. *Solitarius.* Solus, aliarum avicularum consortia vitans. *In tecto.* Sic Hebræus: Super tecto.

9. *Exprobrabant.* Idem Hebræus: Exprobraverunt. *Es.* Non habetur in Hebræo. *Qui laudabant me.* Quasi legerint Nostri paucis immutatis מְהַלְלַי, Laudantes me, ironice; quod nunc Hebræis est מְהוֹלָלַי, Gloriabundi mei, de me gloriantes, & ludicra in me jactantes; vel quos, uti vanos & gloriabundos, nihili faciebam. *Adversum me.* Hebræus: In me, per me, me sibi statuunt pro exsecrandi formula, & sic, adversum me. Minima varietas. *Jurabant.* Hebræus idem: Juraverunt, dicentes, fiam sicut ille miser, & hujusmodi.

10. *Manducabam.* Hebræus idem: Manducavi. *Poculum meum.* Continens pro contento. Hebræus pluraliter: Potus meos, potiones meas. *Cum.* Sic Hebræus suo loquendi modo: In fletu. *Miscebam.* Idem Hebræus: Miscui. Manducare cinerem tanquam panem, & Miscere potum in fletu, sunt exaggerationes poeticæ.

11. *A facie.* Hebræus pluraliter: A faciebus. Hebraismus. Idest, Propter. *Iræ indignationis tuæ.* Hebræus distinguit hæc nomina conjunctione Et. Indignationis tuæ, & furoris tui. Sic Græcus. Nullius fere ponderis variatio. *Elevans allisisti me.* Idem Hebræus suo loquendi modo: Elevasti me, & projecisti me. Idiotismus elegans. Magna vi & impetu me sublatum, in terram abjecisti. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore cadant.

12. *Declinaverunt.* Arbitror, Nostros litteris transpositis legisse נְטוּי verbaliter, ad dies referentes: quod nunc Hebræis est participium נָטוּי, ad umbram relatum. Sicut umbra inclinata fit assidue major ad occasum tendens, jam jamque in tenebras evanescens. Nulla sensus variatio. *Sicut fœnum.* A fine, ut superius. Hebræus: Sicut herba, quæ demessa, vel solis ardore percussa fit fœnum. *Arui.* Hebræus idem futuro: Arescam.

13. *In æternum.* Sic Hebræus dativo,

tivo, suo loquendi modo: Seculo; æterno. *Permanes*. Hebræus idem futuro: Sedebis, manebis, permanebis. *Memoriale tuum*. Passive. Sic Hebræus: Memoria tui. *In generationem & generationem*. Hebræus dativo, suo loquendi more: Ætati, & ætati, per singulas ætates & generationes. Argumentatur artificiose, modesteque conqueritur, suis temporibus non fieri salutem promissam, cum sit mortalis, & variis afflictus calamitatibus, mox alio transmigraturus, quamvis Deus sit immortalis, & in promissis servandis verax, itidemque Ecclesia Dei, pretioso Christi sanguine redempta, sit perpetuis duratura temporibus. Deum æternum, omnipotentem, & veracem esse fatetur, qui olim Sionem, idest Ecclesiam, sit ædificaturus. Fideles in genere, vel universaliter, uti loquuntur Logici, stabiles coram Deo, & permanentes esse continue, se autem, uti singularem, miseriis addictum, usque ad salutem ipsam durare posse, prope desperat.

14. *Exsurgens*. Hebræus futuro: Surges. Idiotismus. *Domine*. Nec in Hebræo, nec in Græco habetur. Ad declarationem additum. *Miserendi*. Vox hebræa est amphibola, aliis gerundium, aliis vero nomen dativi casus, & aliquibus est cum affixo, aliquibus sine eo. Ad miserendum, ad conferendum ei gratiam, vel gratiæ ejus. Idem semper sensus. *Quia venit tempus*. Nostris est epizeuxis; Hebræis vero est sententia caussativa reddens rationem, cur misereri debeat, suntque duo nomina diversa עֵת tempus, & מוֹעֵד tempus certum, præfixum, & constitutum. Consule Thesaurum. Cur alteram tempus miserendi esse, hæc est ratio, quod tempus constitutum ad salutem jam pervenerit, cujus occasio non sit prætermittenda. Non maximi tamen ponderis variationem esse crederem.

15. *Placuerunt servis tuis*. Translatio sensus. Hebræus: Voluerunt servi tui, gratos habuerunt lapides; parietinæ Sionis tuis cultoribus gratæ sunt. Altera miserendi ratio. *Terræ*. Hebræus: Pulveris ejus, & sic Nostris accipitur hic Terra.

16. *Tuum*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco, sed tantum nomen Domini. Nostri fortasse legerunt שִׁמְךָ, & ob id in vocativo transtulerunt: Domine. Nullius momenti variatio. Cadit autem in sequentem hic versus, & est salutis futuræ vaticinium.

17. *Et*. Non habetur nunc in Hebræo, sed fortassis olim ג אתה legebatur. *Videbitur*. Hebræus præterito: Visus est. Ponit enim sibi ob oculos futura tanquam præterita, de promissionibus Dei nihil titubans.

18. *In orationem*. Hebræus: Ad orationem. *Humilium*. Vox hebræa est numeri singularis collective, nec satis certum est, quid proprie significet. Myricam, vel aliud virgultum humile humi repens, proprie sonare autumant. Et sic Nostri metaphoram explicarunt. Potest etiam Excitatum exprimere, idest, quem afflictiones, miseriæ, calamitatesque vigilem reddiderunt. Consule Thesaurum. Fideles innuit collective, ut diximus, & ob id addit pluraliter: Nec sprevit precem, orationem eorum.

19. *Scribantur hæc*. Hebræus singulariter, & futuro: Scribetur hæc, hoc; nam fœmininum usurpant Hebræi pro neutro, quo carent; ut in Grammatica. Idem Græcus. *In generatione altera*. Hebræus dativo: Ætati posteriori, generationi alteri, idest ad posteritatem, vel de posteritate scribetur hoc, quod dixi, nempe Deum ædificasse Sionem, &c. *Qui creabitur*. Hebræus participio: Creatus, populus Christianus, quem Deus creavit & genuit verbo veritatis. Nulla varietas. *Dominum*. In Hebræo est nomen Dei Jaha, de quo in Thesauro.

20. *Sancto suo*. Idem Hebræus substantivo: Sanctitatis suæ. *In terram*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Ad terram. Incipit narrare, qui scribentur fructus visitationis, & redemptionis.

21. *Ut*

21. *Ut audiret*. Hebræus idem gerundio: Ad audiendum. *Gemitus compeditorum*. Hebræus ſingulariter: Gemitum compediti, vincti. *Ut ſolveret*. Hebræus iterum gerundio: Ad ſolvendum, aperiendum; liberandum. *Interemptorum*. Hebræus ſubſtantivo rei: Internecionis. Filii internecionis ſunt, qui paſſim, & ſine cauſſa occiduntur, necibus objecti. Noſtris filii mortis ſunt Interfectorum nepotes. Non maximi ponderis varietas.

22. *Ut annuncient*. Hebræus gerundio: Ad narrandum, prædicandum; ut prædicent nomen, famam, & laudem Dei inter fideles.

23. *In conveniendo*. Hebræus: In congregando, paſſivum. Quando congregabuntur, convenient populi, &c. *Reges*. Metonymia. Hebræus: Regna. *Ut ſerviant*. Hebræus gerundio: Ad ſerviendum. Pendet e ſuperiore. Narrabunt, inquit, in Sion laudem tuam, quando populi, & regna ad te colendum eodem convenerint.

24. *Reſpondit, &c.* Noſtri procul dubio paucis immutatis, & præcipue punctis vocalibus legerunt עָנָה בַדֶּרֶךְ כֹּחוֹ קֹצֶר יָמַי אֱמֹר אֵלַי, Reſpondit (populus fidelium videlicet) in via virtutis ſuæ (ideſt ſecundum ſuas vires, toto conatu & ſtudio) paucitatem dierum meorum dic mihi; quod nunc Hebræis eſt עִנָּה בַדֶּרֶךְ כֹּחִי קִצַּר יָמָי, Afflixit in via vitam meam, abbreviavit dies meos. Poſtea ſequitur, אֹמַר אֵלִי Dicam, mi Deus, &c. Verba ſunt afflicti, qui licet de ſalute univerſali nihil dubitet, ad querelas tamen proprias revertitur, & vitæ diuturnitatem, ac perſecutionum mitigationem deprecatur, quo Dei beneficium, & ſalutem perpetuam, quemadmodum ipſe eſt perpetuus & æternus, cum aliis fidelibus lætus accipiat. Eſt enim parentheſis a verſ. 13. uſque ad hunc verſiculum; quod notes velim. Expendamus nunc ſingula verba. *Reſpondit*. Verbum hebræum in Cal Reſpondere, affligi; in Pihel Affligere, & hujuſmodi ſignificat. Vide Theſaurum. Noſtri ad Populum, referunt Hebræus ad Deum. *Via virtutis*. Noſtris eſt idiotiſmus. Ideſt, pro modulo virtutis & potentiæ, cujus tamen alterum exemplum in totis Bibliis non invenies, ut arbitror. *Virtutis ſuæ*. Sic interpretari ſolent dictionem כֹּחַ, ut alibi etiam vidimus, & facili tranſitu Jod in Vav legerunt כֹּחוֹ. Hebræus diſtinguit bas dictiones, & legit כֹּחִי, Afflixit in via vim meam. Genebrardus primum de cobærentia dubitat, quam a verſiculo 13. deducunt Hebræi, ut ſuperius diximus. Secundo dubitat de ſuppoſito, dum aliis, inquit, de repente eſt hoſtis, aliis Deus. At Hebræis toto pſalmo ſemper eſt Deus infeſtus huic miſero, licet tandem ſalutem omnibus fidelibus prædicat eſſe venturam. Tertio denique dubitat, quid hic ſignificet *In via*. Hebræis eſt idiotiſmus, ideſt, dum vivo, dum in via hujus ſeculi ſum. Vel certe, vim meam afflixit, virtutem, & habitudinem corporis debilitavit in via, ideſt itineribus continuis, dum propter miſerias locus certus & fixus mihi non conceditur. Alias expoſitiones prætereo. *Paucitatem*. Noſtri legerunt קֹצֶר, vel קִצַּר, brevitatem, quod nunc Hebræis verbum eſt קִצַּר, Abbreviavit, paucos reddidit dies meos.

25. *Nuncia*. Noſtri legerunt אֱמֹר, Dic, quod nunc Hebræis eſt futurum אֹמַר, Dicam. *Mihi*. Particula אֵל Hebræis eſt ambigua, quam Noſtri legerunt אֵלַי, Ad me, Hebræus autem אֵלִי, Deus mi. *Ne revoces me*. Idem Hebræus futuro, ſuo loquendi modo: Ne elevabis me: ne facies me aſcendere. Idiotiſmus elegans, pro, Ne me tollas de hoc mundo, ne moriar ante tempus, neque videam conſolationis diem. *In generationem & generationem*. Hebræus: In ætate ætatum; generationem generationum. Nulla varietas.

26. *Initio*. Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus, olim, antea. *Tu Domine*. Ad declarationem additum.

Ope-

Opera. Hebræus ſingulariter: Opus; quod nihil refert.

27. *Permanes*. Hebræus futuro: Stabis, permanebis, durabis. *Omnes*. Hebræus emphatice addit, Illi, de more linguæ. *Veſtimentum*. Hebræus: Pannus, quo fiunt veſtimenta. Nullius momenti variatio. *Sicut opertorium*. Ideſt, indumentum. Sic Hebræus: Sicut veſtimentum mutabis, alterabis, innovabis eos.

28. *Idem*. Ad majorem declarationem additum. Hebræus: Et tu ipſe; ſupple, es, æternus videlicet; prorſus invariatus, immutabilis, & verum ens. *Deficient*. Sic Hebræus: Perficientur; finem, abſolutionem non accipient anni tui; æternitas tua nunquam deficiet.

29. *Habitabunt*. In æternum ſcilicet, per hypozeugma. *In ſeculum*. Translatio ſenſus; ne dicam Noſtros non admodum difficili vocis tranſitu legiſſe לְעוֹלָם. Hebræus dativo: Faciebus tuis, ante te, coram te, quamdiu durabis, durabis autem ſemper, filiosque, & ſemen ſervorum tuorum, quos per Euangelium genuerunt Apoſtoli, hujus tuæ æternitatis, quæ tua eſt benignitas, participes efficies, ut tecum in cælo ævum ſempiternum beati & prorſus felices degant, quamvis interim in hoc mundo ſæpius afflictiones, miſerias, & calamitates patiantur innumeras.

PSALMUS CIII. Lat. CII.

לדוד ברכי נפשי את יהוה וכל קרבי את שם קדשו :	1. *Davidis. Benedic anima mea DOMINUM, & omnia penetralia mea nomen ſanctitatis ejus.*	1. Ipſi David. Benedic anima mea DOMINO, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.
ברכי נפשי את יהוה ואל תשכחי כל גמליו :	2. *Benedic anima mea DOMINUM, & ne oblivisceris omnes retributiones ejus.*	2. Benedic anima mea DOMINO, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.
הסלח לכל עונכי הרפא לכל תחלואיכי:	3. *Qui parcit omni iniquitati tuæ, qui medetur omnibus infirmitatibus tuis.*	3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.
הגואל משחת חייכי המע המעטרכי חסד ורחמים :	4. *Qui redimit de fovea vitam tuam, qui coronat te pietate, & miſerationibus.*	4. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.
המשביע בטוב עדיך תתחדש כנשר נעוריכי :	5. *Qui ſatiat in bono ornatum tuum, renovabitur ut aquilæ juventutes tuæ.*	5. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.
עשה צדקות יהוה ומשפטים לכל עשוקים:	6. *Faciens juſtitias DOMINUS, & judicia omnibus injuriam patientibus.*	6. Faciens miſericordias DOMINUS, & judicium omnibus injuriam patientibus.

יודיע דרכיו למשה לבני ישראל עלילותיו:	7. *Notas faciet vias ſuas Moſi, filiis Iſrael actiones ſuas.*	7. Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas.
רחום וחנון יהוה ארך אפים ורב חסד:	8. *Miſerator, & benignus DOMINUS, longitudinis narium, & multus pietate.*	8. Miſerator, & miſericors DOMINUS, longanimis, & multum miſericors.
לא לנצח יריב ולא לעולם יטור:	9. *Non victoriæ jurgabitur, neque ſeculo ſervabit.*	9. Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur.
לא כחטאינו עשה לנו ולא כעונותינו גמל עלינו:	10. *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.*	10. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.
כי כגבה שמים על הארץ גבר חסדו על יראיו:	11. *Quoniam ſecundum altitudinem cæli ſuper terra corroborata eſt pietas ejus ſuper timentes ſe.*	11. Quoniam ſecundum altitudinem cæli a terra, corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.
כרחק מזרח ממערב הרחיק ממנו את פשעינו:	12. *Sicut elongari ortus ab occidente, longe fecit a ſe prævaricationes noſtras.*	12. Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis iniquitates noſtras.
כרחם אב על בנים רחם יהוה על יראיו:	13. *Sicut miſereri patris ſuper filios, miſertus eſt DOMINUS ſuper timentes ſe.*	13. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt DOMINUS timentibus ſe.
כי הוא ידע יצרנו זכור כי עפר אנחנו:	14. *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam pulvis nos.*	14. Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus.
אנוש כחציר ימיו כציץ השדה כן יציץ:	15. *Homo, ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri, ſic efflorebit.*	15. Homo, ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorebit.
כי רוח עברה בו ואיננו ולא יכירנו עוד מקומו:	16. *Quoniam ventus tranſivit in illo, & non ipſe, & non cognoſcit eum amplius locus ejus.*	16. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.
וחסד יהוה מעולם ועד עולם על יראיו וצדקתו לבני בנים:	17. *Pietas autem DOMINI ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum, & juſtitia illius filiis filiorum.*	17. Miſericordia autem DOMINI ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Et juſtitia ejus in filios filiorum
לשמרי בריתו ולזכרי פקדיו לעשותם:	18. *Obſervatoribus teſtamenti ejus, & memoribus mandatorum ejus ad faciendum ea.*	18. His qui ſervant teſtamentum ejus. Et memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.

יהוה בשמים הכין כסאו ומלכותו בכל משלה:	19. *DOMINUS in cælo paravit sedem suam, & regnum ipsius in omni dominatum est.*	19. DOMINUS in cælo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.
ברכו יהוה מלאכיו גברי כח עשי דברו לשמע בקול דברו:	20. *Benedicite DOMINUM angeli ejus potentes roboris, factores verbi illius, ad audiendum in voce verbi ejus.*	20. Benedicite DOMINO *omnes* angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.
ברכו יהוה כל צבאיו מ משרתיו עשי רצונו:	21. *Benedicite DOMINUM omnes exercitus ejus, ministri ejus factores voluntatis ejus.*	21. Benedicite DOMINO omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.
ברכו יהוה כל מעשיו בכל מקומות ממשלתו ברכי נפשי את יהוה:	22. *Benedicite DOMINUM omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus, benedic anima mea DOMINUM.*	22. Benedicite DOMINO omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus; benedic anima mea DOMINO.

ANNOTATIONES.

SE, fideles omnes, Angelos, omnia tandem excitat eleganti carmine, ad innumerabilia Dei beneficia prædicanda. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Ipsi David.* Sic Hebræus: Davidi, vel Davidis; nam Lamed utrique casui servit, ut in Grammatica. *Benedic.* Lauda, extolle, gratias age, nam sic exponitur verbum hoc, cum sermo est de Deo. *Anima mea.* Se ipsum vocat sic, & nomen Domini, Dominum, poetice. *Domino.* Verbum hebræum regit accusativum: Dominum. Sic etiam, Nomen Domini; quod nihil refert. *Quæ intra me sunt.* Penetralia, interiora mea, cor, pectus, &c. per prosopopœjam, vel cogitationes, & hujusmodi, per metonymiam. *Sancto.* Hebræus substantivo, de more linguæ: Sanctitatis ejus.

2. *Noli oblivisci.* Hebræus futuro: Ne oblivisceris, obliviscaris. Nulla varietas. *Retributiones.* Beneficia, quæ in te contulit.

3. *Propitiatur.* Parcit, remittit. *Omnibus iniquitatibus tuis.* Hebræus singulariter: Omni iniquitati tuæ. *Sanat.* Qui finis est medicinæ. Hebræus: Medetur. *Omnes infirmitates tuas.* Morbos & ægritudines tam corporis, quam animæ. Verbum hebraicum regit dativum: Omnibus ægritudinibus tuis.

4. *Redimit.* Vindicat, liberat, eripit. *De interitu.* A fine. Vox hebræa foveam, & corruptionem significat. Foveam comitatur interitus, & hunc sequitur corruptio. *In.* Non habetur in Hebræo, sed ablativus absolute. *Misericordia.* Sic transferunt Nostri. Hebræus: Pietate. Coronare pietate, & miserationibus, est Innumeris beneficiis ornare.

5. *Replet.* Hebræus: Satiat, quod fit repletione. *In bonis.* Hebræus singulariter: In bono. *Desiderium tuum.* Explicatio metonymiæ. Hebræus: Ornatum, ornamentum tuum. Hunc ornatum quidam simpliciter, quidam autem os, buccam exponunt. Vide Thesaurum. Qui abunde tibi confert, quidquid ad ornatum vel corporis, vel animæ pertinens desideras. *Juventus tua.* Vox hebræa est pluralis pro usu linguæ: Juventutes tuæ; quod nihil refert. De re-

renovatione aquilæ vide Plinium, & alios.

6. *Miſericordias*. Translatio ſenſus. Hebræus: Juſtitias. *Judicium*. Hebræus pluraliter: Judicia. Facere juſtitias, & judicia alicui, eſt idiotiſmus elegans; pro Vindicare eum ab omnibus injuriis, & ultionem de injurias infligentibus ſumere, quæ Dei miſericordia eſt in patientes injuriam. *Injuriam patientibus*. Sic Hebræus: Defraudatis. Vulgo agl' ingiuriati. Vide Theſaurum.

7. *Notas fecit*. Hebræus idem futuro: Notas faciet, faciebat. *Vias ſuas*. Studia, actiones, legem, & hujuſmodi. Vox multarum ſignificationum, ut in Theſauro. *Voluntates*. Hebræus: Actiones, opera, & ſtudia ſua, quæ vult nos imitari.

8. *Miſericors*. Hebræus: Benignus, humanus, gratioſus, ſi liceret dicere, gratiam conferens, optima quæque ſemper largiens. Epitheta Dei Moſi revelata. Vide Exod. 34. *Longanimis*. Idem. Hebræus ſuo loquendi idiotiſmo: Longitudinis narium, longus naribus, ideſt tardus ad nares commovendas, ad excitandam iram. Vide Theſaurum. *Multum miſericors*. Ut interpretantur Noſtri ſemper vocem hanc. Idem fere ſenſus in Hebræo: Multus pietate, beneficus, officioſus, etiam in ingratos.

9. *In perpetuum*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi idiotiſmo: Victoriæ, in victoriam, ut ſuperet; ideſt, In perpetuum. *Iraſcetur*. Translatio ſenſus. Hebræus: Rixabitur; jurgabit, litem intendet, quod irati ſignum eſt. *In æternum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Æterno, ſeculo. *Comminabitur*. Ut ſolent hi, qui ſervant iram in aliquem. Translatio ſenſus. Verbum hebræum ſervare iram, odium, ad ulciſcendum aliquando, ſignificat, injuriæ acceptæ memorem eſſe. Vide Theſaurum.

10. Non facere ſecundum peccata, nec retribuere ſecundum iniquitates alicujus, ſunt idiotiſmi non inelegantes, pro Non reddere talionem, & pœnas meritas.

11. *Altitudinem*. Vox hebræa poteſt eſſe infinitivus, ut etiam in ſequentibus: Secundum elevari, ut elevantur cæli, quanta eſt elevatio cæli. *A*. Hebræus ſuo loquendi modo: Super, ſupra terras. Comparatio poetica. *Corroboravit*. Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis in Pihel active גִּבַּר, quod nunc Hebræis eſt Cal neutrum גָּבַר, Roborata eſt, prævaluit. Idiotiſmus. Ideſt, maxima & copioſa fuit. Græcus addit Κύριος. *Miſericordiam ſuam*. Sic transferre Noſtros, ſæpius diximus. Hebræus: Pietas ejus, beneficia ejus in nos ſunt immenſa.

12. *Quantum diſtat*. Alia comparatio poetica. Hebræus infinitivo: Sicut elongari, elongatur, diſtat ortus ab occaſu. *A nobis*. Particula hebraica eſt ambigua tam primæ, quam tertiæ perſonæ. Noſtris eſt primæ. Tantum a nobis removit delicta noſtra, tam ante, quam poſt peccatum. Hebræis eſt tertiæ: Rejecit a ſe, noluit ea videre, ne dum punire; quod maximæ pietatis ſignum eſt. Minimi ponderis variatio.

13. *Quomodo miſeretur*, &c. Sic Hebræus infinitivo, ſuo loquendi modo: Sicut miſereri patris ſuper filios. *Timentibus*. Hebræus ſuo idiotiſmo: Super timentes ſe.

14. *Figmentum*. Formationem noſtram; quales formati fictique ſumus, nempe fragilis naturæ, & imbecillis. *Recordatus eſt*. Vox hebræa eſt participium ſimplex paſſivum. *Sumus*. Sic Hebræus pronomine: Nos. Supple, ſumus. Ex pulvere conditi in pulverem redimus.

15. *Homo ſicut fœnum*. Comparatio poetica in Scripturis Sacris non infrequens. Eſt autem idiotiſmus hebræus. Ideſt, Hominis dies ſunt ut fœnum, nam Homo nominandi caſus non habet, quo referatur.

16. *Spiritus*. Vox hebræa de omni ſpiritu dicitur. Vide Theſaurum. Ventum hic ſignificat, licet Genebrardus autumet, Noſtros pro Anima poſuiſſe, ſed ob-

obstant voces, *In illo*, quamvis conetur interpretari, ab illo, scilicet Homine. Idem tamen sensus est semper, vel de vento in florem efflante, vel de spiritu ab homine migrante exponas; nam Hebræus persistit in comparatione, quam Nostri explicant. *Pertransibit*. Hebræus præterito: Transivit in illo flore. *Non subsistet*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Et non ipse. Supple, est, subsistit, permanet. *Cognoscet*. Hebræus addit pronomen affixum: Eum. *Locum suum*. Hebræis est nominativus: Locus ejus. Locum non cognoscere aliquem, est idiotismus pulcherrimus, pro Nunquam reverti ad locum pristinum.

17. *Misericordia*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Pietas, beneficentia. *Usque in seculum*. Etiam post mortem hominis. *In filios*. Sic Hebræus dativo: Filiis filiorum, nepotibus.

18. *His qui, &c.* Sic Hebræus dativo, & participio: Observatoribus testamenti, fœderis ejus, & memoribus, &c.

19. *Paravit*. Firmavit, stabilivit, aptavit thronum suum regium, ut perpetuum regnum. *In omnibus*. Sic Hebræus singulariter: In omne, in omni re. *Dominabitur*. Hebræus præterito: Dominatum est, jam usque a principio.

20. *Domino*. Hebræus habet accusativum, de more linguæ: Dominum. *Omnes*. Non habetur in Hebræo; quod parum, vel nihil refert. *Virtute*. Sic transferunt Nostri dictionem כֹּחַ, ut alibi vidimus. Hebræus genitivo: Roboris; viribus valentes. *Facientes verbum*. Sic Hebræus: Factores verbi; qui jussa ejus exsequimini. *Ad audiendam vocem*. Hebræus addit præpositionem In: Ad audiendum in voce; idest, ad obtemperandum. Vide Thesaurum. *Sermonum*. Hebræus superiorem vocem repetit singulariter: Sermonis ejus. Minimæ varietates.

21. *Domino*. Hebræus: Dominum; ut superius. *Virtutes*. Sic interpretari Nostros, sæpius docuimus. Hebræus: Exercitus ejus, Angeli reliqui, stellæ, & hujusmodi. Consule Thesaurum in dictione צָבָא. *Qui facitis voluntatem*. Non aliter Hebræus: Factores voluntatis ejus.

22. *Domino*. Hebræus: Dominum, ut superius. *Omnia opera ejus*. Omnes res ab eo procreatæ, ad quas continuo beneficia Dei dimanant. *In omni loco*. Hebræus pluraliter: In omnibus locis dominationis ejus. Superius autem dixerat, regnum ejus omnibus dominari; quare sequitur, nihil excipi ab hac laude. *Domino*. Dominum, ut superius.



PSALMUS CIV. Latinis CIII.

		Ipsi David.
ברכי נפשי את יהוה יהוה אלהי גדלת מאד הוד והדר לבשת:	1. *Benedic anima mea DOMINUM, DOMINE Deus meus magnificatus es valde, majestatem, & decorem induisti.*	1. Benedic anima mea DOMINO: DOMINE Deus meus, magnificatus es vehementer. Confessionem, & decorem induisti.
עטה אור בשלמה נוטה שמים כיריעה:	2. *Amiciens lumen sicut vestimentum, extendens cælos sicut cortinam.*	2. Amictus lumine sicut vestimento, extendens cælum sicut pellem.
המקרה במים עליותיו השם עבים רכובו המהלך על בנפי רוח:	3. *Qui contabulat in aquis cubicula sua, qui ponit nubes vehiculum suum, qui ambulat super alas venti.*	3. Qui tegis aquis superiora ejus. Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.
עשה מלאכיו רוחות משרתיו אש להט:	4. *Qui facit angelos suos spiritus, ministros suos ignem urentem.*	4. Qui facis angelos tuos, spiritus, & ministros tuos, ignem urentem.
יסד ארץ על מכוניה בל תמוט עולם ועד:	5. *Fundavit terram super bases ejus, non commovebitur in seculum & æternum.*	5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.
ההום כלבוש כסיהו על הרים יעמדו מים:	6. *Abyssum tanquam vestimento contexisti eum; super montes stabunt aquæ.*	6. Abyssus sicut vestimentum, amictus ejus: super montes stabunt aquæ.
מן גערתך ינוסון מן קול רעמך יחפזון:	7. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui celeriter aufugient.*	7. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.
יעלו הרים ירדו בקעות אל מקום זה יסדת להם:	8. *Ascendent montes, descendent vallibus, ad locum hunc quem fundasti eis.*	8. Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum, quem fundasti eis.
גבול שמת בל יעברון בל ישבון לכסות הארץ:	9. *Terminum posuisti, ne transgredientur, neque convertentur ad operiendam terram.*	9. Terminum posuisti, quem non transgredientur, ne*que* convertentur operire terram.
המשלח מעינים בנחלים בין הרים יהלכון:	10. *Qui emittis fontes in convallibus, inter montes incedent.*	10. Qui emittis fontes in convallibus, inter *medium* montium pertransibunt *aquæ*.
ישקו כל חיתו שדי ישברו פראים צמאם:	11. *Potabunt omnem bestiam agri, frangent feræ sitim suam.*	11. Potabunt omnes bestiæ agri, exspectabunt onagri *in* siti sua.

12. Su.

עליהם עוף השמים ישכון מבין עפאים יתנו קול :

12. *Super eos volucer cæli habitabit, de medio frondium dabunt vocem.*

12. Super ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.

משקה הרים מעליותיו מפרי מעשיך תשבע הארץ :

13. *Rigans montes de cubiculis suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.*

13. Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.

מצמיח חציר לבהמה ועשב לעבדת האדם להוציא לחם מן הארץ :

14. *Germinans gramen jumento, & herbam servituti hominis ad educendum panem de terra.*

14. Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum. Ut educas panem de terra,

ויין ישמח לבב אנוש ל להצהיל פנים משמן ולחם לבב אנוש יסעד :

15. *Et vinum lætificabit cor hominis ad exhilarandum facies præ oleo, & panis cor hominis confirmabit.*

15. Et vinum lætificet cor hominis. Ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

ישבעו עצי יהוה ארזי לבנון אשר נטע :

16. *Saturabuntur ligna DOMINI, cedri Libani, quas plantavit.*

16. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit.

אשר שם צפרים יקננו חסירה ברושים ביתה :

17. *Ubi passeres nidificabunt, herodii abietes domus* ejus.

17. Illic passeres nidificabunt. Herodii domus dux est eorum,

הרים הגבהים ליעלים ס סלעים מחסה לשפנים :

18. *Montes excelsi capreis, petræ confugium cuniculis.*

18. Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis.

עשה ירח למועדים שמש ידע מבואו :

19. *Fecit lunam temporibus constitutis, sol cognovit occasum suum.*

19. Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum.

תשת חשך ויהי לילה בו תרמש כל חיתו יער :

20. *Pones obscuritatem, & erit nox, in ipsa reptabit omne animal silvæ.*

20. Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.

הכפירים שאגים לטרף ו ולבקש מאל אכלם :

21. *Leunculi rugientes prædæ, & ad quærendum a Deo escam suam.*

21. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi.

תזרח השמש יאספון ואל מעונתם ירבצון :

22. *Orietur sol, congregabuntur, & ad cubilia sua recubabunt.*

22. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.

יצא אדם לפעלו ולעבדתו עדי ערב :

23. *Exibit homo operi suo, & operationi suæ usque ad vesperam.*

23. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.

מה רבו מעשיך יהוה כלם בחכמה עשית מלאה הארץ קניניך :

24. *Quam magnificata sunt opera tua DOMINE, omnia ipsa in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

24. Quam magnificata sunt opera tua DOMINE, omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.

25. Hoc

זה הים גדול ורחב ידים שם רמש ואין מספר חיות קטנות עם גדולות :	25. *Hoc mare magnum, & latum manibus, illic reptile, & non est numerus, animalia pusilla cum magnis.*	25. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis.
שם אניות יהלכון לויתן זה יצרת לשחק בו :	26. *Illic naves pergent, leviathan iste, quem formasti ad ludendum in eo.*	26. Illic naves pertransibunt. Draco iste, quem formasti, ad illudendum ei.
כלם אליך ישברון לתת אכלם בעתו :	27. *Omnia ista ad te exspectabunt ad dandum escam illorum in tempore suo.*	27. Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore.
תתן להם ילקטון תפתח ידך ישבעון טוב :	28. *Dabis illis, colligent, aperies manum tuam, saturabuntur bonitate.*	28. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam *omnia* implebuntur bonitate.
תסתיר פניך יבהלון תסף רוחם יגועון ואל עפרם ישובון :	29. *Abscondes facies tuas, turbabuntur, colliges spiritum eorum, deficient, & ad pulverem suum revertentur.*	29. Avertente *autem* te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.
תשלח רוחך יבראון ותחדש פני אדמה :	30. *Emittes spiritum tuum, creabuntur, & renovabis facies terræ.*	30. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.
יהי כבוד יהוה לעולם ישמח יהוה במעשיו :	31. *Erit gloria DOMINI seculo, lætabitur DOMINUS in operibus suis.*	31. Sit gloria DOMINI in seculum: lætabitur DOMINUS in operibus suis.
המביט לארץ ותרעד יגע בהרים ויעשנו :	32. *Respiciens terræ, & contremiscet, tanget in montes, & fumigabunt.*	32. Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.
אשירה ליהוה בחיי אזמרה לאלהי בעודי :	33. *Cantabo DOMINO in vitis meis, psallam deo meo in adhuc ego.*	33. Cantabo DOMINO in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu sum.
יערב עליו שיחי אנכי אשמח ביהוה :	34. *Jucundum erit super eum eloquium meum, ego lætabor in DOMINO.*	34. Jucundum sit ei eloquium meum, ego *vero* delectabor in DOMINO.
יתמו חטאים מן הארץ ורשעים עוד אינם ברכי נפשי את יהוה הללו יה :	35. *Deficient peccatores a terra, & injusti amplius non ipsi, benedic anima mea DOMINUM. Hallelujaha.*	35. Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non sint: benedic anima mea DOMINO.

ANNO-

ANNOTATIONES.

UNiversalem rerum creationem admirabilem, dominatumque Dei, necnon ipsius providentiam in omnibus, carmine, & stylo decantat elegantiori. Distinctionum varietates ex temetipso recognoscas velim.

Ipsi David. Nullus est titulus in Hebræo, sed a Nostris additus, quod forsitan ex antiqua traditione auctorem hujus psalmi esse Davidem ex præcedentis titulo receperint.

1. *Domino*. Hebræus habet accusativum, ut sæpius monuimus: Dominum. *Vehementer*. Sic Hebræus: Crevisti, granduisti, magnus effectus es valde. *Confessionem*. Nostri deducunt vocem ab הודה, confiteri. Idest, laudem; laudis & confessionis materiam. Hebræis Hε radicale est, & majestatem exponunt. Non magni ponderis varietas. Induere majestatem & decorem, est idiotismus pro Totum admirandum, & laudabilem evadere.

2. *Amictus*. Hebræus participio præsenti: Amiciens, vestiens, circa se plicans lumen, claritatem, lucem inaccessibilem, tamquam vestimentum. Nulla varietas. *Cælum*. Vox hebræa est pluralis natura: Cælos. *Sicut pellem*. Hebræus: Sicut cortinam, quæ fit ex pellibus expansis. Hinc Cælum vocatur רקיע, idest expansio.

3. *Qui tegis*. Nostri persistunt in secunda persona, & ob id transierunt mox relativum pronomen Ejus, uti videbimus. Hebræus in tertiam mutat, & sic in sequentibus nunc secunda, nunc tertia utitur, ut solet hæc lingua, præsertim cum de Deo loquitur. Est autem translatio sensus. Hebræus: Qui contignat, contabulat, contignationem ponendo tegit. *Aquis*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ. *Superiora ejus*. Nostri pronomen referunt ad cælum stellarum, cujus superiora contegantur aqueo, sive crystallino cælo. Hebræus: Cubicula, cœnacula. Supremas domus partes vocat hoc nomine, & pronomen ad Deum refert. Cœnacula sua, cubicula sua. Poetica locutione cælos nominat cœnacula Dei, quæ contignantur aquis in media regione aeris: philosophatur enim poetice de creatione rerum. *Ponis*. Hebræus tertia persona: Ponit. *Nubem*. Hebræus pluraliter: Nubes. *Ascensum tuum*. Quas inscendis, & agis pro libito, ut adsis celerius. Idem fere Hebræus: Vehiculum, currum suum. Nostri secundam personam retinent, quod nihil refert. *Ambulas*. Hebræus tertia: Ambulat. *Pennas*. Idem Hebræus: Alas. *Ventorum*. Hebræus singulariter: Venti. Ponere nubes currum, & Ambulare super alas venti, sunt idiotismi poetici, pro Nubes & ventos agere, quo vis; & celeriter accurrere, sicut equus currit & recurrit, agiturque quocunque sessoris voluntas tulerit.

4. *Facis.... tuos*. Hebræus tertia persona: Facit .... suos. *Et*. Non habetur in Hebræo. At quoniam oratio est ambigua, Nostrorum sensus est, quod Deus facit angelos suos *ut* spiritus, idest spirituales, vel tam celeres ad exsequenda mandata, quam sunt venti; & ministros (qui idem sunt ac angeli) *ut* ignem flammantem, idest tam mobiles, agiles, & efficaces, quam est flamma, ignis. Hebræorum autem sensus est, quod hic nulla fiat mentio de angelis incorporeis, sed persistat vates in recensendis rebus aeriis, quæ serviant imperio Dei. Qui facit, inquiunt, spiritus, idest ventos (nam vox hebræa utrumque significat) angelos, seu nuncios suos, ut desiccando mare rubrum, & hujusmodi; & ignem urentem ministros suos, uti quando Sodomitas consumpsit, & alibi. Utrumque sensum retineri posse crediderim, nec obstare, quod D. Paulus de sanctis Angelis hæc interpretetur.

5. *Fundasti*. Hebræus: Fundavit. *Stabilitatem suam*. Idem Hebræus pluraliter: Super bases, sedes suas firmas

G & sta-

& ſtabiles. Ideſt, Quæ nunquam a ſuo ſtatu dimoveri poterit. Genebrardus centrum ipſum terræ ſtabilitatem & baſim interpretatur. Ego potius circumferentiam ipſam terram ambientem, modo dicas aquam, modo aerem, eleganter & poetice baſim, & ſtabilitatem Terræ dicerem; quæ divina voluntate, omni re fortiore, & conſilio Dei ſic firmata, nunquam dimovebitur. *Non inclinabitur*. Idem fere Hebræus: Non commovebitur. Non poteſt autem moveri, quin inclinetur in alteram partem. *In ſeculum ſeculi*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: (In) ſeculum & æternum.

6. *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus*. Locus ſatis difficilis, & ob id valde perpendendus. Noſtri putant כסיתו eſſe nomen, legentes כְּסִיתוֹ, vel כְּסוּתוֹ, facili vocis tranſitu, & pronomen ad terram referunt: Amictus ejus terræ eſt abyſſus inſtar veſtimenti. Olim aquæ contegebant univerſam terræ ſuperficiem, & nunc etiam mare, ſicut veſtimentum, quod præter faciem, manus, & pedes, corpus reliquum tegit, terram operit, exceptis locis hominum & belluarum habitationi deſtinatis. Hebræis nunc verbum eſt, licet eumdem agnoſcant ſenſum. Abyſſo, inquiunt, tamquam veſtimento contexiſti eam, terram ſcilicet. Vel in principio creationis, vel ut nunc mare. Sciendum tamen eſt pronomen illud in Hebræo maſculini generis eſſe; quare videndum eſt, ad quid referatur. Et quidem terræ nomen, quod in præcedenti verſiculo ponitur, eſt generis communis, ſed fœminini ſæpius. Abyſſus inſuper nunc in maſculino, nunc in fœminino genere uſurpatur. Conſule Theſaurum. Quidam interpretatur ſic: Abyſſus (eſt) ſicut veſtimentum, quod (poſtea) contexiſti. His eclipſibus utitur, quod תְּהוֹם non aquas omnes, vel mare ſignificet, ut Noſtris, & Hebræis placet, ſed Abyſſum, aquarum immenſarum voraginem, in profundiorem locum; & quod pronomen illud maſculinum ad terram relatum, duriuſcule poſitum videatur. Ego cenſeo locum ſic nos interpretari poſſe: Abyſſum tanquam veſtimento contexiſti (eam); ut Eam in latina vacet oratione, phraſi hebraica ſolita, quæ antecedens & relativum in eadem ſententia ponit. Contexiſti abyſſum tanquam veſtimento; ut ſi veſtimento eam cooperuiſſes. Eſt quidem Abyſſus in Scriptura Sacra proprie centrum terræ concavum, in quo Deus aquarum voraginem, & immenſitatem repoſuit. Hunc locum, quis non videt, eſſe contectum, & non contegere? Sed videndum, a qua re contegatur. Dubio procul a terra, de qua in præcedenti verſiculo fit mentio, contegitur; licet mihi magis placeat, ſi protrahatur in ſequentibus ſententia, ſic: Contexiſti abyſſum, tamquam veſtimento, (quæ) ſuper montes ſtabunt (ſtabant), aquis. Hæc docte ſic interpretari nos poſſe ex puritate linguæ, docebimus alibi, ne modo longiores ſimus, quam nobis propoſuimus. *Stabunt*. Ut experimento videmus quotidie; vel ſtabant (nam futura hebræa ponuntur ornate pro imperfectis, ut in Grammaticis) antequam juſſu Dei congregarentur in locum unum.

7. *Ab increpatione, a voce*. Propter increpationem, propter vocem. *Fugient*. Vel Fugiebant. Per proſopopœjam tribuit ſenſum aquis. *Formidabunt*. Hebræus: Celeriter aufugient, trepidabunt, ideſt trepide properabunt, vel properabant. Vide Theſaurum. Præterita reſpiciunt ad juſſionem Dei in principio creationis, futura ad imbres, & tempeſtates quotidianas; quod notes velim.

8. *Aſcendunt*. Hebræus futuro: Aſcendent, aſcendebant. *Montes*. Noſtris eſt nominandi caſus, nam arbitrantur eſſe phraſim hebraicam, montes aſcendere, ideſt, altos apparere in ſuo loco, fugientibus aquis, emergere. Hebræus perſiſtit in deſcriptione aquæ, & *Montes* eſt accuſativi caſus. Aſcendent, inquit, (aquæ) montes. Idem

fu-

superius dixerat, Super montes stabunt aquæ. Mira quidem res est, aquas in abyssis conclusas, in montibus etiam inveniri, prout naturalis docet philosophia, & quotidianum experimentum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Descendunt*. Hebræus iterum futuro: Descendent, descendebant. *Campi*. Nostri sic transtulerunt, putantes alteram esse phrasim, Campos descendere, idest, apparere, qui antea confusi, & mersi erant aquis. Sed obstat, quod verbum hebræum est masculini generis & nomen fœmininum, a paucis, ne dicam nullis, observatum. Hebræus non campos, sed valles habet, loca ima; & de aquis adhuc loquitur: Ascendent (ait) aquæ montes, & descendent vallibus, (in) valles, in locum, quem eis fundasti, & stabilivisti in terra cuniculis & venis. Mirum est, aquas in procliviorem locum semper decurrere, & tamen in altissimis etiam locis semper inveniri, quod Dei consilio & voluntate factum esse, nullus sanæ mentis velim dubitet. *In locum*. Hebræus: Ad locum hunc; sive montis, sive vallis, quem fundasti. *Eis*. Juxta Nostros quidem, montibus & campis: juxta Hebræos vero, Aquis.

9. *Quem non transgredientur*. Sic Hebræus: Ne transgredientur, transgrediantur, prætereant. *Neque*. In Hebræo non habetur conjunctio Et. *Ne convertentur*. Convertantur, redeant. *Operire*. Idem Hebræus gerundio: Ad operiendum, ad contegendam terram, sicut prius.

10. *In convallibus*. Vox hebræa Valles, & flumina significat. Vide Thesaurum. *Inter medium montium*. Sic Hebræus: Inter montes. *Pertransibunt*. Incedent, pergent. Supple, Fontes. *Aquæ*. A Nostris additum ad declarationem.

11. *Potabunt*. Fontes scilicet, potum præbebunt; nam verbum hebræum est transitivum, & utilitas Fontium per convalles scatentium explicatur ad Dei providentiam & sapientiam commendandam. *Omnes bestiæ*. Hebræus singulariter collective, & accusativo casu: Omnem bestiam, omne animal. Animal agri, sunt animalia silvestria, feræ. *Exspectabunt*. Haustum fontium, ut sitim exstinguant. Nostri facillimo transitu Scin dextri in sinistrum legerunt יִשְׂבְּרוּ, vel יְשַׂבְּרוּ, arbitrabuntur, considerabunt, exspectabunt; quod nunc Hebræis est יִשְׁבְּרוּ, Frangent, confringent sitim suam. Frangere sitim est Hebraismus ornatus. Consule Thesaurum. *Onagri*. Nostri meminerunt onagrorum, sive asinorum silvestrium, quod hoc animal sit exustum & sitibundum, deserta semper incolens. Hebræa vox generalis est ad omnes feras significandas; quam etiam dictionem ex hebraica provenire crederem. *In*. A Nostris additum necessario, de more linguæ, ob translationem verbi præcedentis. Hebræus: Sitim suam.

12. *Super ea*. Hebræus: Super eos, fontes; juxta eas, aquas. Vulgatus Græcum secutus, qui aquas neutro genere profert, inquiens ἐπ᾽ αὐτὰ, sic transtulit. *Volucres, habitabunt*. Idem Hebræus singulariter collective: Volucris, avis. *Cæli*. Hebræus pluraliter: Cælorum. *Petrarum*. Hebræus: Frondium. Nullius fere ponderis varietas. Aves in medio rupium, & frondium secus aquas habitare solent, & canere. *Voces*. Hebræus singulariter: Vocem. Dare vocem, est Canere.

13. *Rigans montes de superioribus suis*. Hebræus poetice: De cœnaculis suis, quæ contignavit aqua, uti superius versiculo 3, ubi eamdem dictionem posuit. Ibi vide. De cælo pluviam demittens, et rigans montes, potum dans montibus, fontes efficit. De fructu operum, qui provenit ab aquis, quæ dant stirpibus & frugibus incrementum, formam, & ornatum, repletur terra. Hi divinæ providentiæ fructus sunt.

14. *Producens*. Idem Hebræus: Germinans, pullulare faciens; Deus scilicet. *Fœnum*. A fine. Hebræus: Gramen. *Jumentis*. Sic Hebræus singulari-

lariter collective: Jumento, bestiæ. *Servituti*. Ad servitutem, cultum, dum colitur terra. *Hominum*. Hebræus iterum singulariter collective: Hominis. Terra ex se producit gramen, sed accedente servitute & opera hominis, herbam, & fruges profert. *Ut educas*. Hebræus gerundio: Ad educendum, intercedente hominis opera, nempe aratione, satione, &c. *Panem*. Fruges, e quibus panis conficitur, per metonymiam.

15. *Lætificat*. Hebræus futuro: Lætificabit. Ad educendum etiam, inquit, vinum, quod lætificabit, lætificare solet humanum cor. *Ut exhilaret*. Translatio sensus. Hebræus gerundio: Ad exhilarandum, nitefaciendum, hinnire faciendum, proprie, præ nitedine. Vide Thesaurum. *Faciem*. Hebræus pluraliter: Facies. *In oleo*. Nostri forsitan legerunt in suo textu בְּשֶׁמֶן, In oleo, mediante oleo; quod nunc Hebræis est מִשֶּׁמֶן, præ oleo, plusquam oleum; nam vinum vultum reddit hilarem. Nisi malles, eos intellexisse, De, ex oleo, ut nunc afferatur utilitas olei, quod faciem reddit pellucentem, aut unctione veteribus solita, aut lumine lucernæ. Hebræus in vino persistit. *Confirmet*. Hebræus futuro: Confirmabit, corroborabit, robustum reddet, fulciet.

16. *Ligna campi*. Nostri forsitan alium habuere textum; nam Hebræus nunc legit: Ligna, arbores. *Domini*. Sic appellat arbores Libani, ut mox sequitur. Vel est idiotismus, ut in Thesauro; idest, Arbores procerissimas, quæ non humano cultu crescunt, sed Deum cultorem habent, & saturantur aquis. Crescentes videlicet irrigatione. *Et*. Non habetur in Hebræo, sed declarat, quas dixerit Arbores Domini, nempe cedros Libani, quas Deus solus plantavit, dum vim locis indidit, ut silvescerent, & eas fœcundis imbribus irrigat, formosasque & virides conservat. Græcus habet: Plantasti.

17. *Illic*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Quod illic; ubi scilicet. *Passeres*. Aves quælibet. *Herodii*. Vox hebræa Ciconiam significat. Consule Thesaurum. Herodium etiam ciconiam putat esse mansuetam volucrem Suidas, aut ciconiæ genus. *Domus dux est eorum*. Suspicor, Nostros legisse facillimo vocis transitu חֲסִידָה בְּרֹאשָׁם בֵּיתָהּ, Herodius in capite eorum (passerum) domum suam. Supple, habet. Vel, Herodii in capite eorum domus (ejus). Supple, est. Ut vacet *Ejus* in Latina oratione, quod usurpat Hebraica, prout alibi docuimus. Hos idiotismos Nostri explicarunt dicentes, Domum herodii esse ducem aliarum avium, imperantem illis, quia celsiorem aliis nidum in edito locatum primus struit herodius. Hebræus nunc habet בְּרוֹשִׁים, Herodii, abietes (sunt) domus (ejus). Hebræus antecedentem, & relativum in eadem sententia ponit.

18. *Cervis*. Quasi legerint Nostri לְאַיָּלִים, non admodum difficili vocis transitu; quod nunc Hebræis est לַיְּעֵלִים, Capreis, damis, ibicibus. Supple, sunt refugium, per hypozeugma. Montes excelsi perfugio sunt ibicibus. *Petra*. Hebræus pluraliter: Petræ, rupes. *Refugium*. Confugium; locus, in quem, ut servemur, nos recipimus. *Herinaceis*. Hebræus: Cuniculis. Nullius fere ponderis variatio.

19. *In tempora*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Temporibus constitutis; ut certo tempore crescat, & alio decrescat, & ex ejus motibus dies, menses, & anni notentur, & describantur. Solem cognoscere occasum suum, est idiotismus poeticus, pro Certum servare cursum, ut perveniat ad occasum recta, sine ullo errore.

20. *Posuisti*. Idem Hebræus futuro, de more linguæ: Pones, ponebas. *Tenebras*. Hebræus singulariter: Obscuritatem. *Et facta est*. Hebræus idem futuro: Erit, erat. *Pertransibunt*. Hebræus: Reptabunt, perrepent. Minimi momenti varietas. *Omnes bestiæ*. Hebræus singulariter: Omne animal sil-

væ.

væ. Feræ silvestres noctu vagantur pro victu, quod intuitum hominis vitent interdiu. Sunt etiam aliæ utilitates, quas percipiunt animantia e dierum & noctium vicissitudine.

21. *Catuli leonum*. Hebræus: Leunculi. Plura leonum nomina sunt Hebræis, ut in Thesauro. De Leonibus autem præcipue loquitur, quod in Oriente, & præcipue in Judæa, frequenter inveniantur. *Ut rapiant*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis לִטְרֹף, Ad rapiendum; quod nunc Hebræis est nomen dativi casus לַטֶּרֶף, Prædæ, pro rapina. Nulla varietas sensus. *Et quærant*. Sic Hebræus gerundio: Et ad quærendum. *Sibi*. Non aliter Hebræus: Cibum suum, escam suam sibi debitam.

22. *Ortus est*. Hebræus futuro; quod parum, vel nihil refert: Orietur Sol. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Congregati sunt*. Hebræus iterum futuro: Congregabuntur, se se in sua lustra recipient. *Et in cubilibus suis*. Idem Hebræus suo modo: Et ad cubilia sua; in suis specubus, lustris decumbent, metu lucis, & hominum. *Collocabuntur*. Hebræus: Recubabunt, decumbent. Non magni momenti varietas.

23. *Ad opus suum, & ad operationem suam*. Idem Hebræus dativis, suo loquendi modo: Operi suo, (facturæ suæ, ad res faciendas) & operationi suæ, culturæ, ad agriculturam.

24. *Omnia*. Hebræus addit emphatice pronomen: Omnia ipsa. *In sapientia*. Sapientissime, ad suos usus proprios quælibet. *Possessione tua*. Cunctis creaturis, quas uti Dominus, & auctor possides.

25. *Spatiosum*. Sic Hebræus: Latum manibus; Loco, & extensione. Metaphorice. Vide Thesaurum. *Reptilia*. Hebræus singulariter collective: Reptile, natatile; nam hebraicum nomen ad terrestria & marina animantia aptatur. Pisces autem, vel sunt sine pedibus, vel brevissimos habent. *Quorum non est numerus*. Idem Hebræus suo modo: Et non est numerus; nam pisces omni tempore gignunt, & copiosius crescunt, quam alii animantes.

26. *Pertransibunt*. Sic Hebræus: Pergent, incedent. *Draco*. Balæna, cete. Leviathan hebraice, de quo mira fabulantur Judæi. *Ad illudendum ei*. Hebræus: Ad ludendum, ridendum in eo, vel in eum. Sententia amphibola propter illud pronomen, quod referri potest tam ad Leviathan, quam ad mare. Ridere in aliquem, est Ludos sumere de aliquo, ei illudere. Quo videntur spectasse Nostri dicentes, ad illudendum ei, Draconi, post capturam. Hebræus ad mare pronomen refert. Ad ludendum in eo, mari, lasciviendo, discursando. (guizzando vulgo) & ceteros pisces contemnendo, irridendo, eos absumendo, & devorando. Forsitan etiam Nostri posuerunt Illudere, pro simplici Ludere ei (mari), lasciviendo videlicet in eo.

27. *Omnia*. Hebræus addit emphatice pronomen, Ista. *A te*. Sic etiam Græcus πρὸς σε. Nostris clarius visum est dicere, A te. *Exspectant*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Cogitabunt. Cogitare ad aliquem, est Hebraismus ornatus, pro Illius opem exspectare. Dei providentiam cunctis animantibus spiritum, vitam, & victum largientis explicat. *Ut des*. Hebræus gerundio: Ad dandum. *Illis escam*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Escam, cibum illorum. *In tempore*. Hebræus addit emphatice pronomen, Suo; idest congruo, quando opus est.

28. *Dante te*. Sic Hebræus futuro: Dabis illis. *Colligent*. Pastum. *Aperiente te*. Hebræus iterum futuro: Aperies manum. Pulcherrima translatio. Apertis siquidem manibus damus. *Omnia*. Ad declarationem additum. *Implebuntur bonitate*. Idem prope Hebræus: Satiabuntur bono; copiam rerum omnium te fundente.

29. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Avertente te*. Idem fere sensus in Hebræo, licet futuro: Abscondes, celabis. *Faciem tuam*. Hebræus plura-

raliter: Facies tuas. Abſcondere faciem, eſt idiotiſmus, pro Curam & conſervationem ſubducere. *Auferes*. Translatio ſenſus. Hebræus: Colliges. Colligere ſpiritum, eſt Auferre, ad ſe evocare. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In*. Hebræus ſuo loquendi modo: Ad pulverem ſuum redibunt, in primam originem, in antiquam materiam revertentur.

30. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Renovabis*. Verbum hebræum eſt etiam tertiæ perſonæ fœmininum, quod referri poteſt ad ſpiritum. Renovabit, innovabit. Idem ſenſus. *Faciem*. Hebræus pluraliter: Facies. Hanc renovationem, individuorum ſucceſſionem, vel etiam per reſurrectionem, humani generis reſtaurationem intellige.


31. *Sit*. Idem Hebræus futuro: Erit. *In ſeculum*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo, æterno.

32. *Qui reſpicit*. Hebræus idem participio: Reſpiciens. *Terram*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Terræ, ad terram. *Et facit eam tremere*. Idem prope Hebræus futuro: Et contremiſcet. Nutu ſolo terram concutit. *Qui tangit*. Hebræus idem futuro: Tanget. *Montes*. Hebræus addit præpoſitionem *In*, de more linguæ. *Fumigant*. Hebræus iterum futuro: Fumigabunt, fumabunt tacti tonitru, fulmine, & hujuſmodi. Poetice loquitur ſatis ornate. Nutu Terram labefactat, monteſque vix tacti fumant. Vel hæc de mirabilibus meteoris dicuntur.

33. *Vita mea*. Jam adnotavimus, vocem hebræam eſſe pluralis numeri. In vitis meis; dum vivam. *Quamdiu ſum*. Idem Hebræus ſuo idiotiſmo: In adhuc ego. Dum licet, & datur.

34. *Jucundum ſit*. Hebræus idem futuro: Jucundum, gratum erit, placebit. *Ei*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Super eum. *Vero*. Non habetur in Hebræo. *Delectabor*. Translatio ſenſus. Hebræus: Gaudebo, lætabor in Domino, quod ei mea placuerit oratio, hujuſce philoſophiæ meditatio, & quod ſceleſti, qui tot ac tanta beneficia Dei non conſiderant, perituri ſint. Eſt enim hic antitheſis.

35. *Iniqui*. Injuſti, ſceleſti. *Ita ut non ſint*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Non amplius ipſi. *Domino*. Hebræus accuſativo: Dominum. Addit inſuper hic in fine *Hallelujaha*, quod a Noſtris in ſequentis pſalmi titulum rejicitur. Pro qua dictione conſule Theſaurum.



PSAL-

PSALMUS CV. Latinis CIV.

		Hallelujaha.
הודו ליהוה קראו בשמו הודיעו בעמים עלילותיו :	1. *Confitemini DOMINO, vocate in nomine ejus, scire facite in populis actiones ejus.*	1. Confitemini DOMINO, & invocate nomen ejus, annunciate inter gentes opera ejus.
שירו לו זמרו לו שיחו בכל נפלאותיו :	2. *Cantate ei, psallite ei, loquimini in omnibus mirabilibus ejus.*	2. Cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus.
התהללו בשם קדשו ישמח לב מבקשי יהוה :	3. *Laudamini in nomine sanctitatis ejus, lætabitur cor quærentium DOMINI.*	3. Laudamini in nomine sancto ejus; lætetur cor quærentium DOMINUM.
דרשו יהוה ועזו בקשו פניו תמיד :	4. *Quærite DOMINUM, et robur ejus, quærite facies ejus semper.*	4. Quærite DOMINUM, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.
זכרו נפלאותיו אשר עשה מפתיו ומשפטי פיו :	5. *Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus, & judicia oris ejus.*	5. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit, prodigia ejus, & judicia oris ejus.
זרע אברהם עבדו בני יעקב בחיריו :	6. *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus.*	6. Semen Abraham, servi ejus: filii Jacob, electi ejus.
הוא יהוה אלהינו בכל הארץ משפטיו :	7. *Ipse DOMINUS Deus noster, in universa terra judicia ejus.*	7. Ipse DOMINUS Deus noster: in universa terra judicia ejus.
זכר לעולם בריתו דבר צוה לאלף דור :	8. *Memor fuit seculo testamenti sui, verbi, quod mandavit mille ætati.*	8. Memor fuit in seculum testamenti sui; verbi, quod mandavit in mille generationes.
אשר כרת את אברהם ושבועתו לישחק :	9. *Quod excidit cum Abrahamo, & juramenti sui Isaaco.*	9. Quod disposuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac.
ויעמידה ליעקב לחק לישראל ברית עולם :	10. *Et stare fecit illud Jacobo statuto, Israeli testamento seculi.*	10. Et statuit illud Jacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum.
לאמר לך אתן את ארץ כנען חבל נחלתכם :	11. *Dicendo, tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.*	11. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.
בהיותם מתי מספר כמעט וגרים בה :	12. *In essendo eos, mortales numeri, ut pusillum, & incolæ in ea.*	12. Cum essent numero brevi, paucissimi & incolæ ejus.
ויתהלכו מגוי אל גוי ממלכה אל עם אחר :	13. *Et perrexerunt de gente ad gentem, & de regno ad populum alterum.*	13. Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

14.

לא הניח אדם לעשקם ויוכח עליהם מלכים:

14. *Non permisit hominem ad defraudandum eos, & corripuit super eis reges.*

14. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.

אל תגעו במשיחי ולנביאי אל תרעו:

15. *Ne tangetis in Christos meos, & Prophetis meis ne male agetis.*

15. Nolite tangere Christos meos, & *in* Prophetis meis nolite malignari.

ויקרא רעב על הארץ כל מטה לחם שבר:

16. *Et vocavit famem super terram, omnem baculum panis contrivit.*

16. Et vocavit famem super terram, & omne firmamentum panis contrivit.

שלח לפניהם איש לעבד נמכר יוסף:

17. *Misit faciebus eorum virum, servo venundatus est Joseph.*

17. Misit ante eos virum: in servum venumdatus est Joseph.

ענו בכבל רגליו ברזל באה נפשו:

18. *Afflixerunt in compede pedes ejus*, ad *ferrum venit anima ejus.*

18. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus,

עד עת בא דברו אמרת יהוה צרפתהו:

19. *Usque ad tempus veniendi verbi ejus; eloquium DOMINI probavit eum.*

19. Donec veniret verbum *ejus*: Eloquium DOMINI inflammavit eum.

שלח מלך ויתירהו משל עמים ויפתחהו:

20. *Misit rex, & solvit eum dominator populorum, & solvit eum.*

20. Misit rex, & solvit eum, princeps populorum, & dimisit eum.

שמו אדון לביתו ומשל בכל קנינו:

21. *Posuit eum Dominum domui suæ; & dominantem in omni possessione sua.*

21. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.

לאסר שריו בנפשו וזקניו יחכם:

22. *Ad alligandum principes ejus in anima sua, & senes ejus sapere faciet.*

22. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret.

ויבא ישראל מצרים ויעקב גר בארץ חם:

23. *Et venit Israel Ægyptum, & Jacob accola fuit in terra Ham.*

23. Et intravit Israel in Ægyptum, & Jacob accola fuit in terra Cham.

ויפר את עמו מאד ויעצימהו מצריו:

24. *Et fructificare fecit populum suum valde, & fortem fecit eum præ tribulantibus ejus.*

24. Et auxit populum suum vehementer, & firmavit eum super inimicos ejus.

הפך לבם לשנא עמו ל להתנכל בעבדיו:

25. *Conversum est cor eorum ad odiendum populum ejus, ad dolum faciendum in servos ejus.*

25. Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus.

שלח משה עבדו אהרן אשר בחר בו:

26. *Misit Mosem servum suum, Aharon quem elegit in ipsum.*

26. Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit *ipsum*.

שמו בם דברי אתותיו ו ומופתים בארץ חם:

27. *Posuerunt in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.*

27. Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.

שלח חשך ויחשך ולא מרו את דבריו:

28. *Misit obscuritatem, & obscuravit, & non detrectaverunt verba ejus.*

28. Misit tenebras, & obscuravit, & non exacerbavit sermones suos.

29.

הפך את מימיהם לדם וימת את דגתם:	29. *Convertit aquas eorum sanguini, & occidit piscem eorum.*	29. Convertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.
שרץ ארצם צפרדעים בחדרי מלכיהם:	30. *Scaturivit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.*	30. Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.
אמר ויבא ערב כנים בכל גבולם:	31. *Dixit, & venit mixtura, pediculi in omnibus finibus eorum.*	31. Dixit, & venit cœnomya, & cinifes, in omnibus finibus eorum.
נתן גשמיהם ברד אש ל להבות בארצם:	32. *Dedit pluvias eorum grandinem, ignem flammarum in terra ipsorum.*	32. Ponit pluvias eorum, grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.
ויך גפנם ותאנתם וישבר עץ גבולם:	33. *Et percussit vitim eorum, & ficum eorum, & contrivit lignum finium eorum.*	33. Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contrivit lignum finium eorum.
אמר ויבא ארבה וילק ואין מספר:	34. *Dixit, & venit locusta, & bruchus, & non* erat *numerus.*	34. Dixit, & venit locusta, & bruchus, cujus non *erat* numerus.
ויאכל כל עשב בארצם ויאכל פרי אדמתם:	35. *Et comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit fructum terræ eorum.*	35. Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit *omnem* fructum terræ eorum.
ויך כל בכור בארצם ראשית לכל אונם:	36. *Et percussit omne primogenitum in terra eorum, principium omni robori eorum.*	36. Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.
ויוציאם בכסף וזהב ואין בשבטיו כושל:	37. *Et eduxit eos in argento, & auro, & non* erat *in tribubus ejus impingens.*	37. Et eduxit eos cum argento, & auro: & non *erat* in tribubus eorum infirmus.
שמח מצרים בצאתם כי כ נפל פחדם עליהם:	38. *Lætata est Ægyptus in egressu eorum, quia cecidit timor eorum super eos.*	38. Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.
פרש ענן למסך ואש להאיר לילה:	39. *Expandit nubem operimento, & ignem ad illuminandam noctem.*	39. Expandit nubem in protectionem *eorum*, & ignem, ut luceret *eis* per noctem.
שאל ויבא שלו ולחם שמים ישביעם:	40. *Petiit, & adduxit coturnicem, & pane cæli saturavit eos.*	40. Petierunt, & venit coturnix, & pane cæli saturavit eos.
פתח צור ויזיבו מים הלכו ב בציות נהר:	41. *Aperuit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in ariditatibus, flumen.*	41. Dirupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina.
כי זכר את דבר קדשו את אברהם עבדו:	42. *Quoniam memor fuit verbi sanctitatis suæ cum Abrahamo servo suo.*	42. Quoniam memor fuit verbi sancti sui, *quod habuit* ad Abraham puerum suum.

ויוצא עמו בששון ברנה את בחיריו :	43. *Et eduxit populum suum in exsultatione, in ovatione, electos suos.*	43. Et eduxit populum suum in exsultatione, *&* electos suos in lætitia.
ויתן להם ארצות גוים ועמל לאמים יירשו :	44. *Et dedit illis terras gentium & laborem populorum possidebunt.*	44. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt.
בעבור ישמרו חקיו ותורתיו ינצרו הללו יה:	45. *Propterea custodient statuta ejus, et leges ejus servabunt. Hallelujaha.*	45. Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.

ANNOTATIONES.

DEi beneficia in Israelitas maxima, & exitum Ægypti præcipue, stylo recensens poetico, fideles omnes ad eum laudandum vocat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Hallelujaha. Non habetur in Hebræo, sed a Nostris ex præcedenti psalmo, vel certe ex fine hujus desumptum, huic præfixum est, quod ob beneficia sibi collata populum ad Deum laudandum invitaret. Quidam versus hujus psalmi leguntur etiam 1. Paralip. 16. aliis intermixti psalmis. Ibi videas velim, & notes.

1. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Invocate*, *&c.* Idem Hebræus suo modo: Vocate in nomine ejus. *Annunciate*. Hebræus: Scire facite. *Inter gentes*. Hebræus: In populis. Nullius momenti varietates. *Opera*. Actiones, eas præcipue, quæ commemorantur hic.

2. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Narrate*, *&c.* Idem fere Hebræus suo loquendi modo: Loquimini in omnibus mirabilibus ejus.

3. *Laudamini*. Gloriamini. *Sancto*. Sic Hebræus substantivo de more linguæ: Sanctitatis ejus. *Lætetur*. Idem Hebræus futuro: Lætabitur, gaudebit.

4. *Et confirmamini*. Nostri facillimo vocis transitu legerunt procul dubio verbaliter וְעֻזּוּ , Et corroboramini, fortes, & robusti estote, vel efficiemini; quod nunc Hebræis nomen est וְעֻזּוֹ , Et robur ejus, fortitudinem, qua semper in adversis protegimini, & fortes estis. Nullius fere momenti varietas. *Faciem*. Hebræus pluraliter: Facies.

6. *Semen*. Vocativi casus. Alloquitur enim Israelitas omnes. O Semen Abrahæ. *Servi*. Cultores ejus. *Electi*. Vocativi casus numeri pluralis. Qui estis electi ejus; quos elegit. Sic Græcus. Ne putes esse genitivi casus cum Genebrardo, & construi cum Jacob. Posses nihilominus interpretari, Electorum ejus, idest Abrahami & Jacobi: sed purior & simplicior sensus est, si ad Israelitas omnes referatur.

7. *Judicia*. Sive pœnas, sive præmia spectes.

8. *In seculum*. Sic Hebræus dativo, suo modo: Seculo. *In mille generationes*. Idem Hebræus dativo: Mille ætati. In perpetuum esse jussit. Numerus finitus pro infinito.

9. *Disposuit*. Idem Hebræus suo loquendi tropo: Excidit. *Ad*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Cum Abraham. Excidere fœdus cum aliquo, est idiotismus, ut in Thesauro. *Juramenti*. Memor fuit, per zeugma. *Ad Isaac*. Idem Hebræus dativo: Isaaco.

10. *Statuit illud*. Sic Hebræus: Stare fecit illud; juramentum confirmavit. *Jacob*, *Israel*. Dativi casus: Jacobo, qui & Israel. Lege sacras historias. *In præceptum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Statuto, decreto, pro lege. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In testamentum æternum*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Testamento, fœdere seculi.

11. *Di.*

11. *Dicens*. Idem Hebræus gerundio: Ad dicendum, dicendo. Hæc sunt Testamenti verba tribus Patriarchis singillatim repetita. *Funiculum hereditatis*. Idiotismus metonymicus. Partem, possessionem; quod agri funiculis mensoriis dividerentur. Consule Thesaurum.

12. *Cum essent numero brevi*. Exiguo, & pauco numero. Idem Hebræus suo loquendi tropo: In essendo eos mortales numeri: Viri, quos facile erat numerare. Vide Thesaurum. *Paucissimi*. Sic Hebræus suo tropo: Ut pusillum, ut modicum quid, minimum quid. *Et incolæ ejus*. Idem Hebræus: Et peregrinantes in ea, regione Chanaan. Sic Græcus. Ex libro Geneseos historia.

13. *Pertransierunt*. Idem Hebræus: Perrexerunt. *In*. Hebræus idem: Ad gentem. De Chananæa in Palæstinam, Ægyptum, &c.

14. *Non reliquit*. Non sivit, non permisit. *Nocere eis*. Non longe aliter Hebræus gerundio: Ad defraudandum, opprimendum eos fraude, & dolis malis. *Corripuit*. Increpavit, castigavit. *Pro eis*. Sic Hebræus suo modo: Super eos, propter eos.

15. *Nolite tangere*. Idem Hebræus: Ne tangetis. *Christos*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ. Patriarchas vocat Christos, quasi unctos oleo invisibili, idest Spiritu Sancto, vel quod Reges & Principes inaugurandi ungerentur. *In Prophetis*. Hebræus dativo: Prophetis, Theologis. Consule Thesaurum. *Nolite malignari*. Hebræus futuro: Ne male facietis.

16. *Vocare famem super terram*. Idiotismus, ut in Thesauro. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Omne firmamentum*. Translatio sensus. Hebræus suo idiotismo: Omnem baculum. Frangere omnem baculum panis, est Auferre omnem cibum, quo sustentatur, & alitur homo. Tracta metaphora a baculo, quo sustentamur.

17. *Ante eos*. Hebræus suo idiotismo: Faciebus eorum. Præmisit illis. *In servum*. Sic Hebræus dativo: Servo; ut servus esset.

18. *Humiliaverunt*. Afflixerunt. Verbum hebræum utrumque significat. *Compedibus*. Hebræus singulariter: Compede. *Pedes ejus*. Sic scribitur etiam nunc constanter, quamvis Hebræi ex Massarah legant singulariter, Pedem ejus; quod parum vel nihil refert. *Ferrum, &c.* Nostris Ferrum est nominandi casus. Ferrum venit (ad) animam ejus. At hebraicum nomen est masculinum, & verbum fœmininum; quare sic interpretantur. (Ad) ferrum venit anima ejus. Idem autem sensus ubique. Animam venire ad ferrum, est Ferreis vinculis alligari. Usurpatur autem anima pro toto corpore, per Synecdochen, ut in Thesauro.

19. *Donec veniret*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Usque ad tempus veniendi verbi ejus (Dei), de eo evehendo, vel ipsius Joseph verbum, idest negotium, quando videlicet educendus erat. *Inflammavit*. Veluti excoxit, & igne exploravit. Hebræus: Probavit. Verbum aurificum, qui igne probant aurum. Sic Joseph probatus eloquio Dei dicitur a fine, ut somniorum interpretationem Pharaoni diceret.

20. *Rex*. Pharao. *Princeps populorum*. Idem Ægypti Dominus. Græcus singulariter: Populi. *Dimisit*. Hebræus: Solvit, aperuit a vinculis. Minima varietas.

21. *Constituit*. Sic Hebræus: Posuit. *Domus suæ*. Hebræus dativo: Domui suæ. *Principem*. Idem fere Hebræus: Dominantem. *Omnis possessionis*. Hebræus idem: In omni possessione sua. Suarum rerum, & ditionum gubernatorem posuit.

22. *Ut erudiret*. Suspicor, Nostros legisse aliter, quam nunc Hebræus, & fortassis facillimo vocis transitu legerunt לְיַסֵּר, Ad erudiendum, castigandum. Nisi malles, eos sensum, non verbum transtulisse; nam Hebræus habet nunc gerundio לֶאְסֹר, Ad alligandum; corruptelas aulicorum coercendi caussa scilicet. *Sicut semetipsum*. Nostri facillimo trans-

itu Beth in Caph legerunt כְּנַפְשׁוֹ,Sicut animam suam, semetipsum, ad eam moderationem, qua ipse erat præditus. Nunc Hebræus legit בְּנַפְשׁוֹ, In anima sua, pro suo arbitratu. Animæ vocabulum large sumitur ab Hebræis, ut in Thesauro. *Senes*. Senatores, magistratus. *Prudentiam doceret*. Idem fere Hebræus futuro: Sapere faciet, sapientes reddet.

23. *Intravit in Ægyptum*. Idem Hebræus: Venit Ægyptum Israel, qui & Jacob, una cum filiis omnibus, & peregrinatus est in terra Hami patris Mizraim, a quo Ægyptii denominati sunt.

24. *Auxit*. Sic Hebræus: Fructificare fecit, fecundavit, multiplicavit. *Vehementer*. Hebræus: Valde. *Firmavit eum*. Idem Hebræus fere: Fortem fecit, reddidit eum, viribus, copia, divitiis, & hujusmodi. Vide Thesaurum. *Super inimicos ejus*. Non aliter Hebræus suo loquendi modo: Præ tribulantibus, plusquam tribulantes, affligentes eum; Ægyptios scilicet.

25. *Convertit cor*. Est nominandi casus. Semetipsum convertit; conversum est. Quidam ad Deum referunt, qui populo suo benefaciendo, cor Ægyptiorum sponte malum convertit ad odium per accidens. Græcus etiam habet pronomen Ejus. Prior sensus est simplicior. *Ut odirent*. Hebræus gerundio: Ad odiendum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Dolum facerent*. Sic Hebræus iterum gerundio: Ad dolum faciendum, ad machinandum perniciosa in servos Dei.

26. *Ipsum*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ; quod utrumque latine vacat. Possemus tamen interpretari: Qui (Deus) elegit in ipsum. Sed hæc minima.

27. *Posuit*. Nostri fortasse legerunt singulariter שָׂם. Vel certe maluerunt ad Deum referre propter explicationem, quod nunc Hebræus Mosi & Aharoni tribuit, legens שָׂמוּ, Posuerunt. *In eis*. Juxta Nostros, in ipso Mose, & Aharone, vel in Israelitis. Juxta Hebræos, In Ægyptiis. *Verba*. Proprie, vel res signorum, quibus prodigia ediderunt. *Prodigiorum*. Græcus addit: Ejus.

28. *Tenebras*. Hebræus singulariter: Obscuritatem, quæ aerem universum obscurum reddidit. *Et non exacerbavit*. Nostri fortasse legerunt facillimo vocis transitu מָרָה singulariter. Ideſt, obscuritas non exacerbavit (nam fere semper verbum hoc sic interpretantur, pro Variare, detrectare, & hujusmodi) sermones, jussa Dei; quod nunc Hebræis est plurale מָרוּ, Detrectarunt, contrafecerunt proprie, signa & prodigia scilicet, vel etiam Moses & Aharon. Minimi ponderis varietas. *Sermones*. Hebræus: Verba, jussa illius; licet ex Massarah legatur singulariter hodie, Verbum ejus.

29. *In sanguinem*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Sanguini. *Occidit*. Idem Hebræus: Mori fecit. *Pisces*. Hebræus singulariter collective: Piscem.

30. *Edidit*. Produxit, magna copia. Sic Hebræus: Scaturivit. Vide Thesaurum. *Penetralibus*. Cubiculis.

31. *Cynomya*. Collective. Musca canina, quæ præcipue canum aures infestat. Vox Hebræa plus significat; mixturam scilicet, congregationem omnium animalium, & insectorum. Consule Thesaurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Cinifes*. Alterius generis muscæ caninæ nomen. Hæc longis cruribus, in capite habens rostrum, eo perforat pellem hominis. Hebræus: Pediculi. Supple, Venerunt, per zeugma. Non maximi ponderis varietates. *Finibus*. Terminis, limitibus.

32. *Posuit*. Hebræus: Dedit, convertit pluviam in grandinem. *Comburentem*. Idem Hebræus substantivo nomine, suo loquendi modo: Flammarum. Periphrasis fulminum.

33. *Vineas*. Hebræus idem fere singulariter, collective: Vitim. *Ficulneas*. Hebræus iterum singulariter collective: Ficum. *Lignum*. Arbores, & vir-

virgulta. Græcus addit, Omne. *Finium*. Hebræus ſingulariter: Confinii; terminorum, limitum.

34. *Bruchus*. Locuſtæ ſpecies. Hebraicum etiam nomen ſimile quid ſignificat. Ego gryllum interpretor. Vide Theſaurum. *Cujus*, *&c.* Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Et non (erat) numerus.

35. *Omne fœnum*. A fine. Hebræus: Omnem herbam. *Omnem*. Non habetur in Hebræo; quod parum refert.

36. *Primogenitum*. Tam hominum, quam pecorum. Eſt autem maſculini generis in Hebræo: quod notes. *Primitias*. Hebræus ſingulariter: Principium, primitiam. *Omnis laboris eorum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Omni labori, vel fortitudini eorum. Vox Hebræa אוֹן Robur, & fortitudinem ſignificat. Eſt autem periphraſis primogenitorum, qui principium ſunt virilitatis, & roboris patrum. Noſtri forſitan vocem derivant ab אָוֶן, & laborem in malam partem accipiunt. Niſi malles, eos fortitudinem patrum in procreatione primogenitorum, laborem dicere. Eadem fere ad verbum habentur ſuperius pſal. 78. 51. Ibi vide.

37. *Cum argento*. Hebræus idem ſuo idiotiſmo: In argento. *Infirmus*. Idem ferre Hebræus: Impingens, ob corporis imbecillitatem. Viatico, firma valetudine, & opibus ad iter inſtructos eduxit.

38. *In profectione*. Sic Hebræus: In egreſſu eorum. *Incubuit*. Non aliter Hebræus: Cecidit. Timorem cadere ſuper aliquem, idiotiſmus, ut in Theſauro.

39. *In protectionem*. Hebræus idem fere dativo: Umbraculo, operimento, tegumento, quo adverſus Solis ardores protegerentur. *Eorum*. Ad declarationem additum. *Ignem*. Columnam igneam. *Ut luceret*. Hebræus gerundio: Ad illuminandum, ad illuſtrandam noctem. *Eis*. Non habetur in Hebræo: ad declarationem a Noſtris eſt additum.

40. *Petierunt*. Idem Hebræus ſingulariter: Petiit; populus ſcilicet. *Et venit coturnix*. Noſtri punctis immutatis legerunt in Cal וַיָּבוֹא, Et venit; quod nunc Hebræis eſt ex Hiphil וַיָּבֵא, Et venire fecit, adduxit coturnicem (collective). Nullius momenti varietas. *Pane cæli*. Manna, quo pro pane utebantur.

41. *Dirupit*. Sic Hebræus ſuo idiotiſmo: Aperuit. *Abierunt*. Noſtri verbum ad flumina referunt, quod nomen, etſi in Hebræo ſit numeri ſingularis, illi putarunt eſſe idiotiſmum non inſolitum, ideſt, unumquodque flumen decurrit in loco ſiccitatis; per locum deſertum exundarunt aquæ copioſæ, quaſi fluvius. Hebræus altero idiotiſmo refert ad populum. Abierunt, perrexerunt, pergebant Iſraelitæ. *In ſicco*. Idem Hebræus plurali: In ariditatibus, in locis ſiccis, aridis, & deſertis. *Flumina*. Hebræus, ut dixi, ſingulariter: Flumen, ſemper illis aderat, eos comitabatur, quod e petra diſciſſa egrediatur, ad quod alluſit D. Paulus dicens, conſequente eos petra, quæ Chriſti figuram referebat, &c.

42. *Sancti ſui*. Idem Hebræus ſubſtantivo nomine: Sanctitatis ſuæ. *Quod habuit*. Ad declarationem additum: Quod ſancte promiſerat. *Ad Abraham*, *&c.* Sic Hebræus ſuo modo: Cum Abrahamo puero, ſervo ſuo.

43. *In exſultatione*. Cum gaudio. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In lætitia*. Idem prope Hebræus: In ovatione, cum laude & jubilo electos ſuos eduxit, per zeugma.

44. *Regiones*. Sic Hebræus: Terras, provincias. *Labores*. Hebræus ſingulariter: Laborem, opes, bona, quæ labore Chananæi ſibi paraverant. *Poſſederunt*. Hebræus idem futuro: Poſſidebunt.

45. *Ut cuſtodiant*. Idem Hebræus ſuo idiotiſmo proprio: Propterea cuſtodient, ut ſervent. *Juſtificationes*. Hebræus: Statuta, decreta, quorum cauſas & rationes Deus ſolus agnoſcit. *Le-*

gem

gem ejus. Hebræus pluraliter: Leges ejus; cetera mandata, quæ pertinent ad religionem, & ceremonias. *Requirant*. Conservandi caussa. Hebræus iterum futuro: Conservabunt, custodient. Alterum verbum superioris synonymum. Minimi momenti varietas. Et hic quidem est omnium Dei erga nos beneficiorum scopus, ut agnoscatur, colatur, & ametur. Quare Hebræus & Græcus addit in calce, Hallelujaha, quod semper laudandus, & celebrandus sit, qui benedictus est in secula. Amen.

PSALMUS CVI. Latinis CV.

הללויה הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו׃	1. *Hallelujaha. Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam seculo pietas ejus.*	1. Hallelujaha. Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
מי ימלל גבורות יהוה ישמיע כל תהלתו׃	2. *Quis loquetur potentias DOMINI, auditam faciet omnem laudem ejus?*	2. Quis loquetur potentias DOMINI, auditas faciet omnes laudes ejus?
אשרי שמרי משפט עשה צדקה בכל עת׃	3. *Beati servantes judicia, faciens justitiam in omni tempore.*	3. Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.
זכרני יהוה ברצון עמך פ פקדני בישועתך׃	4. *Memento mei DOMINE in voluntate populi tui, visita me in salute tua.*	4. Memento nostri, DOMINE, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo.
לראות בטובת בחיריך לשמח בשמחת גויך להתהלל עם נחלתך׃	5. *Ad videndum in bono electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ad gloriandum cum hereditate tua.*	5. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hereditate tua.
חטאנו עם אבותינו העוינו הרשענו׃	6. *Peccavimus cum patribus nostris, inique fecimus, injuste egimus.*	6. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.
אבותינו במצרים לא ה השכילו נפלאותיך לא זכרו את רוב חסדיך וימרו על ים בים סוף׃	7. *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis pietatis tuæ, et contrafecerunt super mare, in mari caricis.*	7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ, et irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum.

8. Et

ויושיעם למען שמו להודיע את גבורתו :	8. *Et salvavit eos propter nomen suum, ad faciendam notam potentiam suam.*	8. Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.
ויגער בים סוף ויחרב ו ויוליכם בתהומות כמדבר :	9. *Et increpavit in mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis, sicut deserto.*	9. Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis, sicut *in* deserto.
ויושיעם מיד שונא ויגאלם מיד אויב :	10. *Et salvavit eos de manu odientis, & redemit eos de manu inimici.*	10. Et salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.
זיכסו מים צריהם אחד מהם לא נותר :	11. *Et operuerunt aquæ tribulantes eos, unus ex eis non remansit.*	11. Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit.
ויאמינו ברבריו ישירו ת תהלתו :	12. *Et crediderunt in verbis ejus, cantaverunt laudem ejus.*	12. Et crediderunt verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus.
מהרו שכחו מעשיו לא חכו לעצתו :	13. *Accelerarunt, obliti sunt operum ejus, non exspectarunt consilio ejus.*	13. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus.
ניתאוו תאוה במדבר וינסו אל בישימון :	14. *Et concupierunt concupiscentiam in solitudine, & tentaverunt Deum in inaquoso.*	14. Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentaverunt Deum in inaquoso.
זיתן להם שאלתם וישלח רזון בנפשם :	15. *Et dedit eis petitionem ipsorum, & in misit maciem in animam eorum.*	15. Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.
ויקנאו למשה במחנה]ל לאהלן קדוש יהוה :	16. *Et æmulati sunt Mosi in castris, Aharon Sancto DOMINI.*	16. Et irritaverunt Moysen in castris; Aaron sanctum DOMINI.
תפתח ארץ ותבלע דתן ותכס על עדת אבירם :	17. *Aperiet terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abironis.*	17. Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.
ותבער אש בעדתם להבה תלהט רשעים :	18. *Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma comburet injustos.*	18. Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.
יעשו עגל בחרב וישתחוו למסכה :	19. *Facient vitulum in Oreb, & adoraverunt fusioni.*	19. *Et* fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile.
וימירו את כבודם בתבנית שור אכל עשב :	20. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem bovis comedentis herbam.*	20. Et mutaverunt gloriam suam, in similitudinem vituli comedentis fœnum.
שכחו אל מושיעם עשה ג גדלות במצרים :	21. *Obliti sunt Deum salvatorem suum, facientem magnalia in Ægypto.*	21. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto;

22.

נפלאות בארץ חם נוראות
על ים סוף:

ויאמר להשמידם לולי משה
בחירו עמד בפרץ לפניו ל
להשיב חמתו מהשחית:

וימאסו בארץ חמדה לא
האמינו לדברו:

וירגנו באהליהם לא שמעו
בקול יהוה:

וישא ידו להם להפיל אותם
במדבר:

ולהפיל זרעם בגוים ולזרותם
בארצות:

ויצמדו לבעל פעור ויאכלו
זבחי מתים:

ויכעיסו במעלליהם ותפרץ
בם מגפה:

ויעמד פינחס ויפלל ותעצר
המגפה:

ותחשב לו לצדקה לדר ודר
עד עולם:

ויקציפו על מי מריבה וירע
למשה בעבורם:

כי המרו את רוחו ויבטא
בשפתיו:

לא השמידו את העמים אשר
אמר יהוה להם:

22. *Mirabilia in terra Hami, terribilia super mare caricis.*

23. *Et dixit, ad disperdendum eos, nisi Moses electus ejus stetit in confractione faciebus ejus, ad avertendum iram ejus a corrumpendo.*

24. *Et spreverunt* in *terram desiderii, non crediderunt verbo ejus.*

25. *Et murmuraverunt in tabernaculis suis, non auscultarunt in vocem DOMINI.*

26. *Et elevavit manum super eis, ad prosternendum eos in deserto.*

27. *Et ad dejiciendum semen eorum in gentibus, & ad dispergendum eos in terris.*

28. *Et adhaeserunt Baalpeori, & comederunt sacrificia mortuorum.*

29. *Et irritaverunt in operibus suis, & irrupit in eos pestis.*

30. *Et stetit Phinees, & judicavit, & restricta fuit pestis.*

31. *Et reputatum est ei justitiae aetati & aetati usque* ad *seculum.*

32. *Et irritaverunt super aquas contradictionis, & malum fuit Mosi propter eos.*

33. *Quia contradixerunt spiritum ejus, & pronunciavit in labiis suis.*

34. *Non disperdiderunt populos, quos dixit DOMINUS illi.*

22. Mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

23. Et dixit, ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus; ut averteret iram ejus, ne disperderet *eos*;

24. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, non crediderunt verbo ejus.

25. Et murmuraverunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem DOMINI.

26. Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.

27. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.

28. Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum.

29. Et irritaverunt *eum* in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.

30. Et stetit Phinees, & placavit, & cessavit quassatio.

31. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem, & generationem, usque *in* sempiternum.

32. Et irritaverunt *eum* ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos.

33. Quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis;

34. Non disperdiderunt gentes, quas dixit DOMINUS illis.

35.

ויתערבו בגוים וילמדו ם מעשיהם :	35. *Et commisti sunt in gentibus, & didicerunt opera eorum.*	35. Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.
ויעבדו את עצביהם ויהיו להם למוקש :	36. *Et servierunt dolores eorum, & fuit illis laqueo.*	36. Et servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.
ויזבחו את בניהם ואת ב בנותיהם לשדים :	37. *Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.*	37. Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.
וישפכו דם נקי דם בניהם ובנותיהם אשר זבחו לעצבי כנען ותחנף הארץ בדמים :	38. *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt doloribus Chanaan, & hypocrita effecta est terra in sanguinibus.*	38. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan, & infecta est terra in sanguinibus.
ויטמאו במעשיהם ויזנו ב במעלליהם :	39. *Et contaminati sunt in operibus suis, & fornicati sunt in actionibus suis.*	39. Et contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinventionibus suis.
ויחר אף יהוה בעמו ויתעב את נחלתו :	40. *Et excanduit nasus DOMINI in populum suum, & abominatus est hereditatem suam.*	40. Et iratus est furore DOMINUS in populum suum, & abominatus est hereditatem suam.
ויתנם ביד גוים וימשלו ב בהם שנאיהם :	41. *Et tradidit eos in manum gentium, & dominati sunt in eos osores eorum.*	41. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos.
וילחצום איביהם ויכנעו ת תחת ידם :	42. *Et oppresserunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manu eorum.*	42. Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum.
פעמים רבות יצילם והמה ימרו בעצתם וימכו בעונם :	43. *Vicibus multis liberavit eos, ipsi autem contrafecerunt in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitate sua.*	43. Sæpe liberavit eos, ipsi autem exacerbaverunt *eum* in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitatibus suis.
וירא בצר להם בשמעו את רנתם :	44. *Et vidit in angustia eis, in audiendo ipsius orationem eorum.*	44. Et vidit, cum tribularentur, & audivit orationem eorum.
ויזכר להם בריתו וינחם ברב חסדו :	45. *Et memor fuit eis testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem pietatum suarum.*	45. Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.
ויתן אותם לרחמים לפני כל שוביהם :	46. *Et dedit eos misericordiis, faciebus omnium abducentium eos.*	46. Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium, qui ceperant eos.

I 47. Sal-

הושיענו יהוה אלהינו וקבצנו מן הגוים להודות לשם קדשך להשתבח בתהלתך׃	47. *Salvos nos fac DOMINE Deus noster, & congrega nos de gentibus, ad confitendum nomini sanctitatis tuæ, ad laudandum nos in laude tua.*	47. Salvos nos fac, DOMINE Deus noster, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.
ברוך יהוה אלהי ישראל מן העולם ועד העולם ואמר כל העם אמן הללו יה׃	48. *Benedictus DOMINUS Deus Israel a seculo, & usque* ad *seculum, & dixit omnis populus Amen. Hallelujaha.*	48. Benedictus DOMINUS Deus Israel a seculo, & usque in seculum, & dicet omnis populus, fiat, *fiat*.

ANNOTATIONES.

Majorum suorum peccata, ex Scripturis sacris desumpta, stylo describens poetico satis eleganti, veniam & salutem poscit. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Titulus hujus psalmi est Hallelujaha, eadem sane ratione, quam in superiori psalmo diximus. Duo versus ultimi leguntur etiam ad verbum fere 1. Paral. 16. aliis conjuncti psalmis, ut ibi videre potes.

1. *In seculum*. Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. *Misericordia*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Pietas, officium.

2. *Auditas faciet, &c.* Sic Hebræus singulariter: Auditam faciet, prædicabit omnem laudem ejus? Quasi dicat, Nullus potest eloqui, & explicare admiranda, & fortia Dei facta, & quasi sit dignus laude propter salutem, quam suis attulit, eos ab Ægyptiorum servitute liberans.

3. *Qui custodiunt judicium*. Idem Hebræus participio: Custodientes, custodes judicii. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Faciunt*. Nostri servarunt numerum pluralem; nam superius dixerat, Custodiunt. Hebræus singulariter, & participio: Faciens, quisquis facit. Nulla varietas.

4. *Nostri*. Quasi legerint Nostri זָכְרֵנוּ faeili transitu Jod in Vav; quod nune Hebræis est זָכְרֵנִי, Memento mei. Nullius ponderis varietas. *In beneplacito, &c.* Sic Hebræus: In voluntate populi tui; pro tua erga fideles tuos bona voluntate, & favore. *Nos*. Iterum hic videntur Nostri legisse פָּקְדֵנוּ, quod nune Hebræis est פָּקְדֵנִי, mutato Jod in Vav: Visita me. Idem sensus; nam omnium nomine loquitur. *In salutari tuo*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: In salute tua, auxilio tuo. *In* Latine redundat.

5. *In bonitate*. Hebræus: In bono, ut videam fidelium tuorum bona, & læter lætitia, qua solent illi gaudere. *Ut lauderis*. Hebræus gerundio: Ad laudandum se, ad gloriandum; quod Nostri per secundam personam resolvunt: Ut lauderis, glorificeris tu, & hereditas tua. Hebræus persistit in persona vatis: Ut glorier cum tuis, apud tuos. Minimi momenti varietas.

6. *Injuste egimus, &c.* Idem Hebræus, licet inverso ordine: Inique, injuste egimus. Peccatorum confessio.

7. *Misericordiæ*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Pietatis tuæ, officiorum tuorum. *Irritaverunt*. Hebræus: Contradixerunt, contrafecerunt, dictis & factis defecerunt. *Ascendentes in mare*. Nostri procul dubio videntur legisse conjunctim עֹלִים, Ascendentes; quæ nunc divisæ, duæ sunt dictiones עַל יָם, super, secus mare. Idem tamen fere sensus. *Rubrum*. Sic a Nostris dicitur sinus Arabicus, sive Ægyptius a rubentibus arenis, vel ab aqua propter montes, & promontoria rubescente; quem Hebræi

ma-

mare Suph, ideſt Caricis, ſive careſtoſum, a copia caricum & juncorum appellant. Vide Theſaurum.

8. *Ut notam faceret*. Sic Hebræus gerundio: Ad faciendam notam potentiam, fortitudinem ſuam.

9. *Increpuit*. Proſopopœja. Procellis exagitavit. *Mare*. Hebræus addit præpoſitionem *In*, de more linguæ. *In abyſſis*. Per abyſſos, & profunda maris. *In*. Non habetur in Hebræo; nihilominus intelligendum ex ſermonis conſequentia. *Sicut in deſerto*. Per deſertum, per locum ſiccum, non humidum.

10. *Odientium*. Hebræus ſingulariter; ſic etiam Græcus: Odientis. *Inimici*. Pharaonis ſcilicet. Nullius momenti variationes.

11. *Et operuit aqua*. Idem Hebræus pluraliter: Et operuerunt aquæ. *Non remanſit*. Non ſuperfuit.

12. *Verbis*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Laudaverunt*. Canentes, ut Exod. 15. Hebræus: Cecinerunt.

13. *Cito fecerunt, obliti ſunt, &c.* Sic etiam Hebræus: Accelerarunt, obliti ſunt. Eſt autem Hebraiſmus. Ideſt, celeriter obliti ſunt. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Suſtinuerunt*. Idem Hebræus: Exſpectarunt. *Conſilium*. Hebræus dativo, ſuo idiotiſmo proprio: Conſilio. Non exſpectarunt, quoad perficeret conſilium ſuum, de illis in terram promiſſam introducendis.

14. *Concupiſcentiam*. Proprie, quaſi depravatum haberent guſtum; vel carnes, contempto manna, pane cæleſti, & delicato. *In inaquoſo*. Epithetum poeticum Deſerti horridi. Hebræum etiam nomen a devaſtatione dicitur. Conſule Theſaurum.

15. *Miſit*. Hebraicum verbum in Pihel validius quid ſonat: Immiſit. *Saturitatem*. Repletionem emaciantem, tabefacientem. Principium morborum. Hebræus: Maciem. Ex nimia ingurgitatione & crapula macies, & phthiſis oritur. Idem ſenſus verbis diverſis. *In animas*. Hebræus idem ſingulariter: In animam (quamlibet) eorum; ideſt, in ipſos. Synecdoche, ut alibi ſæpius.

16. *Irritaverunt, &c.* Seditionem concitantes. Hebræus eodem fere ſenſu, & ſuo loquendi idiotiſmo: Æmulati ſunt Moſi & Aharoni Sancto Domini, in Sacerdotium conſecrato. Vide Num. 16.

17. *Aperta eſt*. Idem Hebræus, licet futuro de more linguæ: Aperietur, aperiebatur, vel aperiebat terra, os ſuum videlicet; nam hebraicum verbum activum, & neutrum reperitur. *Abiron*. Abirami cœtum, conſpirationis & ſeditionis ſocios.

18. *Combuſſit*. Idem Hebræus futuro, prout fert lingua: Comburet, comburebat. *Peccatores*. Hebræus: Injuſtos. Nullius momenti varietas.

19. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Fecerunt*. Hebræus iterum futuro: Facient, faciebant. *Oreb*. Montis nomen. Vide Theſaurum. *Sculptile*. Hebræus dativo, de more linguæ: Fuſioni. Sculptile fuſione fabrefactum, vel cui libatur.

20. *Gloriam ſuam*. Deum, qui decus hebraici populi erat. *Vituli*. Hebræus: Bovis. *Fœnum*. Hebræus: Herbam. Minimi ponderis varietates.

21. *Qui ſalvavit eos*. Idem Hebræus participio: Salvantem, Salvatorem ſuum. *Qui fecit*. Hebræus iterum participio: Facientem magnalia, magnas plagas, & clades.

22. *Cham*. Patris Mizraim, a quo Ægyptii. *Terribilia*. Miracula, terrorem incutientia. *In mari*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Super, ſecus mare. *Rubro*. Hebræus: Caricis, ut ſuperius verſ. 7.

23. *Ut diſperderet*. Idem Hebræus gerundio: Ad diſperdendum, devaſtandum eos. *Si non*. Idem Hebræus: Niſi. *Stetiſſet*. Sic Hebræus præterito: Stetit. Stare in confractione, bellantium metaphora, qui ſe opponunt

hostibus in ruptura muri, ne per eam in urbem irrumpant. *In conspectu.* Hebræus idem suo loquendi modo: Faciebus ejus. *Ut averteret.* Hebræus gerundio: Ad avertendum, reverti faciendum iram, furorem ejus. *Ne perderet.* Hebræus iterum gerundio: A corrumpendo, ne corrumperet, devastaret. *Eos.* Ad declarationem additum.

24. *Pro nihilo habuerunt.* Idem Hebræus: Spreverunt. *Terram.* Hebræus addit præpositionem *In*, de more linguæ. *Desiderabilem.* Sic Hebræus substantivo nomine: Desiderii. Ob copiam bonorum omnium, non tantum necessariorum, sed etiam voluptariorum.

25. *Non exaudierunt vocem.* Non obtemperarunt voci. Sic Hebræus suo idiotismo: Non auscultarunt in voce Domini.

26. *Super eos.* Hebræus dativo: Eis. Tam jurandi, quam percutiendi caussa. *Ut prosterneret.* Hebræus gerundio: Ad prosternendum.

27. *Ut dejiceret.* Hebræus eamdem vocem repetit: Ad dejiciendum, prosternendum. *In nationibus.* Idem Hebræus: In gentibus, per gentes, inter gentes. *Et dispergeret.* Hebræus iterum gerundio: Et ad dispergendum. *In regionibus.* Inter regiones, per terras.

28. *Initiati sunt.* Religione se conjungentes. Idem sensus in Hebræo. Et conjuncti sunt Baalpeori. *Mortuorum.* Idolorum epithetum.

29. *Eum.* Ad declarationem additum. *In adinventionibus.* Suis actionibus pravis. *Multiplicata est in eis.* Translatio sensus. Hebræus: Irrupit, perrupit copiose in eos. *Ruina.* Iterum translatio sensus. Hebræus: Plaga, clades, pestis.

30. *Placavit.* Translatio sensus. Hebræus: Judicavit, judicium exercuit, scortatoribus hasta transfossis, quorum suppliciis Deum iratum placavit. *Cessavit.* Sic Hebræus suo idiotismo: Restricta, cohibita fuit. *Quassatio.* Eandem vocem superioris versiculi repetit: Plaga, cædes, pestis, qua perierunt quamplurimi. Num. cap. 25.

31. *In justitiam.* Idem Hebræus dativo: Justitiæ. *In generatione, & generationem.* Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Ætati & ætati, per singulas ætates. *Usque in sempiternum.* Hebræus: Usque ad seculum.

32. *Cum.* Ad declarationem additum. *Ad aquas.* Sic Hebræus suo tropo: Super, secus aquas jurgii. Græcus singulariter. *Et vexatus est Moyses.* A Domino. Idem fere Hebræus: Et malum, male fuit Mosi propter eos, quod eorum caussa visus fuerit dubitare de voluntate Dei.

33. *Exacerbaverunt.* Contradicentes, & contrafacientes. Sic interpretantur Nostri verbum hoc, ut sæpius vidimus. Hebræus: Contradixerunt, contrafecerunt. *Distinxit in labiis suis.* Hæsitabunda verba protulit. Non longe aliter Hebræus: Et pronunciavit, protulit quidquid veniebat in buccam, effutiit, temere locutus est.

34. *Gentes.* Hebræus: Populos. Lege librum Josue.

35. *Commixti sunt.* Se miscuerunt contra præceptum Domini, qui gentes jusserat exterminari.

36. *Sculptilibus.* Translatio sensus. Hebræus accusativo: Dolores eorum. Sic vocantur Idola, quod dolorem cultoribus suis afferant, non gratiam conferant. *Factum est.* Idem Hebræus: Fuit. *In scandalum.* Translatio sensus. Hebræus dativo: Laqueo, in laqueum, in ruinam & perniciem. Caussa interitus eorum fuit.

38. *Sculptilibus.* Hebræus: Doloribus, ut in superiori versiculo. *Et infecta est.* Polluta filiorum cædibus. Non longe aliter Hebræus: Et hypocrita effecta est terra (idest, Incolæ, metonymice). *In sanguinibus.* Sanguine filiorum fuso, & immolato Idolis impie, licet religionis prætextu, hypocritam vitam transigebant.

39. *Contaminata est.* Nostri verbum ad terram referunt. Hebræus plurali-

raliter ad homines. Contaminati, polluti sunt in operibus suis. *In adinventionibus*. Suis actionibus pravis.

40. *Et iratus est*, *&c.* Sic Hebræus suo tropo satis ornato: Et excanduit nasus Domini, &c.

41. *Manus*. Hebræus singulariter: Manum. Dare in manum, Idiotismus, ut in Thesauro. *Eorum*. Sic Hebræus: In eos. *Qui oderunt*. Hebræus participio: Odientes, osores eorum.

42. *Tribulaverunt*. Idem fere Hebræus: Oppresserunt, afflixerunt. *Sub manibus*. Imperio, tyrannide.

43. *Sæpe*. Sic Hebræus: Vicibus multis, per multas vices. *Exacerbaverunt*. Ut transferre Nostros sæpius vidimus. Hebræus: Contradixerunt, contrafecerunt. *Eum*. Ad declarationem additum. *In consilio suo*. Pessimo. Pronomen refertur ad homines, non ad Deum, uti Genebrardus deceptus hallucinatur; nam Hebræus habet: In consilio eorum. *In iniquitatibus suis*. Hebræus singulariter: In iniquitate sua; propter iniquitatem.

44. *Cum tribularentur*. Idem Hebræus, licet nomine, suis tropis: In angustia eis; cum angustiis & tribulationibus opprimerentur. Videre in angustia alicui, est idiotismus pulcherrimus, pro Ærumnis illius affici. *Et audivit*. Hebræus gerundio: In audiendo ipsius, cum audiret. Sic Græcus. Minimi momenti varietas. *Orationem*. Non aliter Hebræus: Ovationem. Vide Thesaurum.

45. *Memor fuit*. Hebræus addit particulam Eis; in eorum utilitatem. *Testamenti*. Pacti, quod ipsi cum eis intercedebat. *Pœnituit*. Humano more de Deo loquitur, ut doceat, hos affectus humanos, in Deo esse dumtaxat effectus. Consilium puniendi eos retractavit. *Misericordiæ*. Ut transierunt Nostri, qui singulariter proferunt, quasi legerint punctis immutatis חסדו, quod nunc Hebræis est plurale חֲסָדָיו, Pietatum, officiorum ejus.

46. *In misericordias*. Sic Hebræus dativo, suo tropo: Misericordiis, ut vel suaviter tractarentur, vel etiam liberarentur. *In conspectu*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Faciebus, ante. *Qui ceperant eos*. Non aliter Hebræus fere participio: Abducentium, captivantium eos.

47. *De nationibus*. Sic Hebræus: De gentibus. Brevis de collectione Ecclesiæ peroratio. *Ut confiteamur*. Hebræus gerundio: Ad confitendum, celebrandum. *Sancto*. Sic Hebræus substantivo nomine: Sanctitatis tuæ. *Et gloriemur*. Hebræus idem gerundio: Ad laudandum nos; ut laude tua gloriosi simus.

48. *In*. Hebræus: Ad seculum. *Et dicet*. Hebræus præterito, quod tamen usurpari potest futuri vice: Et dixit. *Fiat*. Hebræus: Amen; stabile, ratum, & firmum sit. Secundum, Fiat, non habetur in Hebræo, sed additur Hallelujaha, ut in superiori psalmo. Ibi vide.

Explicit Liber quartus Psalmorum, & incipit quintus, juxta Hebræorum divisionem.

PSAL-

PSALMUS CVII. Latinis CVI.

		Hallelujaha.
הדו ליהוה כי טוב כי ל לעולם חסדו׃	1. *Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam seculo pietas ejus.*	1. Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
יאמרו גאולי יהוה אשר ג גאלם מיד צר׃	2. *Dicent redempti DOMINI, quos redemit eos de manu tribulantis.*	2. Dicant, qui redempti sunt a DOMINO, quos redemit de manu inimici.
ומארצות קבצם ממזרח ז וממערב מצפון ומים׃	3. *Et de regionibus congregavit eos ab oriente, & ab occasu, ab aquilone, & mari.*	3. Et de regionibus congregavit eos. A solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari.
תעו במדבר בישימון דרך עיר מושב לא מצאו׃	4. *Erraverunt in solitudine in jescimone via, civitatem habitaculi non invenerunt.*	4. Erraverunt in solitudine, in inaquoso; viam civitatis habitaculi non invenerunt.
רעבים גם צמאים נפשם בהם תתעטף׃	5. *Esurientes, etiam sitientes, anima eorum in ipsis syncopin patietur.*	5. Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit.
ויצעקו אל יהוה בצר להם ממצוקותיהם יצילם׃	6. *Et clamaverunt ad DOMINUM in angustia eis, de pressuris eorum liberabit eos.*	6. Et clamaverunt ad DOMINUM, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.
וידריכם בדרך ישרה ללכת אל עיר מושב׃	7. *Et deduxit eos in viam rectam ad eundum ad civitatem habitationis.*	7. Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.
יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם׃	8. *Confitebuntur DOMINO pietatem ejus, & mirabilia ejus filiis Adam.*	8. Confiteantur DOMINO misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.
כי השביע נפש שוקקה ונפש רעבה מלא טוב׃	9. *Quia satiavit animam appetentem, & animam esurientem implevit bono.*	9. Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.
ישבי חשך וצלמות אסירי עני וברזל׃	10. *Sedentes obscuritatis, & umbra mortis vincti afflictionis, & ferri.*	10. Sedentes in tenebris, & umbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro.
כי המרו אמרי אל ועצת עליון נאצו׃	11. *Quia contrafecerunt eloquia Dei, & consilium Altissimi irritaverunt.*	11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei, & consilium Altissimi irritaverunt.
ויכנע בעמל לבם כשלו ואין עזר׃	12. *Et humiliavit in labore cor eorum, impegerunt, & non fuit adjutor.*	12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt, nec fuit, qui adjuvaret.

13. Et

ויועקו אל יהוה בצר להם ממצוקותיהם יושיעם:	13. *Et clamaverunt ad DOMINUM in angustia eis, de pressuris eorum salvabit eos.*	13. Et clamaverunt ad DOMINUM, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.
יוציאם · מחשך וצלמות ומוסרותיהם ינתק:	14. *Educet eos de obscuritate, & umbra mortis, & vincula eorum dirumpet.*	14. *Et* eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit.
יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם:	15. *Confitebuntur DOMINO pietatem ejus, & mirabilia ejus filiis Adam.*	15. Confiteantur DOMINO misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.
כי שבר דלתות נחשת ובריחי ברזל גדע:	16. *Quia contrivit portas æris, & vectes ferri confregit.*	16. Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.
אוילים מדרך פשעם ומעונתיהם יתענו:	17. *Stulti a via prævaricationis eorum, & ab iniquitatibus suis se affligent.*	17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter injustitias enim suas humiliati sunt.
כל אבל תתעב נפשם ויגיעו עד שערי מות:	18. *Omnem escam abominabitur anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.*	18. Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.
ויועקי אל יהוה בצר להם ממצוקותיהם יושיעם:	19. *Et clamaverunt ad DOMINUM in angustia eis, de pressuris eorum salvabit eos.*	19. Et clamaverunt ad DOMINUM, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.
ישלח דברו וירפאם וימלט משחיתותם:	20. *Mittet verbum suum, & sanabit eos, & eripiet de corruptionibus eorum.*	20. Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit *eos* de interitionibus eorum.
יודו ליהיה חסדו ונפלאתיו לבני אדם ،	21. *Confitebuntur DOMINO pietatem ejus, & mirabilia ejus filiis Adam.*	21. Confiteantur DOMINO misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.
ויזבחו זבחי תודה ויספרו מעשיו ברנה:	22. *Et sacrificabunt sacrificia confessionis, & narrabunt opera ejus in ovatione.*	22. Et sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera ejus in exsultatione.
יורדי הים באניות עשי מלאכה במים רבים:	23. *Descensores maris in navibus, factores operationis in aquis multis.*	23. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.
המה ראו מעשי יהוה ונפלאותיו במצולה:	24. *Ipsi viderunt opera DOMINI, & mirabilia ejus in profundo.*	24. Ipsi viderunt opera DOMINI, & mirabilia ejus in profundo.

ויברכם וירבו מאד ובהמתם לא ימעיט :	38. *Et benedixit* [illegible] *multiplicati sunt valde*, *& jumentum eorum non minorabit.*	...am utrumque significat), morborum ...semetipsis erunt. ...*minata est*. Hebræus futu- & ... fastidio habebit. minora... is articulum.
וימעטו וישחו מעצר רעה ויגון :	39. *Et pauci facti sunt, & depressi sunt a constrictione mali, & doloris.*	39. Et pauc... *&c.* He- & vexati sunt a ... tione malorum, & dolo- re.
שפך בוז על נריבים ויתעם בתהו לא דרך :	40. *Effundit contemptionem super principes, & errare fecit eos in informi, non via.*	40. Effusa est contemptio super principes, & errare fecit eos in invio, *&* non in via.
וישגב אביון מעוני וישם כצאן משפחות :	41. *Et elevavit pauperem de afflictione, & posuit sicut ovem familias.*	41. Et adjuvit pauperem de inopia, & posuit sicut oves familias.
יראו ישרים וישמחו וכל עולה קפצה פיה :	42. *Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.*	42. Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.
מי חכם וישמר אלה ויתבוננו חסדי יהוה :	43. *Quis sapiens, & custodiet hæc? & intelligent pietates DOMINI?*	43. Quis sapiens, & custodiet hæc? & intelliget misericordias DOMINI?

ANNOTATIONES.

Itinerantium errores, vinctorum squallores, ægrotantium morbos, navigantium discrimina, denique status rerum humanarum permutationem, carmine decantans elegantissimo, ad Deum laudandum, qui se invocantes ex omnibus liberet periculis, & bonis cumulet, invitat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Hallelujaha. Non habetur in Hebræo, nec in Græco, quod a Vulgato eadem ratione, ac psalmo 105. hic additur. De errantibus primo psalmi versu incipit dicere; de vinctis 10, de ægrotis 17, de navigantibus 23, de mutatione seculi tandem 33. versu tractatur. Duo sunt versus intercalares, quater repetiti, sextus scilicet, & octavus, ut facile videre potes, atque hic quidem semper idem est; prior etiam, paucis immutatis, eundem sensum retinet ubique, quoniam sicuti in omni periculorum genere idem est modus evadendi, nempe clamor ad Dominum cum pœnitentiæ luctu conjunctus, sic eadem in singulis liberationum generibus debet esse caussa confessionis & laudis, nempe Dei misericordia & gratia.

1. *In seculum*. Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. *Misericordia*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietas, officium, beneficentia.

2. *Dicant*. Hebræus futuro, quod tamen aliis etiam temporibus servit, ut in Grammaticis rebus docuimus: Dicent (omnes in discriminibus positi, de quibus tractaturus est) versiculum præcedentem scilicet, Confitemini Domino, &c., ad celebrandum Deum se invicem cohortantes. Genebrardo est aposiopesis: Confessionem scilicet, & laudem dicent; quod non placet. *Qui redempti*, *&c.* Sic Hebræus participio: Redempti Domini. *Redemit*. Hebræus addit pronomen Eos, de more linguæ, quod latine vacat. *Inimici*. Idem fere Hebræus: Tribulantis, affligentis; vel an-

 gu-

guſtiæ, afflictionis, tam itineris quam aliorum diſcriminum, de quibus in pſalmo.

3. *A ſolis ortu.* Sic Hebræus: Ab oriente. *A mari.* A meridie; nam verſus illam partem eſt locus Oceani proprie. Vel certe ex maritimis regionibus, ex inſulis; Nam alias maris nomen pro occidentali plaga ſemper uſurpatur. Conſule Theſaurum. Vel tandem ex mari proprie, nam etiam iſte pſalmus verſ. 23. de navigantibus tractat.

4. *In inaquoſo.* Vox hebræa nonquamlibet ſolitudinem, ſed arenoſam, ſiccam, & aquis deſtitutam deſignat, qualis erat illa, per quam Iſraelitæ tranſierunt. Vide Theſaurum. *Viam.* Noſtris regitur a ſequenti verbo: Non invenerunt viam; Hebræis autem a præcedenti: Erraverunt via, itinere. Minimi momenti varietas. *Civitatis.* Noſtris regitur a Via, nam legerunt דֶּרֶךְ עִיר, ſed nunc Hebræis a verbo regitur: Civitatem non invenerunt. *Habitaculi.* Habitationis, ad habitandum.

5. *Et.* Hebræus habet particulam adjectivam, Etiam, ſicque intelligendum eſt latinum *Et.* Fame & ſiti laborantes. *Defecit.* Idem fere Hebræus: Syncopen patietur. Vide Theſaurum. Eſt autem Hebraiſmus. Ideſt, eſurientium, & ſitientium anima apud ipſos deficit, ut qui ſint præ rerum neceſſariarum inopia animo anxii.

6. *Cum tribularentur.* Sic Hebræus ſuo loquendi idiotiſmo: In anguſtia, tribulatione eis. *Et.* Non habetur in Hebræo. *De neceſſitatibus.* Quæ preſſuram, & anguſtiam faciunt. Hebræus: De preſſuris, de afflictionibus. *Eripuit.* Hebræus futuro: Liberabit, eripiet eos.

7. *Ut irent.* Sic Hebræus gerundio: Ad eundum. *In.* Hebræus: Ad civitatem habitationis; quæ habitatur.

8. *Confiteantur.* Hebræus futuro: Confitebuntur, celebrabunt erepti ex itineris periculo. *Miſericordiæ.* Ut Noſtri transferunt, quod ſumunt in nominativo per metonymiam, vel proſopopœjam, ſicut etiam quod ſequitur, *Mirabilia*, ideſt homines miſericordiis & miraculis ornati; vel beneficia, & miranda ejus opera. Hebræi ſumunt in accuſativo ſingulariter: Pietatem ejus, beneficium, & ejus erga errantes mirabilia. *Filiis hominum.* Sic Hebræus ſuo modo: Filiis Adam.

9. *Inanem.* Translatio ſenſus. Hebræus: Appetentem, ſitientem ob aquarum penuriam. Primæ partis per enumerationem abſolutio. *Satiavit.* Hebræus: Replevit. Nulla varietas ſenſus. *Bonis.* Hebræus ſingulariter: Bono.

10. *In tenebris.* Sic Hebræus genitivo ſingulari, ſuo loquendi modo: Sedentes, ſeſſores obſcuritatis. Noſtris eſt accuſativus per zeugma. Supple, ſatiavit bonis. Hebræis eſt nominativus; nam hic incipit ſecunda narratio de captivis, & conſtruitur cum verbo Confitebuntur verſ. 15. *Umbra mortis.* Ideſt, obſcuriſſima. Seſſores tenebrarum, & umbræ mortis (idiotiſmo ſatis pulcherrimo) ſunt vincti in carcere, qui ſolet eſſe obſcurus; quod apertius mox explicat. *Vinctos.* Hebræi nominativo: Vincti. *In mendicitate.* Noſtri vocem hebræam, quæ large ſumitur, ad victus neceſſaria retulerunt. Hebræus autem genitivo dicit: Vincti afflictionis, paupertatis, & miſeriæ, ſive mendicitatis, ſive vinculorum, & funium. *Ferro.* Hebræus iterum genitivo: Ferri. Ferreis vinculis.

11. *Exacerbaverunt.* Ut tranſierunt Noſtri. Hebræus: Contrafecerunt, contradixerunt, variarunt, legibus non parentes. Contrafacere eloquia Dei, & irritare ejus conſilium, ſunt Hebraiſmi æquipollentes.

12. *Et humiliatum eſt.* Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt in Niphal נִכְנַע, quod nunc Hebræis eſt ex Hiphil נִכְנִיעַ, Et humiliavit, depreſſit; Deus ſcilicet, quod ſuis præceptis non paruerint, immo ea averſati ſint. *In laboribus.* Hebræus ſingulariter: In labore, ærumnis. *Cor.* Noſtris eſt nomi-

mi-

minativus, Hebræis accusativus, & ponitur pro mente & animo, in quo est sedes superbiæ & contemptionis. Vide Thesaurum. *Infirmati sunt*. Hebræus: Impegerunt, corruerunt a suo statu priori in captivitatem, & vincula. *Nec fuit, &c.* Idem Hebræus participio: Et non adjuvans, adjutor. Supple, fuit.

13. *Cum tribularentur, &c.* Hebræus ut superius vers. 6. *Liberavit*. Hebræus futuro: Salvabit eos.

14. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Eduxit*. Hebræus futuro: Educet eos. *De tenebris*. Hebræus singulariter: De obscuritate, de carcere, ut supra vers. 10. *Disrupit*. Hebræus iterum futuro: Disrumpet.

15. *Confiteantur, &c.* Hebræus ut supra vers. 8. de errantibus, sic nunc de vinctis idem asserit.

16. *Æreas*. Idem Hebræus substantivo: Æris. Ostia ærea. *Ferreos*. Hebræus iterum substantivo: Ferri. Claustra ferrea proprie, vel hyperbolice, idest, Portas, & vectes fortissimos.

17. *Suscepit eos*. Narratio tertia de morbo affectis. Suspicor, Nostros alium habuisse textum, nec, quid legerint, conjectare valeo; nisi velles eos, quibusdam literis immutatis, & transpositis, legisse לְקָחַם, ex Aleph scilicet Heth facto, & ex Vav & Jod contractis Coph. Illis autem relativum Eos præponitur antecedenti, de more linguæ, vel est sine antecedente. Suscepit (inquiunt) eos, de quibus postea, idest, Ægrotos liberavit, adjuvit. Hebræus nunc habet אֱוִלִים, Stulti, fatui. *De via*. Idem Hebræus, sed alio sensu: A via, propter viam, studium, actionem, & hujusmodi. Consule Thesaurum. *Iniquitatis*. Non longe aliter Hebræus: Prævaricationis eorum, tam corporis, quam animæ, nempe victu, labore nimio, peccatis, & hujusmodi. *Propter injustitias enim suas*. Hebræus: Et ab iniquitatibus suis. Propter iniquitates corporis, & animæ morbos sibi contraxerunt. *Humiliati sunt*. A se ipsis. Hebræus futuro: Se humiliabunt, se affligent (nam utrumque significat), morborum caussa sibimetipsis erunt.

18. *Abominata est*. Hebræus futuro: Abominabitur, fastidio habebit. *Portas mortis*. Ad mortis articulum.

19. *Cum tribularentur, &c.* Hebræus ut superius vers. 13.

20. *Misit*. Hebræus idem futuro: Mittet verbum suum, voluntatem, jussum, gratiam suam. *Sanabit*. Eripuit. Hebræus iterum futuro: Sanabit, eripiet. *Eos*. Ad declarationem additum. Nisi malles, Nostros legisse וימלטם, Mem subsequente retracto. Sed hoc nihil refert. *De interitionibus*. Idem fere Hebræus: De corruptionibus. Morbis corpora corrumpuntur, & intereunt.

21. *Confiteantur, &c.* Hebræus ut supra vers. 8. Idem nunc de ægrotantibus refert.

22. *Sacrificent*. Hebræus futuro: Sacrificabunt. Græcus addit αὐτῷ. *Sacrificium*. Hebræus pluraliter: Sacrificia confessionis, laudis, gratiarum actionis. *Annuncient*. Non aliter fere Hebræus futuro: Narrabunt, prædicabunt. *In exsultatione*. Hebræus: Ovatione, cantico, & laude.

23. *Qui descendunt mare*. Idem Hebræus participio: Descendentes, descensores maris. Quartus locus de navigantibus. *Operationem*. Hebræus genitivo: Facientes, factores operationis; rem navariam, vel mercaturam etiam exercentes in aquis. Aquæ multæ mare designant.

24. *Opera, & mirabilia Domini*. Quæ statim subinfert in sequentibus.

25. *Et stetit spiritus*. Nostri procul dubio punctis immutatis legerunt in Cal וַיַּעֲמֹד, (quamvis spiritus nomen fœmininum sit, & verbum masculinum); quod nunc Hebræis est ex Hiphil וַיַּעֲמֵד, Et stare fecit spiritum procellæ, excitavit dicto, & nutu suo ventum tempestuosum. *Exaltati sunt*. Legerunt etiam hic Nostri paucis immutatis ותרוממו, ex Pohal (vel certe significationem mu-

 ta-

...ati verbo Stetit con... ...od nunc Hebræis eadem ... Pihel נְרוֹמֵם, Et elevavit, ...t Deus fluctus ejus (maris).

26. *Ascendunt*. Hebræus idem futu...o: Ascendent fluctus, & una cum ipsis naves & navigantes. Tempestatis ingentis, & affectus navigantium hypotyposis. *Usque ad*. Verba ascendendi & descendendi construuntur in Hebræo, etiam sine præpositionibus aliquando, satis eleganter, quæ tamen subintelligendæ sunt. Ascendere (ad) cælos, descendere (ad) abyssos. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Descendunt*. Hebræus iterum futuro: Descendent. *In malis*. Hebræus singulariter: In malo. *Tabescebat*. Hebræus futuro: Liquefiet. Animam liquescere in malo, est idiotismus; idest, tabescere, languere.

27. *Turbati sunt*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Festivabunt; nam verbum hoc significat Festivare, motum corporis exercere, ut fit in festis, & lætis diebus saliendo, & hujusmodi. Hanc agitationem ob instantis naufragii periculum, Nostri turbationem appellant eleganter. *Moti sunt*. Hebræus iterum futuro: Movebuntur sicut ebrius. Pulcra, & admodum propria comparatio. Ebrii motus festivi quidem videntur, sed a turbata mente procedunt; Sic nautarum motiones & discursus non sunt a tranquilla mente ob mortis metum. Græcus omittit conjunctionem. *Devorata est*. Hebræus futuro: Deglutietur, devorabitur, se ipsam deglutiet, deficiet in his periculis.

28. *Cum tribularentur, &c.* Hebræus ut superius vers. 6. *Eduxit*. Hebræus futuro: Educet.

29. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Statuit*. Hebræus futuro: Statuet, stare faciet. *Ejus*. Nostri legerunt cum affixo סְעָרָהּ, a nomine סַעַר; quod nunc Hebræis est nomen formæ fœmininæ סְעָרָה, procella. Sed hoc nihil refert. *In auram*. Translatio sensus. Idest, in lenem ventum, in tranquillitatem. Hebræus dativo: Silentio, fecit ut sileret, quiesceret. *Et siluerunt*. Idiotismus. Vento cessante quieverunt fluctus, sedati sunt.

30. *Quia siluerunt*. Idem Hebræus futuro: Quod silebunt, quiescent. *In*. Hebræus: Ad portum voluntatis eorum, ad portum optatum. Græcus habet αὐτῶ, ejus.

31. *Confiteantur, &c.* Ut supra vers. 8. eadem nunc de navigantibus iterantur.

32. *Exaltent*. Hebræus futuro: Exaltabunt eum in ecclesia plebis, in cœtu populi, frequenti concione. *In cathedra*. In consessu senatorum; inter magistratus. *Laudent*. Hebræus iterum futuro: Laudabunt.

33. *Posuit*. Hebræus futuro: Ponet. Transit ad ultimam partem, in qua de variatione status rerum humanarum tractat, sterilitatem videlicet, & fœcunditatem, opes, & inopiam, honores, & ignominiam Deum pro suæ providentiæ arbitrio in homines immittere. *In desertum*. Hebræus dativo, suo idiotismo: Deserto. In locum siccum. *Exitus*. Egressiones, scatebras, fontes aquarum. *In sitim*. Hebræus iterum dativo: Siti. In locum siticulosum & aridum. Idem dicit utroque hemistichio, & duplicem habet sensum, nam vel est idiotismus, Ponere flumina deserto, & exitus aquarum siti, idest, exsiccare flumina, & fontes aquarum, ut sint instar deserti arida; Vel certe est simplex narratio; Ponere flumina deserto, hoc est, desertum reddere fœcundum ob immissionem aquarum. Sic Ponere fontes siti, est terram aridam siticulosamve reddere fœcundam, aquarum copia. Deum contraria facere, ut libet, asserit, juxta illud, Ubi mare, olim terra; nam hinc fœcunda redduntur loca; at in sequenti versiculo fœcunda fiunt sterilia.

34. *Fructiferam*. Idem Hebræus substantivo nomine: Fructus. *In salsuginem*. Hebræus dativo, ut superius: Salsuginosæ, in terram sterilem propter malitiam incolarum.

35. *Posuit*. Hebræus futuro: Ponet. *In stagna*. Hebræus idem dativo singulari:

ri: Stagno aquarum; in aquas ſtagnantes. *Sine aqua*. Translatio ſenſus. Hebræus: Siccam, aridam. *In exitus*. Hebræus iterum dativo: Exitibus. In ſcatebras, & fontes aquarum.

36. *Conſtituerunt*. Aptaverunt, firmarunt civitatem habitabilem, quæ poſſit habitari. Græcus ponit Civitates.

37. *Fructum nativitatis*. Translatio ſenſus: Fructum copioſe naſcentem, proventum fructuoſum. Hebræus: Fructum proventus; ideſt copioſe provenientem.

38. *Eis*. Hebræus idem accuſativo: Eos fortunavit, atque multis bonis affecit. *Nimis*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Valde aucti ſunt. *Jumenta*. Hebræus ſingulariter collective: Jumentum. *Non minoravit*. Hebræus futuro: Non minorabit; ideſt, augebit.

39. *Vexati ſunt*. Non longe aliter Hebræus: Depreſſi ſunt. Extollit, & deprimit, ut libet. *A tribulatione*. Idem fere Hebræus: A conſtrictione; conſtringente, adigente eos malo. *Malorum*. Hebræus ſingulariter: Mali. *Dolore*. Vel doloris, mœroris. Græcus etiam genitivo, ὀδύνης.

40. *Effuſa eſt contemptio*. Noſtri punctis immutatis legerunt שֻׁפַּךְ, in Pohal, quod nunc Hebræis eſt ex Cal שֹׁפֵךְ, Effundens eſt, effundit contemptionem, ignominiam, irriſionem ſuper Principes, ut amiſſis urbibus, ſe ſe in ſolitudines abdere cogantur. Græcus addit αὐτῶν. *In invio*. In deſerto devio, in loco informi. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec etiam præpoſitio In, ſed dicitur tantum: Non via (idiotiſmo pulcherrimo), ideſt, ubi non eſt via. Vaſtæ ſolitudinis periphraſis.

41. *Adjuvit*. Translatio ſenſus. Hebræus: Elevavit; in altiorem & tutum locum evexit. *De inopia*. Vel de afflictione, miſeriis. Vox hebræa latius uſurpatur. *Oves*. Idem Hebræus ſingulariter collective: Ovem. Familias pauperum multiplicavit, auxit, ſicut oves, numeroſas reddidit. Ovis multum fœtificat, & prolem ſæpius edit.

42. *Videbunt* (hæc) *recti*, & *gaudebunt*. *Et omnis iniquitas*. Metonymia. Iniqui omnes. *Oppilabit*. Occludet, contrahet os ſuum, obmuteſcet.

43. *Quis ſapiens?* Concluſio vim negandi, vel minuendi, vel optandi tandem habens, quaſi dicat; Nullus, vel pauciſſimi ſunt; vel utinam adſint, qui ſatis contemplentur, & cuſtodiant hæc in corde ſuo, ut intelligant, omnia eſſe in Dei manu, prout ſupra dictum eſt. *Et intelliget*. Noſtri fortaſſe legerunt faciliſſimo vocis tranſitu וְיִתְבּוֹנֵן, ut concordet cum ſuperiori verbo ſingulari, Cuſtodiet. Sed nunc Hebræis eſt plurale וְיִתְבּוֹנְנוּ, Et intelligent (omnes ſcilicet). Nullius momenti variatio. *Miſericordias*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Pietates, officia, beneficia, quæ ſemper juſte confert, vel juſtis præmia donans, vel injuſtos condemnans, licet nos occultorum illius judiciorum cauſſas ſæpius ignoremus.



PSAL-

PSAL. CVIII. Lat. CVII.

שיר מזמור לדוד :	1. *Canticum psalmi Davidi*.	1. Canticum Psalmi *ipsi* David.
נכון לבי אלהים אשירה ואזמרה אף כבודי :	2. *Paratum cor meum Deus, cantabo, & psallam etiam gloria mea*.	2. Paratum cor meum Deus, *paratum cor meum*, cantabo, & psallam *in* gloria mea.
עורה הנבל וכנור אעירה שחר :	3. *Expergiscere nablum, & citharam excitabo diluculo*.	3. Exsurge psalterium, & cithara, exsurgam diluculo.
אודך בעמים יהוה ואזמרך בלאמים :	4. *Confitebor te in populis DOMINE, & psallam te in nationibus*.	4. Confitebor tibi in populis, DOMINE, & psallam tibi in nationibus.
כי גדול מעל שמים חסדך ועד שחקים אמתך :	5. *Quia magna est desuper cælos pietas tua, & usque ad nubes veritas tua*.	5. Quia magna est super cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.
רומה על שמים אלהים ועל כל הארץ כבודך:	6. *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua*.	6. Exaltare super cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua:
למען יחלצון ידידיך הושיעה ימינך ועננו :	7. *Ut liberabuntur dilecti tui, salvum fac dextera tua, & responde nobis*.	7. Ut liberentur dilecti tui. Salvum fac dextera tua, & exaudi me.
אלהים דבר בקדשו אעלזה אחלקה שכם ועמק סכות אמדד:	8. *Deus locutus est in sanctitate sua, exsultabo, dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar*.	8. Deus locutus est in sancto suo. Exsultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.
לי גלעד לי מנשה ואפרים מעוז ראשי יהודה מחקקי :	9. *Mihi Galaad, mihi Manasses, & Ephraim robur capitis mei; Juda dux meus*.	9. Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim susceptio capitis mei; Juda rex meus.
מואב סיר רחצי על אדום אשליך נעלי עלי פלשת אתרועע:	10. *Moab lebes lotionis meæ, super Edom projiciam calceamentum meum, super Palæstinam jubilabo*.	10. Moab lebes spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt.
מי יבילני עיר מבצר מי נחני עד אדום :	11. *Quis deducet me* ad *civitatem munitionis? quis duxit me usque Edom?*	11. Quis deducet me *in* civitatem munitam? quis deducet me usque *in* Idumæam?
הלא אלהים זנחתנו ולא תצא אלהים בצבאתינו :	12. *Nonne Deus repulisti nos? & non exibis Deus in exercitibus nostris?*	12. Nonne *tu* Deus, *qui* repulisti nos? & non exibis Deus in virtutibus nostris?

הבה לנו עזרת מצר ושוא תשועת אדם:

13. *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis.*

13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

באלהים נעשה חיל והוא יבוס צרינו:

14. *In Deo faciemus exercitum, & ipſe conculcabit tribulantes noſtros.*

14. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

ANNOTATIONES.

Fidelium vota carmine deſcribens elegantiſſimo, Deum tandem fore ſibi proſperum contra Moabitas, Palæſtinos, & Idumæos, ideſt Hæreticos omnes, & Infideles, prædicit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito. Pſalmus eſt compoſitus ex 57. & 60. paucis immutatis, nam ex fine illius quinque verſus priores deſumpti ſunt; ex alio cetera uſque ad finem; quare breviores hic erimus, quod illic annotavimus neceſſaria, ne eadem repetamus.

1. *Pſalmi*. Vel Pſalmus; ideſt voce & inſtrumento muſico decantandum carmen. *Ipſi*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum Davidi, vel Davidis; nam Lamed utrique cauſi deſervire, ſæpius diximus.

2. *Paratum cor meum*. Verba hæc ex alio pſalmo deſumpta non reiterantur hic. *Cantabo & pſallam*. Hinc titulus eſt, Canticum, Pſalmus. *In*. Ad declarationem additum, quod non habetur in Hebræo, ſed ejus loco eſt particula adiectiva אף, Etiam gloria mea. Caſus ablativi. Non ſolum corde parato, ſed & anima, quæ gloria corporis eſt, ex animo cantabo, & pſallam. Nulla varietas.

3. *Exſurge*. Idem Hebræus fere: Excitare, expergiſcere. Poetice muſicalia ſua inſtrumenta alloquitur. *Pſalterium*. Hebræus: Nablum. *Exſurgam*. Hebræus: Excitabo. Cujus varietatis cauſſam in alio pſalmo diximus. *Diluculo*. Sic Hebræus: Aurora, matutino tempore excitabo inſtrumenta mea muſica, dicens: Expergiſcere nablum, & cithara. Quidam interpretantur, Auroram ipſam excitabo, ut in alio pſalmo diximus. Eclipſis, & Proſopopœja Genebrardi non admodum placent.

4. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te celebrabo, te pſallam. Græcus omittit conjunctionem.

5. *Super*. Hebræus addit aliam præpoſitionem: De ſuper. Hyperbole. *Miſericordia*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Pietas. Hactenus ex Pſal. 57. Quæ ſequuntur ex 60. deſumpta ſunt.

7. *Liberentur*. Hebræus idem futuro: Liberabuntur. *Dextera tua*. Tua potentia, & viribus. *Exaudi me*. Sic transferre Noſtros, ſæpius vidimus. Hebræus: Reſponde (quod exauditionis ſignum eſt) mihi, vel nobis, nam ſcribitur cum Vav, & legitur cum Jod ex Maſarah, quaſi illud Vav ſit Jod magnum, ad declarandam exauditionis certitudinem, vel aliud quid ſimile.

8. *In ſancto ſuo*. Neutrius generis. Sic Hebræus: In ſanctitate ſua; per Spiritum Sanctum loquens promiſit, quæ ſequuntur. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Convallem tabernaculorum*. Hebræus: Vallem Succhoth.

9. *Meus eſt*. Hebræus ſuo tropo: Mihi eſt Galaad, &c. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Suſceptio*. Tranſlatio ſenſus. Auxilium, defenſio; robur proprie, ut Hebræus Fortitudo, ſicut & alio pſalmo ponitur. *Rex*.

Idem Hebræus: Legifer, Dux, qui condendæ legis jus habet.

10. *Spei*. Hebræus: Lotionis. *In Idumæam*. Sic Hebræus: Super Edom. *Extendam*. Hebræus: Projiciam. Vide in alio Pſalmo, quæ notavimus. *Mihi*: Noſtri mutatis punctis legerunt עָלַי, ſuper me (ſicut & in alio pſalmo) quod nunc Hebræis eſt עָלָי, ſuper. *Alienigenæ*. Hebræus: Palæſtinam. *Amici facti ſunt*. Videntur etiam hic Noſtri legiſſe paucis immutatis הִתְרוֹעֲעוּ in præterito, ut in alio pſalmo; quod nunc Hebræis eſt futurum אֶתְרוֹעָע, Jubilabo, quòd eam debellaverim. Hebræum verbum plura ſignificat. Conſule Theſaurum.

11. *In*. Vel *Ad* ſubintelligendum, quod lingua reticet Hebræa. Sic etiam mox. Uſque (*in*, vel *ad*) Idumæam. *Munitam*. Idem Hebræus ſubſtantivo, de more linguæ: Munitionis; quæ arces, & præſidia habet valida. *Deducet*. Hebræus: Deduxit; olim multis jam victoriis de Idumæis ope Dei reportatis.

12. *Tu*. Ex alio pſalmo deſumptum. *Qui*. A Noſtris additum. Vide quæ notavimus in alio pſalmo. *In virtutibus noſtris*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus: In exercitibus noſtris, ut feras auxilium.

13. *Quia*. Hebræus eodem ſenſu: Et; ut in alio pſalmo. *Vana*. Hebræus: Vanum, res vana.

14. *Virtutem*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Potentiam, robur, vim, res potentes & magnas geremus, vel exercitum cogemus in hoſtes, Dei ope & præſidio. Vide Theſaurum. *Ad nihilum deducet*. Hebræus: Calcabit, conculcabit, proteret. Minimi ponderis varietas. *Inimicos*. Hebræus: Tribulantes, ut alio etiam in pſalmo.

PSAL. CIX. Latinis CVIII.

למנצח לדוד מזמור אלהי תהלתי אל תחרש:	1. *Præfecto, Davidi Pſalmus. Deus laudis meæ ne obſurdeſces.*	1. In finem, Pſalmus David. Deus laudem meam ne tacueris.
כי פי רשע ופי מרמה עלי פתחו דברו אתי לשון שקר:	2. *Quia os injuſti, & os fraudis ſuper me aperuerunt, locuti ſunt mecum lingua mendacii.*	2. Quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa.
ודברי שנאה סבבוני וילחמוני חנם:	3. *Et verbis odii circumdederunt me, & oppugnaverunt me gratis.*	3. Et ſermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.
תחת אהבתי ישטנוני ואני תפלה:	4. *Sub amore meo adverſabuntur me, ego autem oratio.*	4. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.
וישימו עלי רעה תחת טובה ושנאה תחת אהבתי:	5. *Et poſuerunt ſuper me malum ſub bono, & odium ſub dilectione mea.*	5. Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.
הפקד עליו רשע ושטן יעמד על ימינו:	6. *Præfice ſuper eum injuſtum, & diabolus ſtabit ſuper dextera ejus.*	6. Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet a dextris ejus.

7. Cum

בהשפטו יצא רשע ותפלתו תהיה לחטאה:	7. *In judicando ipsius exibit injustus, & oratio ejus erit peccato.*	7. Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum.
יהיו ימיו מעטים פקדתו יקח אחר:	8. *Erunt dies ejus pauci, præfecturam ejus accipiet alter.*	8. Fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter.
יהיו בניו יתומים ואשתו אלמנה:	9. *Erunt filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.*	9. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.
ונוע ינועו בניו ושאלו ודרשו מחרבותיהם:	10. *Et movendo movebuntur filii ejus, & postulabunt, & requirent de desolationibus suis.*	10. Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis.
ינקש נושה לכל אשר לו ויבזו זרים יגיעו:	11. *Illaqueabit fœnerator omni, quod ei, & diripient alieni laborem ejus.*	11. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus.
אל יהי לו משך חסד ואל יהי חונן ליתומיו:	12. *Ne erit illi protrahens pietatem, nec erit miserescens pupillis ejus.*	12. Non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur pupillis ejus.
יהי אחריתו להכרית בדור אחר ימח שמם:	13. *Erit ultimum ejus ad excidendum, in ætate altera deleatur nomen eorum.*	13. Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus.
יזכר עון אבתיו אל יהוה וחטאת אמו אל תמח:	14. *In memoriam revocabitur iniquitas patrum ejus ad DOMINUM, & peccatum matris ejus ne delebitur.*	14. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu DOMINI, & peccatum matris ejus non deleatur.
יהיו נגד יהוה תמיד ויכרת מארץ זכרם:	15. *Erunt contra DOMINUM semper, & disperdet de terra memoriam eorum.*	15. Fiant contra DOMINUM semper, & dispereat de terra memoria eorum.
יען אשר לא זכר עשות חסד וירדף איש עני ואביון ונכאה לבב למותת:	16. *Pro eo quod non est recordatus facere pietatem, & persecutus est hominem afflictum, & mendicum, & percussum corde ad mortificandum.*	16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam; & persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.
ויאהב קללה ותבואהו ולא חפץ בברכה ותרחק ממנו:	17. *Et dilexit maledictionem, & venit* ad *eum, & noluit (in) benedictionem, et elongata est ab eo.*	17. Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.
וילבש קללה כמדו ותבא כמים בקרבו וכשמן בעצמותיו:	18. *Et induit maledictionem sicut vestimentum suum, & venit sicut aqua in medium ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.*	18. Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.

תהי לו כבגד יעטה ולמזח תמיד יחגרה:	19. *Erit ei ficut veftimentum* quo *operietur*, & *zonæ femper præcinget eam.*	19. Fiat ei ficut veftimentum, *quo* operitur, & *ficut* zona, *qua* femper præcingitur.
ואת פעלת שטני מאת יהוה והדברים רע על נפשי:	20. *Hoc opus adverfantium meorum a DOMINO, & loquentium malum fuper animam meam.*	20. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud DOMINUM, & qui loquuntur mala adverfus animam meam.
ואתה יהוה אדני עשה אתי למען שמך כי טוב חסדך הצילני:	21. *Et tu DOMINE Domine fac mecum propter nomen tuum, quia bona eft pietas tua, libera me.*	21. Et tu DOMINE Domine fac mecum propter nomen tuum, quia fuavis eft mifericordia tua, libera me.
כי עני ואביון אנכי ולבי חלל בקרבי:	22. *Quia afflictus, & pauper ego, & cor meum vulneratum eft in medio mei.*	22. Quia egenus & pauper ego *fum*, & cor meum conturbatum eft intra me.
כצל כנטותו נהלכתי נגערתי כארבה:	23. *Sicut umbra fecundum declinare ejus, inceffi, excuffus fum ficut locufta.*	23. Sicut umbra, cum declinat, ablatus fum, & excuffus fum ficut locuftæ.
ברכי כשלו מצום ובשרי כחש משמן:	24. *Genua mea impegerunt a jejunio, & caro mea mentita eft a pinguedine.*	24. Genua mea infirmata funt a jejunio, & caro mea immutata eft propter oleum.
ואני הייתי חרפה להם יראוני יניעון ראשם:	25. *Et ego fui opprobrium illis, videbunt me, movebunt caput fuum.*	25. Et ego factus fum opprobrium illis, viderunt me, & moverunt capita fua.
עזרני יהוה אלהי הושיעני כחסדך:	•26. *Adjuva me DOMINE Deus meus, falvum me fac fecundum pietatem tuam.*	26. Adjuva me, DOMINE Deus meus: falvum me fac fecundum mifericordiam tuam.
וידעו כי ידך זאת אתה יהוה עשיתה:	27. *Et fcient, quia manus tua hæc, tu DOMINE fecifti eam.*	27. Et fciant, quia manus tua hæc, & tu, DOMINE, fecifti eam.
יקללו המה ואתה תברך קמו ויבשו ועבדך ישמח:	28. *Maledicent illi, & tu benedices, infurrexerunt, & confufi funt, fervus autem tuus lætabitur.*	28. Maledicent illi, & tu benedices: qui infurgunt *in me*, confundantur, fervus autem tuus lætabitur.
ילבשו שטני כלמה ויעטו כמעיל בשתם:	29. *Induentur adverfantes mei ignominia, & operientur ficut pallio confufione fua.*	29. Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur ficut diploide confufione fua.
אודה יהוה מאד בפי ובתוך רבים אהללנו:	30. *Confitebor DOMINUM valde in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.*	30. Confitebor DOMINO nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

31.

כי יעמד לימין אביון להושיע משפטי נפשו :

31. *Quia stabit dexteræ pauperis ad salvandum e judicibus animæ ejus.*

31. Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

ANNOTATIONES.

SUi temporis invidos, malevolosque homines carmine tropis & figuris elegantissimo describens, & Judam Christi proditorem interim, ceterosque bonorum ejus proditores, & profanos possessores graphice delineans, in ipsorum caput recidere tandem maledicta propria confidens, sibi salutem precatur. Distinctionum varietates ex te recognoscas velim.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, prout alibi sæpius dictum est. *Psalmus David.* Hebræus idem fere: Davidi, vel Davidis psalmus. Lamed utrique casui servire, in Grammaticis rebus vidimus.

Laudem meam. Nostri videntur legisse אֱלֹהִים, vel אֱלֹהַּ in statu absoluto, & ob id sic interpretati sunt, quod nunc Hebræis est in statu syntactico. אֱלֹהֵי, Deus laudis meæ; in quo glorior, vel quem laudo. Nostrorum sensus notus est. *Tacueris.* Nostris est transitivum in aliud. Ne silentio premas laudem meam, assere meum honorem, ab inimicis meis falsis calumniis oppugnatum. Hebræus idem fere, sed neutraliter: Ne obsurdesces; ne surdum simules, & sic taceas, quasi non audias, quæ maledicta in me hostes mei conjiciunt.

2. *Peccatoris.* Sic Nostri transferunt. Hebræus: Injusti. Pravum os. *Dolosi.* Hebræus idem fere substantivo nomine: Fraudis. Dolosum os. *Apertum est.* Hebræus pluraliter: Aperta sunt, vel certe aperuerunt, inimici videlicet; nam verbum est activum. Nullius momenti varietas. *Adversum me.* Translatio sensus. Hebræus: Mecum; verum ut læderent. *Dolosa.* Idem fere Hebræus substantivo: Mendacii. Mendaci lingua.

3. *Sermonibus.* Sic Hebræus: Verbis. Circumdare verbis odii, est Sermonibus odiosis circumveniendi caussa aggredi. *Expugnaverunt.* Oppugnaverunt me sine caussa.

4. *Pro eo, &c.* Hebræus suo idiotismo proprio: Sub amore meo; idest pro dilectione mea. Pronomina hebraica active, & passive sumuntur, ut in Grammaticis rebus docuimus. Nostri resolvunt passive, Pro dilectione mei, pro eo quod me diligere debeant ob quotidiana beneficia. Hebræus active: Pro amore meo; pro eo quod eos diligebam. *Detrahebant mihi.* Non longe aliter Hebræus futuro: Adversabuntur me. Mihi obstant, adversantur. Verbum hebræum Adversari, inimicitias exercere proprie significat. Hinc etiam nomen שָׂטָן, Satan, Diabolus, Adversarius, de quo inferius agemus. *Ego autem orabam.* Vel ut eriperer ab eorum insidiis, aut calumniis; vel pro eis. Hebræus idem suo idiotismo pulcherrimo: Ego autem oratio. Supple, eram. Assiduitatem orandi pulchre denotat, ut contra odium & calumnias remedia a Deo reportaret.

5. *Adversum.* Sic Hebræus: Super me. *Mala pro bonis, &c.* Idem Hebræus suo loquendi tropo, singulariter: Malum sub (pro) bono; & odium sub (pro) dilectione mea, erga eos.

6. *Constitue.* Non aliter Hebræus fere: Præfice, fac dominium in eum habeat, eum possideat. Hebræis omnibus, & Nostris, verba sunt vatis, qui in his imprecationibus impium sibi in genere proponat; licet Nostris dein Spiritus Sanctus certam sibi designet personam, idest Judam proditorem, & Judæos reprobandos. Ego post omnes, &

prior omnium arbitror verba eſſe hoſtium Davidis, & omnium deinde nominis Chriſti proditorum, qui maledicta hæc in eum conferant, licet his dein a Spiritu Sancto in eos contortis, ſuis (ut ajunt) gladiis jugulati ſint: & hoc pluribus adducti rationibus aſſerimus, quas in commentariis hujus pſalmi produximus, & breviter hic eas etiam annotabimus. Mutatio numeri prima ratio eſt. Hactenus de multis fuit ſermo: Aperuerunt, locuti ſunt, &c. Nunc de uno tantum: Præfice ſuper eum, &c., ut in ſequentibus. Hæc ſunt igitur ora injuſta & doloſa, hæc lingua mendax, hi denique ſermones odioſi, quibus olim Davidem; & dein Chriſtum proditores omnes averſabantur dicendo: Præfice, &c. *Peccatorem*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſtum; qui eum vexet, & malis premat. *Diabolus*. Idem Hebræus: Satan, adverſarius, Satanas humani generis inimicus; vel Homo inimicus, adverſarius, qui nunquam ab ejus latere diſcedat, verum ſemper exagitet. *Stet*. Idem Hebræus futuro: Stabit. *A dextris ejus*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo, & ſingulariter: Super dexteram ejus. Stare ſuper dexteram (exagitandi, & vexandi gratia), eſt idiotiſmus.

7. *Cum judicatur*. Idem Hebræus gerundio: In judicando (paſſive) ipſius. *Exeat*. Hebræus futuro: Exibit. *Condemnatus*. Sic Hebræus: Injuſtus. Judicando egredi injuſtum, eſt Cauſſa cadere, idiotiſmo ſatis ornato. *Fiat*. Hebræus futuro: Erit. *In peccatum*. Idem Hebræus dativo, ſuo loquendi more: Peccato. Propter deteſtationem precantis.

8. *Fiant*. Hebræus futuro: Erunt dies ejus pauci. Præmatura morte intereat. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Epiſcopatum*. Dignitatis nomen. Idem Hebræus: Præfecturam. Habet tamen vox hebræa alios etiam ſenſus, ut in Theſauro. *Accipit*. Hebræus iterum futuro: Accipiet. Hanc ad verbum maledictionem in Judæ caput retortam legimus (Act. 1.), cujus Epiſcopatum adeptus eſt alter, nempe D. Matthias.

9. *Fiant*. Hebræus futuro: Erunt filii orphani, & uxor vidua, eo mortuo ſcilicet.

10. *Nutantes transferantur*. Idem fere Hebræus infinitivo, & futuro, ſuo loquendi tropo, conjunctionem etiam addens: Et movendo movebuntur. Inſtabiles, vagi, & errones erunt. *Mendicent*. Ornate quidem. Sic Hebræus præterito in futurum verſo: Et poſtulabunt, petent. *Et ejiciantur*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, &, ſi conjectare licet, arbitror, eos non admodum difficili vocis tranſitu, Daleth in Gimel commutato, legiſſe וְגֹרְשׁוּ in conjugatione Pohal, ideſt, Et ejicientur, expellentur; quod nunc Hebræis eſt וְדָרְשׁוּ vel ex Cal præteritum in futurum verſum, Et requirent; quærent (panem ſcilicet); vel ex Pohal, Et requirentur. Græcus omittit conjunctionem. *De habitationibus ſuis*. Tranſlatio ſenſus. Ex locis illis, quæ olim erant habitationes eorum. Hebræus: A deſolationibus ſuis; Ideſt, e domibus ſuis in ruinam redactis, vel propter domus paternæ vaſtitatem victum quæritabunt. Mem præpoſitio varios ſenſus habet, ut in Grammatica.

11. *Scrutetur*. Ut diripiat, omnem curam & ſollicitudinem adhibeat. Non longe aliter Hebræus futuro, & tropo per quam ornato: Illaqueabit, laqueum tendet fœnerator, creditor. *Omnem ſubſtantiam ejus*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Omni, quod ei. Supple, *eſt*. *Diripiant*. Hebræus iterum futuro: Diripient alieni, qui non ſunt affines, nec veri & legitimi heredes. *Labores*. Idem Hebræus ſingulari: Laborem, opes labore partas.

12. *Non ſit*. Hebræus futuro: Ne erit, ne ſit. *Adjutor*. Idem Hebræus fere, ſuo idiotiſmo pulcherrimo: Protrahens pietatem; qui ullum pietatis officium in eum exerceat. *Nec ſit*. Hebræus iterum futuro: Nec erit. *Qui mi-*

misereatur. Sic Hebræus participio: Miserescens.

13. *Fiant nati ejus*. Translatio sensus. Hebræus singulariter, & futuro: Erit ultimum ejus. Liberi vocantur hoc nomine satis ornate, quod ut plurimum post parentes remaneant. Simpliciter etiam postremum, & finem alicujus rei significat. Consule Thesaurum. *In interitum*. Hebræus gerundio: Ad excidendum (active), quod dupliciter exponi potest, vel, ut ipsi res paternas disperdant, ut Hebræus; vel ut alii eos exscindant, uti Nostri. *In generatione*. In ætate. *Una*. Quasi legerint Nostri אֶחָד mutato Resc in Daleth, facillimo vocis transitu; quod nunc Hebræis est אַחֵר, Altera. Nullius fere momenti varietas, quod idem sensus prope sit; dicere, Ætate una, idest sua; vel altera, idest sequenti. Ne transeat in alteram ætatem, vel saltem in sequenti intercidat eorum memoria. *Nomen ejus*. Quasi legerint Nostri שְׁמוֹ, vel saltem ad hunc solum respexerint. Hebræus pluraliter ad Nepotes etiam traducens, ait שְׁמָם, nomen eorum.

14. *In memoriam redeat*. Hebræus futuro: Revocabitur in medium etiam parentum scelus, ut imputetur filio quantum ad pœnam. Elimelechi filios, & Boozum notant, quod alienigenas in uxores duxerint. *In conspectu Domini*. Non aliter Hebræus suo tropo: Ad Dominum; Domino. *Non deleatur*. Hebræus iterum futuro: Ne delebitur peccatum matris. Ruth, quod gentilis esset. Lege sacras historias.

15. *Fiant*. Hebræus futuro: Erunt. Vel iniquitas patrum, & peccatum matris, vel majores, ipsæ, & filii contra Dominum; idest, contrarii, offendentes eum; vel coram Domino, ut eos perpetuo videat, & ulciscatur. Vox hebræa utramque patitur interpretationem. *Dispereat memoria*. Quasi legerint Nostri, punctis immutatis וְיִכָּרֵת in conjugatione Niphal, quod nunc Hebræis est futurum Hiphil וְיַכְרֵת, Et disperdet, excidet de terra memoriam eorum, majorum, filii, & nepotum. Hactenus oris injusti & dolosi commenta vidimus; nunc quæ proferantur a mendaci lingua, spectandum est.

16. *Misericordiam*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietatem; beneficia conferendo. *Inopem*. Hebræus: Afflictum, vel inopia, vel alia quavis miseria. *Compunctum*. Contritum, percussum corde, mœstum animo ob calamitates. Isbosetum Saulis filium innuunt. Nota est historia. *Mortificare*. Hebræus idem gerundio: Ad mortificandum, ad faciendum mori, vel gladio, vel dolore, vel alia quavis de caussa.

17. *Veniet ei*. Hebræus præterito, & accusativo: Venit (ad) eum maledictio, infelicitas, quam dilexit. *Benedictionem*. Felicitatem. Hebræus addit præpositionem *In*, de more linguæ. *Elongabitur*. Hebræus iterum præterito: Elongata est.

18. *Vestimentum*. Hebræus addit pronomen, Suum; quod parum refert. *Intravit*. Idem Hebræus: Venit. *In interiora*. Sic etiam Hebræus singulariter: In medium ejus. Induere sicut vestimentum maledictionem, & eam venire sicut aquam in medium, & sicut oleum in ossa, sunt idiotismi pulcherrimi, qui vivendi rationem alicujus penitus corruptam & depravatam exprimunt, vestimento continuæ adhæsionis symbolo; aqua, vehementiæ; & oleo durationis.

19. *Fiat*. Hebræus futuro: Erit, maledictio. Imprecationem exaggerat. *Quo*. Eclipsis frequens in Hebræo. *Et sicut zona*. Nostri videntur legisse facillimo vocis transitu וְכִמְזַח, quod nunc Hebræis est וּלְמֵזַח, Et zona, pro zona; scilicet loco cinguli. *Qua*. Nostris est eclipsis solita. Hebræa sine eclipsi exponi possunt. *Præcingitur*. Conjugationis mutatio. Hebræus active, & futuro: Præcinget eam, maledictionem scilicet, zonæ loco.

20. Eo-

20. *Eorum qui detrahunt mihi*. Hebræus idem fere: Adversantium meorum, qui Satanæ mores referunt. Secunda ratio per quam apertissima, qua convincitur, prædicta non esse Davidis imprecationes in hostes, sed e converso. Hoc, ait, opus hostium, hæc inimicorum actio. De pluribus iterum usque ad finem psalmi, sicut & in principio, est sermo; quod notandum est. Genebrardo est metonymia, Opus pro Mercede operis. Verum obstant quæ sequuntur. *Apud Dominum*. Idem fere Hebræus: De, cum Domino; a Domino. Quasi minimum sit, illos maledictionem dicere simplicem, imprecationes durissimas a Deo postulant, ut efficaciores sint. *Et qui loquuntur*. Idem Hebræus participio: Et loquentium. *Mala*. Hebræus singulariter: Malum. *Adversus*. Idem Hebræus suo tropo: Super animam meam, vitam, me ipsum. Metonymia frequens. Vel est jurandi forma; idest, per animam, vitam meam. Quod opus inimicorum fuerit, & quæ mala adversus vatem dixerint, jam vidimus. Quod si prædicta vatis sint verba, ut putat Genebrardus, Davidem maledicum, non ipsos ejus hostes possemus asserere. Sed hoc satis, nam in Commentariis fusius hac de re disputavimus. Nos litteræ simplicitatem, & puritatem sequimur.

21. *Fac mecum*. Bonum (supple); Pietatem, misericordiam, & est hyperbaton. *Suavis*. Hebræus: Bona; benigna, benefica. *Misericordia*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Pietas; beneficia quæ confers in me. *Libera me*. Hebræus addit superioribus verbum hoc; Nostri sequentibus; quod parum vel nihil referre crederem.

22. *Egenus*. Hebræus: Afflictus, vel egestate, vel qualibet alia miseria. *Sum*. Ex sermonis consequentia additum. *Conturbatum est*. Hebræus: Vulneratum, saucium, ac pene emortuum. Non magni ponderis varietas. *Intra me*. Sic Hebræus: In medio mei.

23. *Cum declinat*. Hebræus idem gerundio: Secundum declinare ejus. Quæ celeriter una cum die inclinata in tenebras noctis evanescit. *Ablatus sum*. Translatio sensus. Hebræus: Incessi, abii; quasi dicas, Perii, evanui. Idiotismus, Incedere sicut umbram declinantem; idest, Propere evanescere. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Excussus sum*. Motus, dejectus modo huc, modo illuc, nunquam locum certum & firmum retinens. *Locustæ*. Idem Hebræus singulariter: Locusta. Instar locustæ, quæ nunquam fere quiescit, instabilem vitam transigo.

24. *Infirmata sunt*. Idem prope Hebræus: Impegerunt, vacillarunt præ jejunio. Maximam describit inediam. *Immutata est*. Translatio sensus. Hebræus suo tropo: Mentita est, maciem pinguedinis loco contrahens; idest, macruit, exaruit. *Propter oleum*. Olei, idest pinguedinis defectum. Vox hebræa oleum, & pinguedinem significat, & Mem præpositio valet a, de, propter, & hujusmodi, ut paulo superius, A jejunio, propter jejunium. Nostri retinent sensum olei, & propter; Hebræus autem, a pinguedine; ne esset pinguedo. Qui interpretantur, Propter oleum, idest propter olei usum, quod fortasse respexerint ad jejunia, in quibus propter usum siccorum, oleo utuntur, non satis docte faciunt, cum Hebræorum jejunia a nostris diversa sint, jejunant enim usque ad occasum Solis, sed ullum ciborum delectum non habent, verum carnes, & hujusmodi, pro libito devorant.

25. *Factus sum*. Idem Hebræus: Fui. *Viderunt*, *moverunt*. Hebræus futuro: Videbunt, movebunt caput. Gestus illudentium. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Capita*. Hebræus singulariter: Caput.

26. *Misericordiam*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietatem tuam. *Salvum*. Græcus addit καὶ.

27. *Sciant*. Hebræus futuro: Scient. *Hæc*. Est manus tua, idest plaga, percussio tua, vel hæc res, hoc (auxilium scilicet; nam fœmineis loco neutrorum, quibus carent, uti Hebræos, sæpius vi-

di-


dimus) est manus tua; ideſt potentia, qua liberatus ſum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Eam*. Manum, vel rem, poteſt enim referri ad utrumque, ſed in priore ſenſu vacat latine, nam tunc interpretari oporteret: Quia tu Domine feciſti manum tuam hanc.

28. *Maledicent illi*. Tertia ratio, prædictas imprecationes non eſſe Davidis, ſed Inimicorum, clare oſtendens. Maledictis, inquit, & maleficiis obruunt me inimici mei, pro ut animo eorum iniquo libitum eſt, tu vero iſta omnia in eos ipſos contorqueas, mihi e contrario verbis, factiſque faveas, velim. *Et tu*. Græcus addit κύριε. *Qui inſurgunt*. Hebræus præterito: Surrexerunt, inſurrexerunt, offendendi, vel ſaltem imprecandi gratia. *In me*. Non habetur in Hebræo. Sed ad declarationem additum eſt. *Confundantur*. Hebræus addens conjunctionem, futuro in præteritum verſo profert: Et confuſi ſunt. Statim confunduntur, ut inſurgunt, a Deo puniti.

29. *Induantur*. Hebræus futuro: Induentur. Imprecatio vatis, ut ex ſuis imprecationibus ignominiam & confuſionem hoſtes referant, quod futurum erit, ſi in eorum capita retorqueantur. *Qui detrahunt mihi*. Hebræus ut ſupra verſ. 20. Adverſantes mei. *Pudore*. Ignominia. *Operiantur*. Hebræus iterum futuro: Operientur. *Sicut diploide*. Pallio duplicato; ideſt copioſe, & largiter. Non aliter fere Hebræus: Sicut pallio. Dicitur autem Hebraice מְעִיל, quaſi מֵעַל, Deſuper; quod eſſet ampla veſtis extima, contegens omnia alia veſtimenta. Maxima, inquit, perfundantur ignominia, qua tanquam pallio toti contecti, coram omnibus ſint exſecrabiles.

30. *Domino*. Hebræus accuſativo: Dominum. *Nimis*. Sic Noſtri transferunt. Hebræus: Valde, plurimum, ore meo. *In medio multorum*. In Eccleſia, coram fidelibus.

31. *Aſtitit*. Hebræus futuro: Stabit. *A dextris*. Hebræus dativo ſingulari: Dexteræ. Auxiliandi gratia; non ſuper dexteram, uti Satanas, verſ. *6*. *Ut ſalvam faceret*. Hebræus gerundio: Ad ſalvandum, auxiliandum. *A perſequentibus*. Translatio ſenſus. Hebræus: A judicibus, inique perſequentibus, & condemnantibus me. *Animam meam*. Vel quod legerint Noſtri נַפְשִׁי facili tranſitu Vav in Jod; vel quod ad perſpicuitatem immutarunt pronomen tertiæ perſonæ in pronomen primæ; nam Hebræus nunc habet נַפְשׁוֹ, Animæ ejus, pauperis. Sic vocat ſe ipſum, & alios fideles quoslibet.



PSAL-

PSALMUS CX. Latinis CIX.

לדוד מזמור נאם יהוה לאדני שב לימיני עד אשית איביך הדם לרגליך:	1. *Davidi Psalmus. Dictum DOMINI Domino meo, sede dexteræ meæ, donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.*	1. Psalmus David. Dixit DOMINUS Domino meo, sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.
מטה עזך ישלח יהוה מציון רדה בקרב איביך:	2. *Virgam roboris tui mittet DOMINUS ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*	2. Virgam virtutis tuæ emittet DOMINUS ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.
עמך נדבות ביום חילך בהדרי קדש מרחם משחר לך טל ילדותך:	3. *Populus tuus* erit *promptitudines in die exercitus tui, in decoribus sanctitatis, ex utero nigro tibi ros infantiæ tuæ.*	3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.
נשבע יהוה ולא ינחם אתה כהן לעולם על דברתי מלכי צדק:	4. *Juravit DOMINUS, & non pœnitebit, tu sacerdos æterno super eloquio meo Malchizedec.*	4. Juravit DOMINUS, & non pœnitebit *eum*, tu *es* sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.
אדני על ימינך מחץ ביום אפו מלכים:	5. *Dominus super dextera tua sauciavit in die nasi sui reges.*	5. Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.
ידין בגוים מלא גויות מחץ ראש על ארץ רבה:	6. *Judicabit in gentibus repletus cadaveribus, sauciavit caput super terra multa.*	6. Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.
מנחל בדרך ישתה על כן ירים ראש:	7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*	7. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

ANNOTATIONES.

CHristi regis infantiam, Sacerdotis dignitatem, & relatas de inimicis, favente Patre, victorias, mirabili & elegantissimo carmine decantat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Psalmus David.* Idem Hebræus: Davidi, vel Davidis (nam Lamed utrique casui deservire, sæpius dictum est) psalmus. *Dixit Dominus.* Idem Hebræus suo tropo: Dictum Domini. Dei nomen proprium. *Domino meo.* Christo, qui omnium Dominus est, tam Patris concessu & munere, quam acquisitionis & redemptionis jure ac merito. *A dextris meis.* Hebræus dativo singulari: Dexteræ meæ. Ad dexteram, vel quietis & defensionis caussa, vel etiam honoris gratia. *Donec.* Interim, & postquam etiam posuero, &c. Hunc enim sensum habet hæc vocula, ut in Thesauro. *Scabellum.* Subsellium. *Pedum tuorum.* Idem Hebræus dativo: Pedibus tuis. Ponere aliquem scabellum pedibus alterius, est idiotismus non inele-

legans; ideſt, ad extremam ſubjectionem eum ſubigere.

2. *Virtutis*. Potentiæ tuæ ſceptrum. Sic Hebræus: Virgam roboris, fortitudinis. Græcus etiam habet δυνάμεως, poteſtatis, ſed omittit pronomen, quod deinde addit verbo: Mittet σοι. *Ex Sion*. Inde vox illa regni Chriſti incepit, quaſi e media habitabili terra, in omnes mundi partes ſe ſe diffundere. Græcus addit conjunctionem. *In medio inimicorum*. Inter inimicos ſuos, velint, nolint.

3. *Tecum*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt עִמְּךָ quod nunc Hebræis eſt עַמְּךָ, Populus tuus. Idem tamen fere ſenſus ubique, prout mox dicam. *Principium*. Principatus, prout etiam Græcum ἀρχὴ hic denotat. Videntur autem Noſtri punctis immutatis legiſſe ſingulariter נְדִבַת, Principatus, magiſtratus, nobilitas; quod nunc Hebræis eſt plurale נְדָבֹת, Promptitudines. Radix hebræa נדב Promptitudinem, ſpontaneam voluntatem ſignificat. Hinc nobiles, Principes, & hujuſmodi per translationem, ut in Theſauro. Noſtri Principatum intelligunt, Hebræi vero Promptitudines. Aliquem eſſe promptitudines, eſt idiotiſmus pulcherrimus; ideſt, promptum & paratum eſſe, ſponte ſe offerre. Idem tamen fere eſt dicere, Tecum eſſe Principatum, magiſtratum totum, voluntate cujus totum regni corpus regitur, aut nobiles, Principes ſpontaneos; vel Populum eſſe promptitudines, ſponte ſequi, animoque propenſo. *Virtutis*. Poteſtatis. Sic etiam Græcus, δυνάμεως, ut ſuperius. Vox hebræa חיל plura ſignificat, ut in Theſauro. Noſtri pro robore, potentia, poteſtate ſumunt. Hebræus autem pro Exercitu, bello, caſtris. *In ſplendoribus*. Idem fere Hebræus: In decoribus. *Sanctorum*. Neutrius generis. Rerum ſanctarum, ſanctitatum. Hebræus ſingulariter: Sanctitatis. Omnes ſancte, & venuſte ornati tibi aderunt. *Ante luciferum*. Noſtri ſane legerunt מִשַּׁחַר cum præpoſitione Mem: Ab aurora, ante auroram, luciferum, ſtellam auroræ; quod nunc Hebræis eſt nominis conſtitutivum, מִשְׁחָר, quamvis non deſint, qui putent שַׁחַר eſſe formam nominis, & Mem præpoſitionem, licet non habeat Dages ante, quod eſt contra regulas Grammaticales, ſed hic fortaſſe metri cauſſa dejicitur, quod etiam alibi fieri jam obſervatum eſt. Omnes tamen in hoc conveniunt, ut auroræ ſenſum retineant. Ex utero auroræ, vel ab aurora, ideſt ab auroræ ortu, quando ſcilicet auroræ ſtella, quam luciferum appellamus, producta eſt. Verum quid ſibi velit, Ex utero auroræ, alii videant. Aliorum ſenſus patet, nam Deum loquentem inducunt. Ex utero (meo, e mea ſubſtantia) ab aurora, quando aurora creata fuit, ante productionem auroræ: Etſi vix hunc loquendi tropum admitterem. Hebræis autem, ut diximus, מִשְׁחָר eſt forma nominis propria, & nigrum, obſcurum ſignificat. Hinc etiam Aurora שַׁחַר dicitur, quod illud tempus claritatem omnem diei nondum ſit aſſequutum. Conſule Theſaurum. Ex utero nigro, ex matrice obſcura. Idiotiſmus. Sic Latini, ab ortu, ab incunabulis, a teneris unguiculis, & hujuſmodi. Matricem Virginis innuit, ex qua licet obſcura, gratias, & dotes plurimas contraxit Chriſtus. *Genui te*. Noſtri procul dubio facillimo vocis tranſitu, punctis immutatis legerunt יְלִדְתִּיךָ, quod nunc Hebræis eſt nomen, qui addunt etiam duo alia verba, quæ a Noſtris ſuppreſſa ſunt, nempe לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ, Tibi ros infantiæ tuæ. Idiotiſmus. Ideſt, ſuavitatem, & hilaritatem infantiæ ex matrice materna contraxiſti, ut mirum non ſit, populum tam promptum te habere. Ros metaphorice uſurpatur pro Suavitate, hilaritate, dulcedine, & hujuſmodi. Noſtri ad generationem Paternam; ad maternam vero Hebræi referunt.

4. *Juravit*. Ut amplius dubitandum non ſit de certitudine promiſſionis. *Non pœnitebit*. Non mutabit ſententiam. *Es.* Ex conſequentia ſermonis additum. *In æternum*. Sic Hebræus: Æterno. *Secundum*. Idem Hebræus ſuo tropo: Super. *Ordinem*. Noſtris דִבְרָתִי eſt nomen in regimine, cum additione Jod, quod aliquando fieri, etiam alias vidimus. Ideſt, Secundum negotium, ductum, ordinem, ſimilitudinem Melchiſedec es ſacerdos in æternum ad me placandum, & conciliandum. Hebræa verba poſſunt etiam exponi ſic: Super eloquio meo; ideſt, me aſſerente, & approbante, es Sacerdos perpetuus Melchiſedec. Is fuit Sacerdos Altiſſimi, cujus ſacrificium incruentum Panis & Vini fuit; tam Chananæis quam Hebræis benedicens ante legem datam, & ab eis decimas accipiens; Rex inſuper Salem, ideſt Pacis & Juſtitiæ; ſine patre & matre; ſine cognita genealogia; neque nativitatem, neque obitus memoriam aut ſacris litteris, aut etiam ex aliis expreſſam habens. Gen. 14. Juxta hunc ritum Chriſtus Sacerdotium & Regnum poſſidet, prout facile intuentibus patet.

5. *A dextris tuis*. Hebræus ſuo loquendi tropo ſingulariter: Super dextera tua. Quod duplicem ſenſum habet, ideſt, vel adjuvandi, opitulandi gratia, vel mediante dextera tua. Neutrum ſenſum reſpuo. *Confregit*. Hebræus: Sauciavit, vulneravit. Minima varietas. *Iræ ſuæ*. Idem Hebræus ſuo tropo: Naſi ſui, quo fumante dignoſcitur ira. *Reges*. Tyrannos; hoſtes tuos.

6. *Judicabit*. Ulciſcetur, ſupplicia ſumet Deus, vel Chriſtus certe, ut ſit mutatio perſonæ ſolita. *In nationibus*. Hebræus idem fere: In gentibus. *Implebit*. Verbum hebræum quidem modo activum eſt, & modo neutrum. Noſtris eſt præteritum activum, quod per futurum reddunt, ut ſuperiori verbo concordent: Implevit, perfecit, multiplicavit. Hebræis neutrum eſt, & Toar: Repletus, expletus. *Ruinas*. Vulgatus procul dubio legit גיות Valles, quas ruinas dicit, quod nunc Hebræis eſt גְוִיּוֹת, cadavera, occiſorum corpora. Græcum etiam πτώματα idem ſignificat. Implere igitur ruinas Noſtris eſt, Edere magnas ruinas, implere omnia cadaveribus. Hebræus eodem ſenſu dicit: Impletus, ſtipatus cadaveribus ex gentibus interfectis, de quibus judicia ſumet. Chriſtum victorem inimicos ſuos interficientem poetice deſcribit. *Conquaſſabit*. Hebræus idem verbum, quod in ſuperiori verſiculo poſitum eſt, hic iterat præterito: Sauciavit, vulneravit. *Capita*. Hebræus ſingulariter, vel per ſynecdochen: Caput. Interfecto Tyrannorum capite, principe, ceteri facile debellantur. *In*. Hebræus ſuo loquendi tropo: Super terra. *Multorum*. Hebræa vox רַבָּה Multa, & Multum exponi poteſt. Noſtri ultimum ſumunt adverbialiter: Multum, plurimum, copioſe. Ideſt, plurima capita. Hebræus in primo ſenſu accipit. Super terra multa, honorata, digna, excellenti, nempe Chanaan, ubi olim a Chriſto judicium factum fuit, in Calvario monte ſcilicet, iterumque faciet in Valle Joſaphat poſtremis temporum curriculis. Rabah inſuper Urbis Amonitarum nomen eſt. Conſule Theſaurum.

7. Bibere de torrente in via, poetica locutione ſignificat, cruorem tantum occiſorum, quaſi torrentem, per vias emanaturum eſſe, ut de eo bibere Chriſtus tranſeundo, & victoriam proſequendo poſſit. Exaltare, attollere caput jam adeptæ victoriæ ſignum eſt.

GRA-

GRADUS DUODECIMUS.

PSALMUS CXI. Latinis CX.

הללויה אודה יהוה בכל לבב בסוד ישרים ועדה:	1. *Hallelujaha. Confitebor DOMINUM in toto corde in secreto rectorum, & congregatione.*	1. Hallelujaha. Confitebor *tibi* DOMINE in toto corde *meo* in concilio justorum, & congregatione.
גדלים מעשי יהוה דרושים לכל חפציהם:	2. *Magna opera DOMINI, exquisita omnibus voluntatibus eorum.*	2. Magna opera DOMINI, exquisita in omnes voluntates ejus.
הוד והדר פעלו וצדקתו עמדת לעד:	3. *Majestas & decor opus ejus, & justitia ejus manet æterno.*	3. Confessio, & magnificentia opus ejus, & justitia ejus manet in seculum seculi.
זכר עשה לנפלאתיו חנון ורחום יהוה:	4. *Memoriam fecit mirabilibus suis misericors, & miserator DOMINUS.*	4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator DOMINUS.
טרף נתן ליראיו יזכר לעולם בריתו:	5. *Prædam dedit timentibus se, memor erit seculo testamenti sui.*	5. Escam dedit timentibus se, memor erit in seculum testamenti sui.
כח מעשיו הגיד לעמו לתת להם נחלת גוים:	6. *Potentiam operum suorum annunciavit populo suo ad dandum illis hereditatem gentium.*	6. Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, ut det illis hereditatem gentium.
מעשי ידיו אמת ומשפט נאמנים כל פקודיו:	7. *Opera manuum ejus veritas, & judicium, fidelia omnia mandata ejus.*	7. Opera manuum ejus veritas, & judicium, fidelia omnia mandata ejus;
סמוכים לעד עשוים באמת וישר:	8. *Sustentata æterno, facta in veritate, & æquitate.*	8. Confirmata in seculum seculi, facta in veritate, & æquitate.
פדות שלח לעמו צוה לעולם בריתו קדוש ונורא שמו:	9. *Redemptionem misit populo suo, mandavit æterno testamentum suum. Sanctus, & terribilis* est *nomen ejus.*	9. Redemptionem misit *Dominus* populo suo, mandavit in æternum testamentum suum. Sanctum & terribile nomen ejus.
ראשית חכמה יראת יהוה שכל טוב לכל עשיהם תהלתו עמדת לעד:	10. *Initium sapientiæ timor DOMINI. Intellectus bonus omnibus facientibus ea, laudatio ejus manet æterno.*	10. Initium sapientiæ timor DOMINI. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in seculum seculi.

ANNO-

ANNOTATIONES.

DEum, qui tot beneficia in Ecclesiam contulerit, artificioso & eleganti carmine canendum sibi proponit. Distinctionum varietates ex te recognoscito. Singula psalmi hemistichia singulas ex ordine Alphabeti litteras prætereunt; versus autem omnes duobus hemistichiis constant, si duos ultimos excipias, qui tribus confecti sunt hemistichiis, quod non sine mysterio factum esse crediderim.

1. *Tibi*. A Nostris additum ad declarationem, & ideo subdunt in vocativo, Domine. Hebræus accusativo profert: Dominum. *Meo*. Ad declarationem additum. *In concilio*. Idem Hebræus suo tropo: In secreto. Quod in conciliis servari debet. *Justorum*. Hebræus: Rectorum. Nullius momenti varietas.

2. *In omnes voluntates*. Quasi legerint Nostri facili vocis transitu בְּכֹל quod nunc Hebræis, eodem tamen sensu, dativi casus est, לְכֹל, omnibus voluntatibus, intra Domini voluntates earum ratio exquiritur; quasi dicat, rationem eorum operum e Dei voluntate pendere. *Ejus*. Videntur etiam hic legisse חֶפְצוֹ, quod nunc Hebræis est חֶפְצֵיהֶם, eorum; vel operum, ut Nostris concordet, vel rectorum, ut Hebræus; quasi dicat, facillima sunt inventu opera Domini, nam præsto sunt ad orationes proborum hominum voluntates. Nonnullis nomen hoc est adjectivum, a חָפֵץ videlicet. Exquisita omnibus volentibus, cupientibus ea. Sed prior interpretatio purior.

3. *Confessio*. Nostri ab הוֹדָה nomen deducunt: Laus; laudis & confessionis materia (metonymice). Hebræis He radix est, & majestatem, gloriam interpretantur. Non magni ponderis varietas. *Magnificentia*. Idem fere Hebræus: Decor, honos. Vide Thesaurum. *In seculum seculi*. Sic Hebræus dativo: Æterno.

4. *Mirabilium suorum*. Hebræus dativo, suo tropo: Mirabilibus suis, fecit, reliquit memoriam, in suo verbo, & sacramentis. *Misericors*. Idem prope Hebræus: Gratiosus, hilariter dans, largiens.

5. *Escam*. Hebræus: Prædam. Manna Hebræis, nobis Eucharistiam, & utrisque de victo Satana, & spoliis ejus distributis prædam. *In seculum*. Hebræus dativo: Seculo. *Testamenti sui*. Hebræus accusativo: Fœdus suum, promissiones suas in memoria habebit.

6. *Virtutem*. Sic interpretantur Nostri. Hebræus vim, fortitudinem, potentiam operum. Opera potentissima. *Annunciabit*. Quasi legerint Nostri facillimo vocis transitu יַגִּיד, quod nunc Hebræis est præteritum הִגִּיד, Annunciavit, manifestavit olim in Ægypto, Deserto, &c. *Ut det*. Hebræus gerundio: Ad dandum, ut daret. *Hereditatem gentium*. Terram Chanaam, & mundum ipsum universum.

7. *Veritas, & judicium*. Vera, stabilia, & justa sunt ejus opera. *Fidelia*. Fida, sine fuco, firma, rata. *Mandata*. Quæ servanda fidelibus credidit, & ob id ornate dicuntur Deposita.

8. *Confirmata*. Non aliter Hebræus: Substentata, certa, & fixa. *In seculum seculi*. Hebræus dativo: Æterno.

9. *Dominus*. Ad declarationem additum, quod nec in Græco habetur. *In æternum*. Hebræus dativo: Æterno, seculo. Fecit, ut fœdus suum esset æternum, testamentum de gratia, & liberatione per Christum nunquam rescindendum condidit. *Sanctum & terribile*. Vel, Sanctus & terribilis est nomen Dei. Idem sensus.

10. *Initium*. Isagoge, introductio, vel

vel caput, summa perfectio. *Timor Domini*. Non servilis (ne puniaris scilicet), sed filialis, ut loquuntur Scholastici, ne Divinæ majestatis oculos offendas. *Eum*. Timorem Domini. Nostri fortasse legerunt עֹשָׂיו, quod nunc Hebræis est עֹשֵׂיהֶם, facientibus ea, mandata scilicet. Nisi malles, Nostros perspicuitati inservisse, quod illud antecedens remotius esset. Intellectus sanus & integer inest his, qui se exercent in mandatis Divinis exsequendis. Hujusmodi viri laudatio nunquam deficiet. *In seculum seculi*. Hebræus dativo: Æterno.

PSALMUS CXII. Latinis CXI.

הללויה אשרי איש ירא את יהוה במצותיו חפץ מאד :	1. *Hallelujaha. Beatus vir timens DOMINUM, in mandatis ejus vult valde.*	1. Hallelujaha. *Reversionis Aggæi, & Zachariæ*. Beatus vir, qui timet DOMINUM, in mandatis ejus volet nimis.
גבור בארץ יהיה זרעו דור ישרים יברך :	2. *Potens in terra erit semen ejus, ætas rectorum benedicetur.*	2. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.
הון ועשר בביתו וצדקתו עומדת לעד :	3. *Substantia, & res in domo ejus, & justitia ejus manet æterno.*	3. Gloria, & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in seculum seculi.
זרח בחשך אור לישרים חנון ורחום וצדיק :	4. *Exortum est in obscuritate lumen rectis, gratiosa, & miserator, & justa.*	4. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericos, & miserator, & justus.
טוב איש חונן ומלוה יכלכל דבריו במשפט :	5. *Bonus vir largitur, & mutuo dat, disponet verba sua in judicio.*	5. Jucundus homo, *qui* miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio:
כי לעולם לא ימוט לזכר עולם יהיה צדיק :	6. *Quia seculo non commovebitur, memoriæ seculi erit justus.*	6. Quia in æternum non commovebitur. In memoria æterna erit justus;
משמועה רעה לא יירא נכון לבו בטח ביהוה :	7. *Ab auditu malo non timebit, firmum cor ejus fidens in DOMINO.*	7. At auditione mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in DOMINO.
סמוך לבו לא יירא עד אשר יראה בצריו :	8. *Substentatum est cor ejus, non timebit, donec quod videbit in tribulantes suos.*	8. Confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

9. Di-

פזר נתן לאביונים צדקתו עמדת לעד קרנו תרום בכבוד:	9. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet æterno, cornu ejus exaltabitur in gloria.*	9. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.
רשע יראה וכעס שניו יחלק ונמס תאות רשעים תאבד:	10. *Injustus videbit, & irascetur, dentibus suis frendet, & dissolvetur, desiderium injustorum peribit.*	10. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

ANNOTATIONES.

Religiosos Dei timentes carmine mellifluo laudat. Distinctionum varietates ex temetipso recognoscas velim. Psalmus eodem literarum artificio cum superiori confectus est. Ibi vide.

1. *Reversionis Aggæi, & Zachariæ*. A Nostris additum ex aliqua traditione forsitan, quod per id tempus compertum maxime fuit, reverentes Deum fore beatos, ceteros perituros. *Beatus*. Jam dictum est superius de vocula hac. *Qui timet*. Idem Hebræus participio: Timens. *Volet*. Hebræus præsenti: Vult. Se mire delectat præceptorum observatione. *Nimis*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Valde. Mira animi promptitudine.

2. *Generatio*. Sic Nostri transferunt. Hebræus: Ætas, seculum. Proborum gratia ceteri illius seculi homines Dei beneficentiam experiuntur.

3. *Gloria*. Suspicor, Nostros legisse facili vocis transitu, הוֹד, Majestas, gloria; quod nunc Hebræis est הוֹן, substantia, opes. Nisi malles, eos sensum transfudisse, non verbum, quod ex opibus gloria contrahitur. *Divitiæ*. Idem Hebræus singulariter, ut fert lingua: Res (Ricchezza). *In seculum seculi*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Æterno. Tam ipsi, dum vivit, & post mortem in futuro seculo, quam posteris ejus in multa secula.

4. *In tenebris*. Hebræus singulariter: In obscuritate, in rebus adversis videlicet, quæ figurate notantur hoc nomine, sicut e contrario lux denotat bona omnia. Consule Thesaurum. *Lumen*. Lux, Deus benedictus. *Misericors*. Hebræus: Gratiosus, ut in superiori psalmo vers. 4. Dei O. M. epitheta, qui gratiam conferat, misereatur, & justus sit; licet nos interpretati simus nominibus fœmininis ad lucem respicientes, quæ Hebraice masculini generis est. Nostri neutro transtulerunt, quod masculino propinquius videretur.

5. *Jucundus homo*. Idem fere Hebræus: Bonus vir. Sic Græcus ἀνήρ. Ex cujus bonitate animi, jucunditatem, lætitiam, & beatitudinem consequetur. *Qui miseretur*. Idem Hebræus participio: Miserens, largiens, donans. Hysterologiam Genebrardi non tam facile admitterem. Qui miseretur, &c. est jucundus homo. Mihi, timentis Deum, est simplex narratio, quem bonum, largientem, &c. nominat. Nec video, cur dissentiant a LXXII, qui prætermittunt relativum, ut idem asserit; nam idem est dicere, Jucundus homo, supple, est ille timens, miseretur, &c. vel qui (etiam videlicet) miseretur, &c.

Et

Et commodat. Mutuans, mutuo dans, ut Hebræus habet. *Disponet*. Recte dispensando. *Sermones suos*. Idem Hebræus: Verba sua, vel proprie, vel res suas, sua, domi, forisque, nam vox hebræa utrumque significat. Disponere, dispensare verba, vel res in judicio, est Prudenter loqui, vel Agenda ordinare.


6. *In æternum*. Hebræus dativo: Seculo, æterno. Genebrardus refert hæc ad superiora. Ideo, inquit, est jucundus, quia in æternum non commovebitur: Hebræus ad sequentia: Quia non commovebitur, ideo justi memoria erit æterna. *In memoria*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Memoriæ. *Æterna*. Idem Hebræus substantivo: Seculi; quia nunquam interibit, apud Deum maxime.

7. *Ab auditione mala*. Idem Hebræus: Auditu, rumore malo; adversæ rei non terrebitur nuncio. *Paratum*. Firmum, stabile cor ejus, & constans. *Sperare*. Ut Nostri transferunt, qui punctis immutatis legerunt in infinitivo בְּטֹחַ, quod nunc Hebræis est participium passivum בָּטֻחַ, Fidens, securum.

8. *Confirmatum*. Substentatum, fixum, innixum. *Non commovebitur*. Ut timentium mores sunt. Translatio sensus. Hebræus idem verbum, quod in superiori versiculo positum est, repetit: Non timebit. *Donec*. Hebræus addit, Quòd, de more linguæ. *Despiciat*. Hebræus futuro: Videbit, ubi est quædam verborum collusio יִירָא, timebit; & יִרְאֶה, videbit. *Inimicos*. Idem fere Hebræus præpositionem In addens: In tribulantes suos. Videre in aliquem, est idiotismus, quæ optas videlicet, de eo cernere, ut puta, ultionem, vindictam, ignominiam, & hujusmodi.

9. *Dispersit*. Quod munificentiæ, liberalitatis, & pietatis est. *In seculum seculi*. Hebræus dativo, ut superius vers. 3: Æterno. Cornu exaltari in gloria, Idiotismus, pro Robur, potentiam augeri, & ad summum gloriæ culmen in omnibus pervenire.

10. *Peccator*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Injustus. Antithesis. Hactenus justi felicitatem, quam videns injustus, ira & invidia consumitur. *Fremet*. Frendet dentibus. *Tabescet*. Dissolvetur, consumetur. *Peccatorum*. Hebræus: Injustorum. Desiderium, vel bonorum, quæ sibi cupiunt, vel delendi justos, extinguetur.



PSAL-

PSALMUS CXIII. Lat. CXII.

הללויה הללו עבדי יהוה הללו את שם יהוה :	1. *Hallelujaha. Laudate ſervi DOMINI, laudate nomen DOMINI.*	1. Hallelujaha. Laudate pueri DOMINUM, laudate nomen DOMINI.
יהי שם יהוה מבֹרך מעתה ועד עולם :	2. *Erit nomen DOMINI benedictum ex nunc, & uſque* in *ſeculum.*	2. Sit nomen DOMINI benedictum, ex *hoc* nunc, & uſque *in* ſeculum.
ממזרח שמש עד מבואו מהלל שם יהוה :	3. *Ab ortu ſolis uſque* ad *occaſum ejus, laudatum nomen DOMINI.*	3. A ſolis ortu uſque *ad* occaſum, laudabile nomen DOMINI.
רם על כל גוים יהוה על השמים כבודו :	4. *Excelſus ſuper omnes gentes DOMINUS, ſuper cælos gloria ejus.*	4. Excelſus ſuper omnes gentes DOMINUS, & ſuper cælos gloria ejus.
מי כיהוה אלהינו המגביהי לשבת :	5. *Quis ſicut DOMINUS Deus noſter elevans ad habitandum?*	5. Quis ſicut DOMINUS Deus noſter, qui in altis habitat,
המשפילי לראות בשמים ובארץ :	6. *Humilians ad videndum in cælo, & in terra.*	6. *Et* humilia reſpicit in cælo, & in terra?
מקימי מעפר דל מאשפות ירים אביון :	7. *Suſcitans de pulvere inopem, de ſtercore eriget paupere n.*	7. Suſcitans a terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.
להושיבי עם נדיבים עם נדיבי עמו :	8. *Ad collocandum cum principibus, cum principibus populi ſui.*	8. Ut collocet *eum* cum principibus, cum princibus populi ſui.
מושיבי עקרת הבית אם הבנים שמחה הללויה :	9. *Habitare faciens ſterilem domi matrem filiorum lætantem. Hallelujaha.*	9. Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

ANNOTATIONES.

Fideles ad laudandum Deum, qui licet excelſus, ima curet, carmine invitat dulciſſimo. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *Pueri*. Servi, cultores. *Dominum*. Videntur Noſtri legiſſe עֲבָדִים, quod nunc Hebræis eſt in ſtatu ſyntactico עַבְדֵי, ſervi Domini. Vel ſic verterunt, quod intelligerent, Adonai eſſe repetendum, aut ſaltem putarent, ritu Syriaco & poetico ſyntacticum pro abſoluto poni. Sed hoc parum refert. *Nomen Domini*. Eſt idem Dominus, vel Chriſtus.

2. *Sit*. Idem Hebræus futuro: Erit benedictum, laudatum, celebratum laudibus. *Hoc*. Ad declarationem additum. *In*. Etiam additum ex ſermonis conſequentia. Sic Hebræus: Uſque (ad, vel in) ſeculum.

3. *A ſolis ortu*. Idem Hebræus ordine ſervato: Ab ortu ſolis. *Ad*. Ex ſermonis conſequentia additum, ut in ſuperiori verſiculo. *Occaſum*. Idem Hebræus, pronomen relativum addens: Adventum, introitum ejus. Sic appellant Occaſum. Orbem totum intellige; nam ſecundum lineam Æquatoris habitatio

ter-

terræ ab ortu in occasum sumitur. *Laudabile*. Hebræus participio passivo: Laudatum, celebratum. De gentium conversione vaticinium. Confer locum hunc cum illo Mal. 1.

4. *Super omnes gentes*. Inter eas, apud eas; idest ab eis agnoscitur magnus & supremus: vel, supra eas, plusquam cunctas orbis gentes. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Super cælos*. In cælis, vel supra cælos; gloria ejus est cælis superior.

5. *Qui in altis habitat*. Hebræus suo dicendi tropo: Elevans ad habitandum; quæ verba duplicem sensum habent. Nam vel cum Nostris est, In altis cælis habitare, habitaculum supra res omnes etiam superas & cælestes habere elevatum; vel certe Deum esse elevatum & supremum, altissimum, ubicumque tandem sit illius habitatio, cum Deus loco circumscribi non possit; quasi diceret, Cujus habitaculum eum esse altissimum demonstrat; qui supremus ex habitatione cognoscitur. Utrumque sensum amplector.

6. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Humilia respicit*. Iterum hic Hebræus suo loquendi tropo, superiori tam locutione, quam sensu simili dicit: Humilians ad videndum. Idest cum Nostris, humillima, & tenuissima quæque in cælo, & in terris despicit, providentia sua ima & minutissima quæque, sive in cælis, sive in terris prospicit & curat; vel (si loqui ita liceat) tam excelsus est, ut, si velit extra se quid videre, sive de cælestibus, sive de terrenis, se demittat, humiliet, necesse sit, cujus celsitudo sive cælestia, sive terrena curando non nihil demittitur. Elegantem tropum hic habes. Videre Dei, est, intueri, & disponere omnia ad suos fines.

7. *A terra*. Idem fere Hebræus: De pulvere, de conditione & fortuna abjectissima. Sic etiam, quod sequitur. *De stercore*. E fimo; ex infimo & abjectissimo loco. Exempla patent in Scripturis Sacris. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Erigens*. Hebræus idem futuro: Eriget, exaltabit.

8. *Ut collocet*. Hebræus gerundio: Ad collocandum, habitare faciendum. *Eum*. Additum a Nostris ad declarationem. Nisi malles, eos facili transitu, mutato Jod paragogico in Vav relativum, legisse לְהוֹשִׁיבוֹ; quod parum, vel nihil refert.

9. *Qui habitare facit*. Hebræus idem participio: Habitare faciens. *In domo*. Non aliter Hebræus genitivo, qui referri potest, tam ad verbum, quam ad nomen, sic. Habitare facit domi, in domo, in familia sterilem; hoc est, dat ei prolem: vel habitare facit sterilem domus, quæ domi suæ est sterilis. Vox hebræa & domum, & familiam significat. Sensus est, Deum in suorum gratiam rerum physicarum & naturalium cursum immutare; qui merito propter hæc omnia debet a Fidelibus omni tempore celebrari, & ob id Hebræus subdit in psalmi calce, Hallelujaha, quod a Nostris in sequentem rejicitur.



PSALMUS CXIV.

Lat. prima pars psalmi CXIII.

		Hallelujaha.
בצאת ישראל ממצרים בית יעקב מעם לעז׃	1. *In egredi Israelis de Ægypto, domus Jacobi de populo barbaro.*	1. In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.
היתה יהודה לקדשו ישראל ממשלותיו׃	2. *Fuit Juda sanctitati ejus, Israel dominationes ejus.*	2. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.
הים ראה וינס הירדן יסב לאחור׃	3. *Mare vidit, & fugit, Jordanis gyrabit retro.*	3. Mare vidit, & fugit, Jordanis conversus est retrorsum.
ההרים רקדו כאילים גבעות בבני צאן׃	4. *Montes exsultaverunt ut arietes, colles sicut filii ovium.*	4. Montes exsultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium.
מה לך הים כי תנוס הירדן תסב לאחור׃	5. *Quid tibi mare quod fugies? Jordanis gyrabis retro?*	5. Quid *est* tibi mare, quod fugisti? & *tu* Jordanis, *quia* conversus es retrorsum?
ההרים תרקדו כאילים גבעות בבני צאן׃	6. *Montes subsilietis sicut arietes, colles sicut filii ovium.*	6. Montes exsultastis sicut arietes? & colles sicut agni ovium?
מלפני אדון חולי ארץ מלפני אלוה יעקב׃	7. *A faciebus Domini dole terra, a faciebus Dei Jacob.*	7. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.
ההפכי הצור אגם מים חלמיש למעינו מים׃	8. *Qui convertit petram stagnum aquarum, silicem fonti suo aquas.*	8. Qui convertit petram *in* stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

ANNOTATIONES.

DEi educentis Israelem ex Ægypto quædam miracula carmine brevi, sed ornato, decantat.

Hallelujaha. A Nostris ex fine præcedentis psalmi desumptum, & hic additum, quod parum, vel nihil referre crederem.

1. *In exitu*. Hebræus idem gerundio: In egrediendo, in egredi, quum egrederetur. *Domus Jacob*. Jacobei, qui & Israelitæ. *Barbaro*. Sic appellant Hebræi omnes, qui lingua sancta non loquuntur. Ratio nominis ignoratur. Ægyptios hic intellige.

2. *Facta est*. Idem Hebræus: Fuit. *Judæa*. Hebræus etiam: Juda. Judæorum gens, Judaica natio, vel Tribus Judæ solum, vel totius Israelis, qui hoc nomine sæpius in Scripturis Sacris appellatur, & ob id verbum, Fuit, est fœminini generis. *Sanctificatio*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Sanctificationi, sanctitati ejus, hereditas, in qua ipse sanctificaretur, & quam sanctificaret. *Potestas*. Hebræus pluraliter: Potestates, dominationes ejus, in quibus ipse regnaret, & dominaretur per fidem.

3. *Ma-*

3. *Mare vidit*. Judæos esse sanctitatem, & dominationem Dei. Dei præsentiam sensit. Poetice loquitur. *Et fugit*. Retrocedendo se secuit. *Conversus est*. Idem fere Hebræus futuro: Gyrabit, gyrabat, revolvebatur in suos fontes. *Retrorsum*. Sic Hebræus dativo: Retro (Addietro).

4. *Exsultaverunt*. Exsilierunt, subsilierunt præ pavore. Poetica prosopopœja de montium & collium conquassatione. *Et*. Non habetur in Hebræo.

5. *Fugisti*. Idem Hebræus futuro: Fugies. Apostrophe prosopopœjæ poeticæ conjuncta. *Et tu ... quia*. Non habentur in Hebræo: quod parum, vel nihil refert. *Conversus es*. Hebræus futuro, ut superius: Gyrabis, gyrabas, revolvebaris. *Retrorsum*. Hebræus, ut supra, dativo: Retro.

6. *Exsultastis*. Idem Hebræus futuro: Subsilietis, exsiliebatis. Interrogatio continuatur. Græcus addit ὅτι. *Et* Non habetur in Hebræo.

7. *A facie*. Idem fere Hebræus pluraliter, suo dicendi modo: A faciebus. Ideft, a conspectu. Notes autem aliud esse מִפְּנֵי, & aliud מִלִּפְנֵי. Nam hoc præsentiam denotat, illud præsentiæ effectum. Explicabo, si potero. פָּנִים, Facies, vultus significat, מִפְּנֵי a faciebus, ideft propter facies, לִפְנֵי Faciebus, ideft ante facies, מִלִּפְנֵי a Faciebus, ideft a conspectu, & illud, Faciebus, in Hebræo dativi casus est, cui de more linguæ additur præpositio מִן, A, De, & hujusmodi. Sensus igitur est, quod ob præsentiam Dei terræ dolendum sit. Interrogationi hortationem subjicit, prosopopœjam poetice continuans. *Mota est*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum, licet non valeam conjectare, quid legerint. Nisi malles, eos sensum, non verbum transtulisse. Hebræus nunc imperativo profert חוּלִי, Dole o terra propter Domini præsentiam. Hunc dolorem poeticum, Nostri fortasse commotionem, quasi tremorem, dixere. Genebrardo est infinitivus cum Jod paragogico, vel affixo: A facie Domini dolere terræ, supple, contigit; vel meum dolere terræ; quasi terra respondeat. Sed hæc paullo coactiora videntur. Prior interpretatio purior, & fidelior.

8. *Qui convertit*. Idem Hebræus participio: Vertentis, qui vertit. *In*. Non habetur in Hebræo. Subintelligendum ex sermonis consequentia. *Stagna*. Hebræus singulariter: Stagnum. *Petram*. E rupe durissima stagnum aquarum, magnam aquæ copiam efficit. Lege sacras historias. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Rupem*. Idem prope Hebræus: Silicem, cotem siccissimam. *In fontes*. Arbitror, Nostros Thav addito legisse לְמַעְיְנוֹת, Fontibus, in Fontes; quod nunc Hebræis est singulare dativum cum affixo לְמַעְיְנוֹ, Fonti suo. Ipsius silicis. Est enim idiotismus elegans. Ideft, ita ut fons sit. Nonnullis Vav est paragogicum, Fonti, in fontem aquarum; quod non placet. *Aquarum*. Sic reddiderunt Nostri, quasi regeretur a præcedenti nomine. Hebræus: Aquas. Convertit, inquit, silicem (in) aquas, fonti suo, efficit ut e caute, quasi ex fonte aliquo, magna aquarum copia manet.

PSALMUS CXV.

Lat. altera pars psalmi CXIII.

לא לנו יהוה לא לנו כי לשמך תן כבוד על חסדך על אמתך:	1. *Non nobis DOMINE, non nobis, quod nomini tuo da gloriam super pietate tua, super veritate tua.*	1. Non nobis DOMINE, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua, & veritate tua.
למה יאמרו הגוים איה נא אלהיהם:	2. *Ut quid dicent gentes, ubi quæso Deus eorum?*	2. Ne quando dicant gentes, ubi *est* Deus eorum?
ואלהינו בשמים כל אשר חפץ עשה:	3. *Deus autem noster in cælis, omne quod voluit, fecit.*	3. Deus autem noster in cælo, omnia, quæcumque voluit, fecit.
עצביהם כסף וזהב מעשה ידי אדם:	4. *Dolores eorum argentum & aurum, opus manuum Adam.*	4. Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.
פה להם ולא ידברו עינים להם ולא יראו:	5. *Os eis, & non loquentur, oculi eis, & non videbunt.*	5. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt.
אזנים להם ולא ישמעו אף להם ולא יריחון:	6. *Aures eis, & non audient, nasus illis, & non odorabunt.*	6. Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt.
ידיהם ולא ימישון רגליהם ולא יהלכו לא יהגו בגרונם:	7. *Manus eorum, & non palpabunt, pedes eorum, & non ambulabunt, non loquentur in gutture suo.*	7. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.
כמוהם יהיו עשיהם כל אשר בטח בהם:	8. *Sicut illi, erunt factores eorum, omnis, qui confidit in eis.*	8. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.
ישראל בטח ביהוה עזרם ומגנם הוא:	9. *Israel confide in DOMINO, auxilium eorum, & clypeus eorum est.*	9. *Domus* Israel speravit in DOMINO, adjutor eorum, & protector eorum est.
בית אהרן בטחו ביהוה ע עזרם ומגנם הוא:	10. *Domus Aaron confidite in DOMINO, auxilium eorum, & clypeus eorum est.*	10. Domus Aaron speravit in DOMINO, adjutor eorum, & protector eorum est.
יראי יהוה בטחו ביהוה עזרם ומגנם הוא:	11. *Timentes DOMINI confidite in DOMINO, auxilium eorum, & clypeus eorum est.*	11. Qui timent DOMINUM, speraverunt in DOMINO, adjutor eorum, & protector eorum est.

12. DO-

יהוה זכרנו יברך יברך את בית ישראל יברך את בית אהרן :	12. *DOMINUS* qui *memor fuit nostri*, *benedicet*, *benedicet domum Israel*, *benedicet domum Aaron*.	12. DOMINUS memor fuit nostri, & benedixit *nobis*. Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.
יברך יראי יהוה הקטנים עם הגדלים :	13. *Benedicet timentes DOMINI*, *pusillos cum magnis*.	13. Benedixit *omnibus*, qui timent DOMINUM, pusillis cum majoribus.
יסף יהוה עליכם ועל בניכם :	14. *Adjiciet DOMINUS super vos*, *super vos*, & *super filios vestros*.	14. Adjiciat DOMINUS super vos, super vos, & super filios vestros.
ברוכים אתם ליהוה עשה שמים וארץ :	15. *Benedicti vos DOMINO factori cælorum*, & *terræ*.	15. Benedicti vos *a* DOMINO, qui fecit cælum, & terram.
השמים שמים ליהוה והארץ נתן לבני אדם :	16. *Cæli cæli DOMINO*, *terram autem dedit filiis Adam*.	16. Cælum cæli DOMINO: terram autem dedit filiis hominum.
לא המתים יהללו יה ולא כל ירדי דומה :	17. *Non mortui laudabunt Jaba*, *neque omnes descensores silentii*.	17. Non mortui laudabunt *te* Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.
ואנחנו נברך יה מעתה ועד עולם הללויה :	18. *Et nos benedicemus Dominum*, *ex nunc* & *usque* in *seculum*. *Hallelujaba*.	18. Sed nos, *qui vivimus*, benedicimus Domino, ex *hoc* nunc & usque *in* seculum.

ANNOTATIONES.

DEo fidendum, ipsumque maximis celebrandum semper laudibus decantat, quod suorum sit omnis generis præsidium, ceterarum vero gentium Dii, simulacra sint vana. Distinctionum varietates ex te recognoscito. Nobis psalmus hic cum superiore connectitur, quod ab aliquibus etiam Hebræis fieri vidimus. Sed hoc parum, vel nihil referre crederem.

1. *Sed*. Idem valet sæpius Hebræis particula כִּי, Quod, & præsertim apud Poetas pro כִּי אִם, Sed, verum. Vide Thesaurum. Ut Dei miracula cognoscantur, & gloriosa fiant apud omnes, postulat. *Misericordia*. Sic Nostri transferunt. Hebræus: Pietate, beneficentia, officiis. *Et*. Non habetur in Hebræo, sed ejus loco Super repetitur. De beneficiis maximis in nos collatis, & de fide in servandis eis nobis continue, gloriam velim contrahas. Sic exponi potest illud Super. Vel certe, Per tuam pietatem & fidem, nulla nostri habita ratione, tuæ ipsius gloriæ consule. Hæc interpretatio fidelior, & sequentibus congruentior est. Particula עַל large sumitur.

2. *Ne quando*. Hebræus interrogative: Ut quid? quare? Minima varietas. *Dicant*. Idem Hebræus futuro: Dicent. *Est*. Suppletur de more linguæ. Hebræus autem addit particulam נָא, Quæso; quod parum refert.

3. *In cælo*. Vox hebræa pluralis est natura: In cælis. *Omnia quæcumque*. Idem Hebræus singulariter: Omne quod. Deum ab habitationis loco, & ab omnipotentia verum esse prædicat, contra quod de Idolis mox subinfert. In-

signis

ſignis quidem locus eſt de comparatione Dei, & Idolorum. Sequentes verſiculi ad verbum fere leguntur etiam inferius pſalmo CXXXV, 15. Ibi vide, & confer locos.

4. *Simulacra*. Translatio ſenſus. Idola, Deorum ſimulacra, quæ Hebræus eleganter Dolores appellat, quod dolorem, non remedium cultoribus afferant. *Gentium*. Ut clarius intelligerentur, Noſtri ſic reddiderunt. Hebræus relativo, Earum. Gentium, de quibus ſupra verſ. 2. *Opera*. Hebræus ſingulariter: Opus. *Hominum*. Hebræus idem collective: Adam, hominis.

5. *Os habent, oculos habent*. Hebræus ſuo loquendi tropo: Os eis. Supple, eſt; & ſic in ſequentibus, Oculi eis, Aures illis. Supple, ſunt. Rem notam quidem, ſed pudore plenam inculcat, quod idololatræ ſimulacra ſenſu carentia eſſe, non videant, nec exiſtimare audeant. Carent Idola quinque ſenſibus exterioribus, mente, vita, ſive motu interiore.

6. *Nares*. Idem Hebræus: Naſus illis.

7. *Manus habent, pedes habent*. Hebræus immutat dicendi modum alio tropo: Manus eorum, pedes eorum. Supple, exſtant, videntur quidem, vel quid ſimile; ſed non attrectare quid, vel ambulare valent. *Clamabunt*. Non longe aliter Hebræus: Meditabuntur, loquentur, verba ex gutture proferent. Radicem הגה in Theſauro vide.

8. *Similes illis*. Idem Hebræus ſuo tropo: Sicut illi dolores, illa ſimulacra. Idololatræ ſint ſtatuis ratione & ſenſu carentibus ſimiles. *Fiant*. Sic Hebræus futuro: Erunt. *Qui faciunt ea*. Idem Hebræus participio: Facientes, factores eorum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Omnes, &c.* Idem Hebræus ſingulariter: Omnis qui confidit. Quod eſt proprium & præcipuum idololatriæ peccatum, nempe in cultu & veneratione Idolorum, non in fabrica.

9. *Domus*. Ad declarationem additum. Hebræus: Iſrael, Iſraelitæ. *Speravit*. Noſtri punctis immutatis legerunt in præterito בָּטַח, quod verbum ſæpius Sperandi verbo reddunt. Nunc Hebræis eſt imperativus בְּטַח, Confide. Nullius momenti varietas. *Adjutor eorum*. Etiam hic punctis immutatis legerunt Noſtri עוֹזְרָם in participio: Adjuvans eos, adjutor eorum, Iſraelitarum ſcilicet; quod nunc Hebræis nomen eſt עֶזְרָם, Auxilium eorum: Supple, qui confidunt. Genebrardus phraſim hodiernam fortaſſe non intelligens, eam prope deridet. Nullius momenti varietas, ſive ad Iſraelitas, ſive ad fidentes alios relativum referas. Uterque ſenſus optimus. *Protector eorum*. Translatio ſenſus. Hebræus: Clypeus eorum, quo proteguntur.

10. *Speravit*. Hebræus iterum imperativo: Confidite. *Adjutor, & protector*. Hebræus, ut in ſuperiori verſiculo: Auxilium, clypeus.

11. *Qui timent Dominum*. Idem Hebræus participio: Timentes Domini. *Speraverunt, &c.* Hebræus: Confidite, & ut in ſuperiori verſiculo.

12. *Memor fuit*. Hebræus de more linguæ ſubintelligit *Qui*, per eclipſin, propter ſequentia. Neutram interpretationem reſpuo. *Et benedixit*. Suſpicor, Noſtros, mutato Iod in Vav, tranſitu quam facillimo, legiſſe in præterito וּבֵרַךְ, quod nunc Hebræis futurum eſt יְבָרֵךְ, Benedicet, beneficia & felicitates conferet. Niſi malles cum Genebrardo, eos vertiſſe per præteritum, quod præcedentia tempora in hac lingua concipiant ſequentia, ut docetur in Grammatica. Sed prior opinio fortaſſe verior. Græcus omittit conjunctionem. *Nobis*. A Noſtris ad declarationem additum. *Benedixit*. Hebræus iterum futuro: Benedicet, benedicat. *Domui*. Hebræus accuſativo: Domum.

13. *Benedixit*. Hebræus futuro: Benedicet. *Omnibus*. Ad declarationem additum. Græcus illud omittit. *Qui timent Dominum*. Idem Hebræus participio: Timentes Domini. *Puſillis, &c.*

&c. Hebræus accusativo: Pusillos, parvos cum magnis.

14. *Adjiciat*. Hebræus idem futuro: Adjiciet; benedictionem, felicitatem augeat.

15. *A Domino*. Idem Hebræus dativo: Domino estote benedicti. Precatio. *Qui fecit*. Hebræus præsenti participio: Facienti, factori. *Cælum*. Hebræus pluraliter: Cælorum, & terræ.

16. *Cælum*. Hebræus pluraliter, ut & sequens: Cæli (sunt) cæli Domino; Sibi eos fecit, ut suam illic gloriam communicet. *Filiis hominum*. Hebræus collective: Filiis Adam, hominis, ut in ea sua tractent negotia.

17. *Mortui*. Proprie, vel Impii, quos Deo mortuos appellare libet. *Te*. A Nostris additum ad declarationem, & ob id etiam Domine vocativo reddiderunt. Nisi malles eos legisse cum affixo. *Domine*. Hebræus habet יָהּ, unum ex divinis nominibus: Jaha, Dominum. *Qui descendunt*. Hebræus idem participio: Descendentes, descensores. *In infernum*. Translatio sensus. Idem Hebræus suo tropo: Silentii. Sive Infernum cum Nostris, sive sepulcrum cum Hebræis exponas, mortuos intellige, qui silentium servare coguntur. Latinis etiam Descendere in silentium, est, Incipere taciturnum esse.

18. *Sed*. Hebræus habet conjunctionem Et, idem fere hic significantem. *Qui vivimus*. Ad declarationem additum. *Benedicimus*. Hebræus futuro: Benedicemus, laudabimus. *Domino*. Hebræus accusativo iterum Jaha nomen divinum repetit: Dominum. *Ex hoc, &c.* Hebræus ut supra, psal. CXIII, 2. Ibi vide. Addit autem Hebræus merito in calce psalmi Hallelujaha, cum Fidelium nomine se Deum semper laudaturum spoponderit. Nostri in sequentem psalmum illud rejiciunt.

PSAL. CXVI. Lat. CXIV, & CXV.

אהבתי כי ישמע יהוה את קולי תחנוני׃	1. *Dilexi, quòd audiet DOMINUS cum voce mea supplicationes meas.*	1. Hallelujaha. Dilexi, quoniam exaudiet DOMINUS vocem orationis meæ.
כי הטה אזנו לי ובימי א אקרא׃	2. *Quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis vocabo.*	2. Quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo.
אפפוני חבלי מות ומצרי שאול מצאוני צרה ויגון א אמצא׃	3. *Aggressi sunt me, dolores mortis, & angustiæ inferni invenerunt me: tribulationem & dolorem inveniam.*	3. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Tribulationem & dolorem inveni.
ובשם יהוה אקרא אנה יהוה מלטה נפשי׃	4. *Et in nomine DOMINI vocabo, obsecro DOMINE libera animam meam.*	4. Et nomen DOMINI invocavi. O DOMINE libera animam meam.
חנון יהוה וצדיק ואלהינו מרחם׃	5. *Gratiosus DOMINUS, & justus, & Deus noster miserens.*	5. Misericors DOMINUS, & justus, & Deus noster miseretur.
שמר פתאים יהוה דלותי ולי יהושיע׃	6. *Custodiens simplices DOMINUS, attenuatus sum, & mihi auxiliatus est.*	6. Custodiens parvulos DOMINUS, humiliatus sum, & liberavit me.

7. Con-

שובי נפשי למנוחיכי כי יהוה גמל עליכי:	*7. Convertere anima mea quieti tuæ, quia DOMINUS rependit super te.*	7. Convertere anima mea in requiem tuam, quia DOMINUS benefecit tibi.
כי חלצת נפשי ממות את עיני מן דמעה את רגלי מדחי:	*8. Quia eripuisti animam meam de morte, oculum meum a lacrima, pedem meum ab impulsione.*	8. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.
אתהלך לפני יהוה בארצות החיים:	*9. Ambulabo faciebus DOMINI in terris vivorum.*	9. Placebo DOMINO in regione vivorum.
האמנתי כי ארבר אני עניתי מאד:	*10. Credidi, quòd loquar, ego afflictus sum valde.*	10. *Hallelujaha*. Credidi, propter quod locutus sum, ego *autem* humiliatus sum nimis.
אני אמרתי בחפזי כל האדם כזב:	*11. Ego dixi in trepidare meo, omnis homo mentitur.*	11. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.
מה אשיב ליהוה כל ת תגמולוהי עלי:	*12. Quid reddam DOMINO? omnes retributiones ejus super me.*	12. Quid retribuam DOMINO *pro* omnibus, quæ retribuit mihi?
כוס ישועות אשא ובשם יהוה אקרא:	*13. Calicem salvationum levabo, & in nomine DOMINI vocabo.*	13. Calicem salutaris accipiam, & nomen DOMINI invocabo.
נדרי ליהוה אשלם נגדה נא לכל עמו:	*14. Vota mea DOMINO perficiam, coram quæso omni populo ejus.*	14. Vota mea DOMINO reddam, coram omni populo ejus.
יקר בעיני יהוה המותה ל לחסידיו:	*15. Pretiosa in oculis DOMINI mors piis ejus.*	15. Pretiosa in conspectu DOMINI mors sanctorum ejus.
אנה יהוה כי אני עבדך אני עבדך בן אמתך פתחת למוסרי:	*16. Obsecro DOMINE, quia ego servus tuus, ego servus tuus filius ancillæ tuæ, aperuisti vinculis meis.*	16. O DOMINE, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, dirupisti vincula mea.
לך אזבח זבח תודה ובשם יהוה אקרא:	*17. Tibi sacrificabo sacrificium laudis, & in nomine DOMINI vocabo.*	17. Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen DOMINI invocabo.
נדרי ליהוה אשלם נגדה נא לכל עמו:	*18. Vota mea DOMINO perficiam coram quæso omni populo ejus.*	18. Vota mea DOMINO reddam, in conspectu omnis populi ejus.
בחצרות בית יהוה בתוככי ירושלם הללו יה:	*19. In atriis domus DOMINI in medio tui Jerusalem. Hallelujaha.*	19. In atriis domus DOMINI in tui medio Jerusalem.

ANNOTATIONES.

Ex magnis periculis ereptus, gratias agens Deo maximas, quid agendum sit fidelibus in adversa fortuna, carmine satis ornato docet. Latinis in duos scinditur, & altera pars incipit ab illis verbis, Credidi propter quod, &c. Di-

Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Hallelujaha*. Ex fine ſuperioris pſalmi ſumptum, hic a Noſtris additum eſt, quin & ſecundæ parti illud addiderunt, quod totus pſalmus de gratiis agendis tractet. *Dilexi*. Hæc, quæ ſequuntur, ita ſe habere; nempe Dominum audire vocem meam, &c. Idiotiſmus elegans, quem obſerves. Genebrardus, Dilexi Dominum, ait; quod non placet. *Quoniam*. Hebræus: Quod. Particula כִּי varie ſumitur. Hoc mihi ſummopere carum eſt, inquit, Deum preces meas exaudire. *Exaudiet*. Pro ſimplici poſitum: Audiet, auſcultabit. *Vocem orationis meæ*. Sic tranſtulerunt Noſtri, arbitrantes Jod in קוֹלִי eſſe paragogicum, non affixum, quod non eſt penitus abſurdum. Hebræus tamen affixum mavult eſſe: Vocem meam, ſupplicationes meas ſcilicet, vel certe (quod magis placet, nam אֶת ſic exponi poteſt) Cum voce mea ſupplicationes meas. Quod enim Noſtri dixerunt, Orationis meæ, Hebræus eodem ſenſu pluraliter, Supplicationes, ſupplicibus verbis preces, habet.

2. Inclinare aurem alicui, idiotiſmus elegans, ut in Theſauro. *Et*. Emphatice. Maxime, præſertim. *In diebus meis*. Quamdiu vivam, vel certe diebus meis (illis videlicet, quibus ob anguſtias clamabo, per eclipſim in hac lingua frequentiſſimam). *Invocabo*. Pro ſimplici poſitum: Vocabo, clamabo. Semper ad audiendum ſe promptum exhibet, ſed maxime cum adverſis in rebus eum invoco.

3. *Circumdederunt*. Sic interpretantur Noſtri, ut ſupra Pſal. XVIII. 5. Hebræus eodem ſenſu: Aggreſſi ſunt me, exarſerunt in me. Conſule Theſaurum. *Dolores mortis*. Mortiferi, mortem afferentes. *Et pericula*. Translatio ſenſus. Hebræus: Anguſtiæ inferni, vel ſepulcri; nam שְׁאוֹל utrumque denotat, ut in Theſauro. Mala ingentia, graviſſimæ anguſtiæ, quales apud inferos. Græcus omittit conjunctionem. *Inveni*. Hebræus idem futuro: Inveniam. Malum invenire aliquem, & e converſo, Aliquem invenire malum, ſunt bini idiotiſmi elegantiſſimi, & intellectu faciles. Vide Theſaurum.

4. *Et nomen*, &c. Idem Hebræus ſuo loquendi modo, ſed futuro: Et in nomine Domini vocabo; vocabam, dicendo (ſupple) quod ſequitur. *O*. Idem fere Hebræus: Obſecro, amabo, quæſo. Deprecantis particula.

5. *Miſericors*. Hebræus: Gratioſus, beneficus, gratiam conferens. *Miſeretur*. Hebræus participio: Miſerens. Nullius fere momenti varietates.

6. *Cuſtodiens* Eſt; vel Cuſtodit. *Parvulos*. Simplicitate. Sic interpretantur Noſtri. Hebræus: Simplices, ſine dono malo. *Humiliatus*. Hebræus: Attenuatus, tenuis effectus ſum. De quacumque tenuitate dicitur. Vide Theſaurum. Non magni momenti varietas. *Et liberavit me*. Non aliter Hebræus futuro: Et mihi auxiliabitur; me ſervabit.

7. *In requiem tuam*. Idem Hebræus dativo: Quieti tuæ, ad priſtinam tuam quietem, ad tranquillitatem, qua fruebaris ante has perturbationes. *Benefecit*. Idem Hebræus: Rependit, bona dedit. *Tibi*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super te.

8. *Eripuit*. Quod legerint Noſtri facili vocis tranſitu חִלֵּץ, vel quod ſervarint dedita opera tertiæ perſonæ continuationem. Nunc Hebræus vertit ſermonem ad Deum in ſecunda perſona, חִלַּצְתָּ, eripuiſti, voti compotem me feciſti. *Oculos meos*. Fortaſſe legerunt Noſtri punctis immutatis עֵינַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare עֵינִי, Oculum meum. *A lacrimis*. Hebræus ſingulari: A lacrima. *Pedes meos*. Et hic fortaſſe legerunt רַגְלַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare רַגְלִי, pedem meum. Sed hæ nullius momenti varietates ſunt. Græcus addit conjunctionem.

A lapſu. Ab impulſione; ne impulſus laberetur. Omnes iſti ſunt idiotiſmi pulcherrimi, ſed non obſcuri.

9. *Placebo Domino.* Active; ideſt, ſtudebo, ut placeam ei. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo tropo: Ambulabo faciebus Domini; coram Domino, ſancta & impolluta vitæ converſatione. *In regione.* Hebræus idem pluraliter: In terris, regionibus vivorum, viventium, vel vitæ; ideſt, quoad ero in vivis. Vel terram viventium dicit Jeruſalem, & provinciam Chanaan, quod illic cultores Dei eſſent, quos vivos gentilium comparatione vocat. Ideſt, non amplius exſul, vel profugus ero.

10. *Propter quod.* Particulam כִּי, quæ varie uſurpatur, pro, עַל כִּי, acceperunt Noſtri, quod non eſt abſurdum, & eſt ſenſus. Propter quod locutus ſum, me credidiſſe Deo, manifeſtum eſt. Ex verbis dignoſcitur fides. Corde creditur, ore confeſſio fidei fit. Genebrardus alium ſenſum affert. Credidi, inquit, Deo, propter quod locutus ſum; quare libere hanc meam fidem confeſſus ſum. Hebræus alium ſenſum præfert, ut mox dicam. *Locutus ſum.* Hebræus futuro: Loquar. Quia loquar, ait, credidi; certum eſt me credere. Vel cum Noſtris: Credidi, propter quod, quare loquar. Hebræus autem: Credidi, quod loquar, hæc quæ ſequuntur videlicet, juxta illud, Olim hæc meminiſſe juvabit. Credebam, ait, fore tempus, quo poſſem dicere, multas olim paſſus ſum afflictiones, e quibus Dei benignitate ſervatus ſum. Hinc fidem meam agnoſcas licet; quod etiam mediis in anguſtiis Deo crederem, ſervarique confiderem, ita ut ea vitæ meæ diſcrimina inter amicos olim me narraturum eſſe, non dubitarem. Omnes iſti ſenſus non longe inter ſe diſtant, licet ultimus puritati literæ propinquior ſit. *Autem.* Non habetur in Hebræo; ex conſequentia ſenſus a Noſtris additur. Ego autem; ideſt, etiam ſi, quamvis vehementer ſim afflictus. *Humiliatus ſum.* Hebræus: Afflictus fui. Quod verbum de quacumque afflictione dicitur. Conſule Theſaurum. *Nimis.* Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Valde, vehementer. Credebam, ait, me dicere poſſe, ego vehementer afflictus, vexatus fui; quod non valerem aſſerere, ſi in ipſis defeciſſem afflictionibus.

11. *In exceſſu meo.* Translatio ſenſus. Hebræus: In trepidare meo, in trepidatione mea, in præcipiti mea evaſione; in qua fuga, timore ſic percuſſus eram, ut attonitus prope redderer, & in exceſſu, ecſtaſi, ſtupore quodam mentis poſitus. *Mendax.* Fallax; mentitur, fallit, juxta illud, Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. Solus Deus verax, fidem & promiſſa in utraque fortuna retinens. Merito igitur hanc ei ſalutem acceptam refero.

12. *Retribuam.* Hebræus eodem ſenſu: Reddam, redire faciam. *Pro, &c.* A Noſtris additum, ut ſententiam clariorem redderent, ſic etiam transferentes: Pro tot, tantiſque erga me meritis, & liberationibus. Non longe aliter Hebræus: Orationes, retributiones, omnia beneficia ejus ſunt ſuper me; fecit, omnibus officiis uſus eſt in me, omnis generis beneficentiam ejus expertus ſum.

13. *Salutaris.* Hebræus pluraliter: Salvationum, ſalutum, auxiliorum; calicem teſtem, & indicem ſalvationis meæ, & libabo Domino vinum gratiarum actionis pro vita & ſalute, ipſius beneficio conſervata. *Accipiam.* Idem Hebræus ſuo tropo: Levabo. Alludit (ut ait Genebrardus ſatis docte quidem) ad legis cerimoniam, feſti Paſchatis præcipue, in quo calix vini benedicebatur, & in orbem dabatur convivantibus guſtandus, in gratiarum actionis, charitatis, & communionis ſacræ ſymbolum. Sic Chriſtus Luc. 22. calicem inter diſcipulos dividendum porrigit. Confer locos. *Et nomen, &c.* Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Et in nomine Domini vocabo.

14. *Reddam.* Idem Hebræus: Perficiam. *Coram.* Hebræus addit particulam deprecativam נָא, Quæſo. Uti-

nam

nam in Ecclesia publice persolvam liberatus, quæ vovi Domino.

15. *In conspectu*. Idem Hebræus suo tropo: In oculis Domini pretiosa, rara, chara est mors sanctorum; non eam suis inferri facile permittit; non finit, pios ab impiis necari, ut sæpius expertus sum. *Sanctorum*. Sic Nostri transferunt; et Hebræus idem fere, dativo tamen, denotat: Piis suis (tam active, quam passive). Consule Thesaurum.

16. *O*. Idem fere Hebræus: Obsecro, quæso Domine. Deprecantis, & blandientis particula. *Servus*. Cultor. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Filius ancillæ*. Nam mulieres, ut plurimum, devotiores sunt. Ecclesia quidem canit, Et pro devoto fœmineo sexu. *Dirupisti*. Non aliter Hebræus: Aperuisti, solvisti. *Vincula mea*. Hebræus dativo: Vinculis meis. Hinc duplex exoritur sensus, nam vel cum Nostris Aperire vinculis, est Vincula disrumpere, & e malis liberare; vel ligando solvere, præceptis videlicet & mandatis observandis obstringere, & sic hominem liberiorem reddere, juxta illud, Servire Deo, regnare est. Duplex igitur idiotismus est, & pulcherrimus, quem notes, nam locus est observandus maxime, quem alibi fusius declarabimus.

17. *Hostiam*. Hebræus: Sacrificium laudis, gratiarum actionis. De generibus sacrificiorum consule Thesaurum nostrum, in dictione תּוֹדָה præcipue. *Et nomen, &c.* Idem Hebræus suo dicendi modo: Et in nomine Domini vocabo.

18. *Reddam, &c.* Hebræus ad verbum repetit versiculum 14. Ibi vide. Addit etiam Hebræus in fine psalmi, Hallelujaha, quod a Nostris in sequentem rejicitur.

PALMUS CXVII. Lat. CXVI.

הללו את יהוה כל גוים שבחוהו כל האמים :	1. *Laudate DOMINUM omnes gentes, laudate eum omnes nationes.*	1. *Hallelujaha*. Laudate DOMINUM omnes gentes, laudate eum omnes populi.
כי גבר עלינו חסדו ואמת יהוה לעולם הללויה :	2. *Quoniam corroborata est super nos pietas ejus, & veritas DOMINI seculo. Hallelujaha.*	2. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas DOMINI *manet* in æternum.

ANNOTATIONES.

Breviori quidem carmine, sed ornato satis, omnes ad Deum laudandum pro beneficiis ejus maximis, præcipue autem propter Christum exhibitum, invitat.

1. *Hallelujaha*. A Nostris ex fine superioris psalmi desumptum, hic additur. *Omnes gentes*. Non Judæi tantum, nam Christus pro omnibus venit. *Populi*. Nostri forsitan, Aleph in Ain mutato, transitu per quam facillimo, legerunt הָעַמִּים, quod nunc est הָאֻמִּים, licet hæc vox etiam ferme idem significet,

cet, nationes videlicet. Consule Thesaurum.

2. *Confirmata est*. Hebræus: Prævaluit, corroborata est, fortis effecta. *Misericordia*. Ut Nostri transtulerunt. Hebræus: Pietas, officium, beneficentia. Pietatem alicujus corroborari super alium, est idiotismus elegantissimus; pro Maximis & pene infinitis beneficiis ab illo affici, &, ut ita dicam, fere obrui. Maximum autem omnium est, Christi nobis dati beneficium. *Manet*. Additum ad declarationem sententiæ. *In æternum*. Sic Hebræus dativo: Seculo. Veritatem alicujus esse seculo, alter idiotismus superiori non inferior elegantia, pro, Beneficium collatum in perpetuum conservare, aliquid semper duraturum concedere. Merito igitur Hebræus iterum in calce psalmi inculcat Halleluja-ha, quod pro tanto beneficio nobis collato nunquam cessandum sit a laudibus, ut officium æternum perpetuæ etiam gratiarum actiones æquent. Nostris placuit in sequentem psalmum illud rejicere.

PSAL. CXVIII. Lat. CXVII.

הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:	1. *Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam seculo pietas ejus.*	1. *Hallelujaha*. Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
יאמר נא ישראל כי לעולם חסדו:	2. *Dicat, quæso, Israel, quoniam bonus, quoniam seculo pietas ejus.*	2. Dicat nunc Israel, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
יאמרו נא בית אהרן כי לעולם חסדו:	3. *Dicent, quæso, domus Aharon, quoniam seculo pietas ejus.*	3. Dicat nunc domus Aharon, quoniam in seculum misericordia ejus.
יאמרו נא יראי יהוה כי לעולם חסדו:	4. *Dicent, quæso, timentes DOMINI, quoniam seculo pietas ejus.*	4. Dicant nunc *omnes* qui timent DOMINUM, quoniam in seculum misericordia ejus.
מן המצר קראתי יה ענני במרחב יה:	5. *De angustia vocavi Dominum; respondit mihi in latitudine Dominus.*	5. De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus.
יהוה לי לא אירא מה יעשה לי אדם:	6. *DOMINUS mihi, non timebo quid faciet mihi homo.*	6. DOMINUS mihi *adjutor*, non timebo, quid faciat mihi homo.
יהוה לי בעזרי ואני אראה בשנאי:	7. *DOMINUS mihi inter auxiliantes meos, & ego videbo in osores meos.*	7. DOMINUS mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.
טוב לחסות ביהוה מבטח באדם:	8. *Bonum est ad confugiendum in DOMINO, a confidendo in homine.*	8. Bonum est confidere in DOMINO, quam confidere in homine.
טוב לחסות ביהוה מבטח בנדיבים:	9. *Bonum est ad confugiendum in DOMINO, a confidendo in Principibus.*	9. Bonum est sperare in DOMINO, quam sperare in principibus.

10.

כל נוים סבבוני בשם יהוה כי אמילם:	10. *Omnes gentes circuierunt me, in nomine DOMINI, quia succidam eos.*	10. Omnes gentes circuierunt me, *&* in nomine DOMINI, quia ultus sum in eos.
סבוני גם סבבוני בשם יהוה כי אמילם:	11. *Circumdederunt me, etiam circumdederunt me: in nomine DOMINI, quia succidam eos.*	11. Circumdantes circumdederunt me: *&* in nomine DOMINI, quia ultus sum in eos.
סבוני כרבורים דעכו כאש קוצים בשם יהוה כי אמילם:	12. *Circumdederunt me sicut apes, extincti sunt sicut ignis spinarum: in nomine DOMINI, quia succidam eos.*	12. Circumdederunt me sicut apes, *&* exarserunt sicut ignis in spinis; *&* in nomine DOMINI, quia ultus sum in eos.
דחה דחיתני לנפל ויהוה עזרני:	13. *Impellendo impulisti me ad cadendum, & DOMINUS auxiliatus est mihi.*	13. Impulsus, eversus sum, ut caderem: & DOMINUS suscepit me.
עזי וזמרת יה ויהי לי ל לישועה:	14. *Fortitudo mea, & cantilena Dominus, & fuit mihi saluti.*	14. Fortitudo mea, & laus *mea* Dominus, & factus est mihi in salutem.
קול רנה וישועה באהלי צדיקים ימין יהוה עשה חיל:	15. *Vox ovationis, & salutis in tabernaculis justorum. Dextera DOMINI faciens strenuitatem.*	15. Vox exsultationis, & salutis, in tabernaculis justorum. Dextera DOMINI fecit virtutem.
ימין יהוה רוממה ימין יהוה עשה חיל:	16. *Dextera DOMINI exaltata est, dextera DOMINI faciens strenuitatem.*	16. Dextera DOMINI exaltavit *me*, dextera DOMINI fecit virtutem.
לא אמות כי אחיה ואספר מעשי יה:	17. *Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.*	17. Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.
יסר יסרני יה ולמות לא נתנני:	18. *Castigando castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.*	18. Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.
פתחו לי שערי צדק אבא בם אודה יה:	19. *Aperite mihi portas justitiæ; veniam in eas, confitebor Dominum.*	19. Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.
זה השער ליהוה צדיקים יבאו בו:	20. *Hæc porta DOMINO, justi venient in eam.*	20. Hæc porta DOMINI, justi intrabunt in eam.
אודך כי עניתני ותהי לי לישועה:	21. *Confitebor te, quoniam respondisti mihi, & fuisti mihi saluti.*	21. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.
אבן מאסו הבונים, היתה לראש פנה:	22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, fuit capiti anguli.*	22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, *hic* factus est in caput anguli.
מאת יהוה היתה זאת היא נפלאת בעינינו:	23. *A DOMINO fuit istud, ipsum mirabile in oculis nostris.*	23. A DOMINO factum est istud, *&* est mirabile in oculis nostris.

24.

זה היום עשה יהוה נגילה ונשמחה בו:	24. *Hunc diem fecit DOMINUS, exsultemus, & lætemur in eo.*	24. Hæc dies, *quam* fecit DOMINUS, exsultemus, & lætemur in ea.
אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא:	25. *Quæso DOMINE salvum fac quæso, quæso DOMINE prospera quæso.*	25. O DOMINE salvum *me* fac; o DOMINE bene prosperare.
ברוך הבא בשם יהוה ב ברכנוכם מבית יהוה:	26. *Benedictus, qui venit in nomine DOMINI, benediximus vos e domo DOMINI.*	26. Benedictus, qui venit in nomine DOMINI, benediximus vobis de domo DOMINI.
אל יהוה ויאר לנו אסרו חג בעבתים עד קרנות המזבח:	27. *Deus DOMINUS, & splendere fecit nobis, ligate festum in funibus usque ad cornua altaris.*	27. Deus DOMINUS, & illuxit nobis, constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.
אלי אתה ואודך אלהי א ארוממך:	28. *Deus meus es tu, & confitebor te, Deus meus exaltabo te.*	28. Deus meus *es tu*, & confitebor tibi, Deus meus *es tu*, & exaltabo te. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*
הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:	29. *Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam seculo pietas ejus.*	29. Confitemini DOMINO, quoniam bonus; quoniam in seculum misericordia ejus.

ANNOTATIONES.

Fideles ad agendas gratias excitantur carmine dulcissimo, quod post tot rerum discrimina, salutem, & Christum sint consecuti. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Hallelujaha*. Ex calce præcedentis psalmi desumptum, a Nostris hic additur. *In seculum*. Idem Hebræus dativo: Seculo. *Misericordia*. Ut Nostri transtulerunt. Hebræus: Pietas, officium, beneficentia; & ideo bonus, beneficus.

2. *Dicat*. Hebræus idem futuro: Dicet. *Nunc*. Hebræus: Quæso; blandientis, & deprecantis particula. Sic etiam sæpius in sequentibus. *In seculum, &c.* Hebræus: Seculo, ut in superiori versiculo.

3. *Dicat*. Idem Hebræus futuro, & plurali: Dicent. Discordantia vocis, non sensus, nam Domus, vel familia, collective, plures comprehendit. *Nunc*. Hebræus ut supra: Quæso. *In seculum, &c.* Hebræus ut vers. 1.

4. *Dicant nunc*. Hebræus ut supra: Dicent quæso. *Omnes*. Ad declarationem additum. *Qui timent Dominum*. Idem Hebræus participio: Timentes Dominum, reverentes Dominum. *In seculum*. Hebræus ut vers. 1.

5. *De tribulatione*. Non aliter Hebræus: De angustia tam animi, quam corporis, loci videlicet. Nostri referunt ad animum; Hebræus etiam, & si de loco, figurate tamen de animi angustia, & tribulatione intelligit. *In vo-*

ca-

cavi. Pro simplici positum: Vocavi, clamavi. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exaudivit*. Hebræus: Respondit, quod exauditionis signum est. *In latitudine*. In loco lato, & spatioso. Ex angustiis in latum & amœnum campum eduxit. Opponit latitudinem angustiæ.

6. Adjutor. Ad perspicuitatem additum. *Faciat*. Hebræus idem futuro: Faciet.

7. Adjutor. Hebræus: Inter auxiliantes meos. Idest, cum auxiliatoribus meis etiam ipse adjutor, ut Nostri reddiderunt, vel inter eos, qui amicitiam prætexunt, ut cautius lædant. Ab his cavere non valeo; Dominus igitur sit mihi inter hujusmodi, ut me protegat, juxta illud vulgi, *Dagli amici mi guardi Dio, che da' nemici mi guarderò ben io*. *Despiciam inimicos meos*. Hebræus suo tropo: Videbo in osores meos: Quod cupio, malum scilicet, interitum, & hujusmodi, juxta Nostrorum sensum; vel juxta alterum sensum: Ex me ipso ab osoribus, ab inimicis notis cavebo. Hos binos idiotismos per quam ornatos velim notes.

8. *Confidere*. Non longe aliter Hebræus gerundio: Ad confugiendum, ad recipiendum se, quod non fit sine confidentia, & spe. *Quam confidere*. Idem Hebræus gerundio, suo loquendi modo: A confidendo. Sic exprimunt comparationis formulas, nam carent comparativis Hebræi, ut in grammaticis rebus dictum est.

9. Sperare. Hebræus idem verbum versiculi superioris repetit: Ad confugiendum. *Quam sperare*. Iterum Hebræus gerundio, & eodem verbo, ut in præcedenti versiculo: A confidendo. Quod sine spe non est. Deus quidem non mutatur, ut homines, qui sæpius mutantur aut fortuna, aut voluntate, aut vita.

10. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Ultus sum in eos*. Translatio sensus. Hebræus: Succidam eos. Genebrardus autumat, *Quia*, latine vacare, sed fallitur; neque enim construendum est, ut ipse vellet, In eos ultus sum in nomine Domini, sed In nomine Domini (supple, circumdent licet) quia succidam eos. Sic vulgo (sia col nome di Dio). Idiotismum non aspernandum notes velim.

11. *Circumdantes, &c.* Idem Hebræus, qui suo loquendi modo verbum duplicat, ut actionem augeat: Circumdederunt me, etiam circumdederunt me. Idest, quam diligentissime cinxerunt me, ne evaderem. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Ultus sum in eos*. Hebræus: Succidam eos, ut in superiore versu.

12. Circumdare aliquem apum more, quæ aculeis eum obsident, circumvolant, & furiose impetunt, comparatio est pulcherrima. *Et*. Non habetur in Hebræo hic, neque in sequenti periodo. *Exarserunt, &c.* Translatio sensus. Vehementer quidem, ait, inflammati sunt, & sævierunt; sed ut ignis spinæ comburens, qui licet acerrimus, & fragore formidabilis, tamen est brevissimus, nam statim extinguitur. Hebræus eodem sensu dicit: Extincti sunt sicut ignis spinarum. Insiliunt sane, verum ut ignis spinas absumens, qui vicina quæque abripit, & mox extinguitur. Comparatio superiori simillima. Sic etiam apes non stantes obsident, sed circumvolitantes abeunt, & redeunt. Idem agit inter spinarum fasciculos ignis. *Ultus sum in eos*. Hebræus ut supra: Succidam eos.

13. *Impulsus eversus sum*. Idem fere Hebræus, licet ad hostem utatur apostrophe: Impellendo impulisti me. *Ut caderem*. Sic Hebræus gerundio: Ad cadendum. *Suscepit me*. Auxiliandi gratia. Hebræus simpliciter: Adjuvit me, opem mihi præbuit.

14. *Laus*. Active. Quem laudo, cano. Sic Hebræus: Et cantus, musica: cujus laudes instrumentis musicis decanto. *Mea*. Ad declarationem additur. Nisi malles, Nostros facillimo transitu legisse וזמרתי proprie,

nam

nam a Jod etiam incipit, quæ ſequitur dictio. *Et factus eſt*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Et fuit mihi ſaluti.

15. *Exſultationis*. Idem Hebræus fere; Ovationis, jubilationis, vociferationis præ gaudio. *Et ſalutis*. Pro ſalute conſervata, pro victoria parta. *Fecit*. Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis עָשָׂה, quamvis genere tunc diſcordaret a Dextera. Nunc Hebræis eſt participium fœmininum עֹשָׂה, Faciens. *Virtutem*. Sic Noſtri transferunt. Hebræus: Fortitudinem, ſtrenuitatem, vim, fortia, hoſtes, & ſatanam præcipue debellando. Hæc eſt enim vox epicinii, quam audiri dixit in tabernaculis juſtorum, per Mimeſin.

16. *Exaltavit*. Noſtris eſt ex pihel tertia præteriti punctis immutatis, רוֹמְמָה, & ob id, ut eclipſim contextus ſupplerent, *Me*, addiderunt de ſuo. Nunc Hebræis eſt Toar רוֹמֵמָה, Exaltata, excelſa eſt, propter fortia perpetrata, vel etiam agenda. *Fecit virtutem*. Hebræus: Faciens ſtrenuitatem, ut in ſuperiore verſiculo.

17. *Sed*. Idem Hebræus: Quia vivam, & facta Domini celebrabo. Particula כִּי varie ſumitur, ut in Theſauro.

18. *Caſtigans*. Idem Hebræus gerundio: Caſtigando, corrigendo; paternum in modum me correxit, nolens me perdere. Dare morti, idiotiſmus notus.

19. *Ingreſſus*. Idem Hebræus futuro: Veniam in, per eas. Apoſtrophe ad Sacerdotes & Æditnos, ut ſibi aperiant portas templi, quas juſtitiæ dicit, quod juſti ſolum per eas ingrediantur, excluſis ceteris. *Domino*. Hebræus accuſativo: Dominum celebrabo.

20. *Domini*. Sic Hebræus dativo: Domino. Lamed utrique caſui ſervire, ſæpius vidimus. *Intrabunt*. Idem Hebræus: Venient in, per eam; ad laudandum, & celebrandum Deum.

21. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te. Summa precis & gratiarum actionis in Eccleſia habendæ. *Exaudiſti*. Hebræus: Reſpondiſti. Quod exauditionis ſignum eſt. *Et factus es*. Idem Hebræus ſuo tropo: Et fuiſti mihi ſaluti.

22. *Lapidem, quem*. Anaſtrophe. Quem lapidem. Vel certe antiptoſis: Lapis. *Quem*. Additum ad ſupplendam eclipſim contextus. Nota eſt metaphora lapidis, ideſt Chriſti; ædificantium, ideſt Judæorum; & anguli, ideſt Eccleſiæ, quæ duos parietes, Judæos ſcilicet, & Gentiles, continet. *Hic*. Non habetur in Hebræo, quod additum anaſtrophem ſuperiorem generat, & ſine eo fit antiptoſis. Sed hæc minima. *Factus eſt*, &c. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Fuit capiti anguli. In potiorem ac digniorem ædificii locum. Lapis quidem angularis duos parietes in unum coagmentans totum ædificium continet.

23. *Factum eſt*. Idem Hebræus: Fuit. *Iſtud*. Vox hebræa eſt fœminini generis: Hæc, iſta; quod pro neutro etiam uſurpatur (eo namque carent Hebræi), ut ſæpius vidimus. Hinc eſt, ut ad lapidem etiam poſſit referri, quæ dictio in Hebræo eſt fœminini generis, ut ſuperius ex verbo הָיְתָה, fuit, videre potes. Iſtud igitur cum Noſtris, ideſt, hæc ſalus nobis admiranda, vel illa conciliatio diverſarum nationum in unum Eccleſiæ corpus, vel tandem hic lapis, hæc petra tam admirabilis, hic Chriſtus a Principibus tanquam impius in crucem actus, paulo poſt ab omnibus terrarum finibus cultus, a Deo factus eſt; ſolum Deum habet auctorem & cauſſam. Idem fere ſenſus ubique. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Eſt*. Idem Hebræus pronomine fœminino: Iſta, petra, hic lapis, ipſe. Idem eſt judicium de hoc, & de præcedenti *Iſtud*, et ſupplet vices ſubſtantivi verbi.

24. *Hæc dies*. Sic tranſtulerunt Noſtri, quod putarint ſupplendam eſſe eclipſin relativo Quam, ut ſæpius fit in

hac

hac lingua. Hebræa possunt etiam transferri sic: Hunc diem fecit Dominus. Dies in Hebræo est masculini generis. *In eo.* Die (cum Nostris); vel Deo, qui diem exaltationis, & glorificationis Christi, redemptionis nostræ, & salutis per Christum partæ mundo invexit. Quæ bona nobis attulerit ille dies, satis manifestum est.

25. *O.* In Hebræo ponuntur particulæ אָנָּא, & נָא, blandiendi, & deprecandi vim habentes: Quæso Domine. *Me.* Non habetur in Hebræo, nec in græco, sed tantum, Salvum fac quæso. Possunt autem esse verba Christi, qui Deum Patrem roget, ut se conservet, regnumque suum fortunet; vel populi pro Christo deprecantis (cum Hebræo), vel pro semetipso (cum Nostris). Quæ omnia non maximi ponderis varietatem habent. *Bene prosperare.* Active. Sic Hebræus: Quæso Domine prospera; bene fortuna quæso, hunc lapidem, vel me.

26. *Benedictus.* Felix, vel laudatus, celebratus sit. Sacerdotum, & domesticorum Dei Christum, & salutem ab eo partam excipientium verba. *Venit.* Tam præsentis, quam præteriti temporis etiam in Hebræo est. Venire in nomine Domini, idiotismus satis notus; idest, mandato & potentia ejus. *Vobis.* Sic Hebræus accusativo: Vos benediximus de domo Domini; e Templo, ex Ecclesia Sancta, e qua benedictiones in universum mundum prodeunt.

27. *Illuxit.* Sic Hebræus: Illustravit, splendere fecit nobis, suo adventu nos illuminavit, e tenebris in lucem traxit. *Constituite.* Idest, parate, redimite. Translatio sensus. Hebræus: Ligate. *Diem solemnem.* Hebræus: Festum. Vel (cum Nostris) diem ipsum solemnem ramis densis, & perplexis, atria templi, immo totam urbem ipsam ornando. Vel Festi hostiam (collective); idest, Victimas mactandas densis frondibus, ornatus gratia, vel funibus, ne fugiant, ligando. Externum etiam cultum Dei solemniter fieri postulat. *In condensis.* Vox hebræa dicitur tam de foliis, ramisque perplexis, quam de funibus intricatis. Consule Thesaurum. Nostri in priori sensu, Hebræus autem in secundo accipit. *Cornu.* Idem Hebræus pluraliter: Cornua.

28. *Es.* Subintelligitur, licet non habeatur in Hebræo. *Tibi.* Hebræus accusativo: Te celebrabo. Populi invocatio, & gratiarum actio. *Es tu, &c.* Non habentur in Hebræo; quod parum, vel nihil referre crederem. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti, &c.* Hic versus non habetur in Hebræo; non incommode tamen a Nostris repetitur e vers. 21. supra, ad gratiarum actionem exaggerandam. Neque enim adventûs Christi beneficium satis recoli, nec memoria ejus satis celebrari potest. Hac etiam de caussa pro epilogo repetitur propositio, *Confitemini, &c.* ut supra versu primo. Ibi vide.



PSALMUS CXIX. Lat. CXVIII.

Primus octonarius ab א incipiens.

אשרי תמימי דרך ההלכים בתורת יהוה:	1. *Beati integri viæ, qui ambulant in lege DOMINI.*	1. *Hallelujaha.* Beati immaculati *in* via, qui ambulant in lege DOMINI.
אשרי נצרי ערתיו בכל לב ידרשוהו:	2. *Beati custodientes obtestationum ejus, in toto corde quærent eum.*	2. Beati, qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum.
אף לא פעלו עולה בדרכיו הלכו:	3. *Et si non operati sunt iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.*	3. Non enim *qui* operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.
אתה · צויתה פקדיך לשמר מאד:	4. *Tu mandasti deposita tua ad custodiendum valde.*	4. Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.
אחלי יכנו דרכי לשמר חקיך:	5. *Preces meæ* sunt: *aptabuntur viæ meæ ad custodiendum statuta tua.*	5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.
אז לא אבוש בהביטי אל כל מצותיך:	6. *Tunc non confundar in aspicere meo ad omnia mandata tua.*	6. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
אודך בישר; לבב בלמדי משפטי צדקך:	7. *Confitebor te in directione cordis in discere meo judicia justitiæ tuæ.*	7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.
את חקיך אשמר אל תעזבני עד מאד:	8. *Statuta tua custodiam, ne derelinques me usque valde.*	8. Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.

ANNOTATIONES.

Domini legem artificioso, & eleganti carmine laudans, se ejus amantissimum, & studiosissimum conservari optat, & precatur.

Psalmus acrostichus, ordine literarum descriptus, quæ singulæ singulorum octonariorum versus inchoantes, 22. Octonarios perficiunt. Singuli versus unum, interdum duo, & tria (ad copiam dumtaxat) ex istis vocabulis synonymorum usurpant pro Divina Lege & sapientia, & hæc utroque numero: videlicet, legem, mandata, statuta, viam, judicia, ordinationem, testimonium, justitiam, æquitatem, justificationes, sermones, verba, eloquium bonum, & veritatem; quæ nos semel explicabimus, ubi primum ea invenerimus, ne sæpius eadem inculcemus. Horum nominum interpretationes sæpius a Nostris confunduntur, quod vel non differant, vel cum reipsa idem sint, eandemque Dei legem & doctrinam significent, ratione & notatione dumtaxat differant,

ferant, quatenus legis divinæ qualitates, notæ, perfectiones, proprietates variæ ſunt & multiplices, ut ex Theſauro noſtro in ſingulis vocibus intelligere poteris.

1. *Hallelujaha*. A Noſtris additum, ex aliqua traditione forſitan. *Immaculati*. Non longe aliter Hebræus: Integri, perfecti, quibus nihil deſit. *In*. Non habetur in Hebræo. *Via*. Idem Hebræus genitivo: Viæ. Integer viæ, eſt qui vitam pure & ſincere tranſigit. Uſurpatur autem viæ vocabulum multis modis eleganter, ut in Theſauro, & crebro in ſequentibus invenitur. תּוֹרָה, ideſt Lex, ſic dicitur, quod recta doceat: & univerſam legem comprehendit. Ambulare in lege, Idiotiſmus; ideſt, mandatis ſervandis ſe exercere.

2. *Qui ſcrutantur*. Ut ſervent. Hebræus ſimpliciter participio: Cuſtodientes. *Teſtimonia*. Vox hebræa Teſtimonium, & obteſtationem ſignificat. Lex autem ſic dicitur, vel univerſa, quod teſtetur hominibus de voluntate Dei, vel pars illa, quæ obteſtationes, & admonitiones divinas continet. Noſtri in primo ſenſu accipiunt, Hebræus etiam in ſecundo, qui genitivo profert: Obteſtationum ejus. *Exquirunt*. Hebræus futuro: Quærent. Quærere in toto corde; ideſt, tota animi promptitudine. Copulativa Genebrardi eſt ſuperflua: Et toto corde. Cuſtodientes legem indicant, ſe Deum expetere.

3. *Non enim*. Hebræus: Etiam non. Particula אַף magnam vim habet in oratione. Conſule Theſaurum. *Qui*. A Noſtris additum per eclipſim in hebræa lingua ſæpius fieri ſolitam, quorum ſenſus patet. Quidam relativum in ſecundo membro reponunt. Non enim operantur iniquitatem, (qui) in viis ejus ambulant. Hebræus alio modo explicat: Et ſi non operentur iniquitatem, in viis ejus ambulant. Non enim ſatis eſt a malo recedere, niſi bonum etiam facias, juxta illud, Declina a malo, & fac bonum. Confer locos. *Operantur*. Hebræus præterito: Operati ſunt, fecerunt. Ambulare in viis Domini, idiotiſmus, ut ſuperius Ambulare in lege. Ideſt, in Mandatorum obſervatione ſe exercere.

4. *Mandata*. Hebræus: Depoſita tua. Sic autem dicuntur mandata, quæ Deus conſtituit, & poſuit in corde hominis, quaſi depoſita, olim repetenda, ſatis eleganter. Dicitur etiam mandatum alia ratione מִצְוָה, a præcipiendo ſcilicet; quod nomen ſæpius in hoc pſalmo legitur. *Cuſtodiri*. Idem Hebræus gerundio activo: Ad cuſtodiendum; Ut ſervemus. *Nimis*. Hebræus: Valde. Diligentiſſime.

5. *Utinam*. Translatio ſenſus. Hebræus nomine profert: Preces meæ. Supple, ſunt. *Dirigantur*. Non aliter fere Hebræus, ſed futuro: Firmabuntur, aptabuntur, diſponentur. Ut aptentur viæ meæ, conſilia, & actiones, rogo. *Ad cuſtodiendas*. Sic Hebræus: Ad cuſtodiendum. *Juſtificationes tuas*. Hebræus: Statuta, decreta tua. Illa pars legis, cujus rationem ignoramus, nec aliud, quam Deum ſic ſtatuiſſe, valemus dicere, hoc appellatur nomine. Noſtri Juſtificationem dicunt fortaſſe, quod ſervantes juſtificentur quam maxime, dum cuſtodiunt ex ſolo obedientiæ amore, quæ nullam rationem præcepti præſeferant. Nonnunquam etiam מִשְׁפָּט, quod judicium ſonat, juſtificationem transferunt Noſtri, ſicque aliquando etiam פִּקֻּדֶיךָ, ideſt depoſita, ut ſuo loco dicemus.

6. *Cum perſpexero*. Idem Hebræus infinitivo: In aſpicere meo, cum aſpiciam, intentus fuero. *In omnibus*, *&c.* Hebræus: Ad omnia mandata tua.

7. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te celebrabo. *In directione*. In rectitudine, recto corde. *In eo quod didici*. Quod didicerim. Hebræus infinitivo: In diſcere meo, cum didicero. Nulla varietas. *Judicia*. Quæ mihi ſæpius occulta, & incomprehenſibilia ſunt. *Juſtitiæ*. Qua juſtificat homines, mediandi-

P 2

diante lege, ut olim; nunc autem Euangelio.

8. *Justificationes tuas*. Hebræus: Statuta tua, ut supra. *Non me derelinquas*. Idem Hebræus futuro: Ne derelinques me. *Usquequaque*. Vulgo *affatto affatto*. Hebræus: Usque valde; quod quidam jungunt cum *Custodiam*, per Hyperbaton. Jura tua custodiam quam maxime; ne me deseras. Ego simpliciter exponerem, Ne me multum desere; quasi diceret: Licet ad tempus me deserere videaris, velim tamen, ne usque valde, nimis, progrediatur hujusmodi derelictio, ut possim jura tua firmius custodire.

Secundus octonarius a ב incipiens.

במה יזכה נער את ארחו לשמר כדבריך :	1. *In quo puram reddet adolescentior viam suam ad custodiendum secundum verba tua?*	1. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.
בכל לבי דרשתיך אל תשגני ממצותיך :	2. *In toto corde meo exquisivi te, ne errare facies me a mandatis tuis.*	2. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis.
בלבי צפנתי אמרתך למען לא אחטא לך :	3. *In corde meo abscondi eloquium tuum, ut non peccabo tibi.*	3. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.
ברוך אתה יהוה למדני חקיך :	4. *Benedictus tu DOMINE, doce me statuta tua.*	4. Benedictus es DOMINE, doce me justificationes tuas.
בשפתי ספרתי כל משפטי פיך :	5. *In labiis meis narravi omnia judicia oris tui.*	5. In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui.
בדרך עדותיך ששתי כעל כל הון :	6. *In via obtestationum tuarum gavisus sum, sicut super omni substantia.*	6. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.
בפקודיך אשיחה ואביטה ארחתיך :	7. *In depositis tuis loquar, & aspiciam vias tuas.*	7. In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.
בחקתיך אשתעשע לא אשכח דבריך :	8. *In decretis tuis oblectabor, non obliviscar verba tua.*	8. In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.

ANNOTATIONES.

1. CORrigit. Non aliter fere Hebræus, sed futuro: Purgabit, purificabit. *Adolescentior*. Sic Hebræus: Puer. *Viam suam*. Vitæ inclinationem, institutum, mores. Hic Nostris terminatur interrogatio, cui respondetur, *In custodiendo*. Hebræus idem alio gerundio: Ad custodiendum; si custodiat, & perficiat. *Sermones tuos*. Hebræus similitudinis particulam addit: Secundum verba tua; ut locutus es, ut præcepisti. Possemus etiam interrogationem hucusque extendere, sic: In quo purgabit puer viam suam, ad custodiendum (ut custodiat) secundum verba tua? Cui interrogationi respondetur in sequen-

ſequenti verſiculo ; nempe ſi Deum toto corde requirat. Idque fortaſſe purius & ſimplicius eſt. Verum hæc alibi..

2. *Ne repellas me*. Translatio ſenſus. Niſi malles, Noſtros facillimo vocis tranſitu legiſſe תַּשִׁיגֵנִי, putaſſeque, ש loco ס poni, ut ſæpius fit in hac lingua. Ideſt, ne retroagas me. Sed prior expoſitio fortaſſe verior; nam Hebræus futuro legit nunc תַּשְׁגֵּנִי, ne errare facies me a mandatis tuis; quod eſt quodammodo repellere. Ne errare me ſinas in mandatorum obſervatione, falſa doctrina ſcilicet, aut etiam impia vita.

3. Abſcondere in corde. Idiotiſmus, pro, In mente intima reponere, ut qui res pretioſas in theſauris recondunt. *Eloquia tua*. Quod fortaſſe legerint Noſtri punctis immutatis אִמְרוֹתֶיךָ, quod nunc Hebræis eſt ſingulare אִמְרָתֶךָ, Eloquium, dictum tuum. Sed hoc parum, vel nihil refert. *Peccem*. Idem Hebræus futuro: Peccabo.

4. *Es*. Sic Hebræus pronomine: Tu. *Juſtificationes tuas*. Hebræus ut ſupra: Statuta, jura tua.

5. *Pronunciavi*. Non aliter fere Hebræus: Narravi, labiis meis annunciavi.

6. *Teſtimoniorum tuorum*. Vel obteſtationum, admonitionum tuarum, ut ſupra. *Delectatus ſum*. Idem fere Hebræus: Gaviſus, lætatus ſum. Niſi malles, Noſtros legiſſe proprie, שֶׁעֲשַׁעְתִּי, non admodum difficili vocis tranſitu. Quamquam hoc parum, vel nihil refert. *Sicut in omnibus divitiis*. Hebræus ſingulari, & ſuo loquendi modo: Sicut ſuper omni ſubſtantia; ſuper omnibus divitiis.

7. *In mandatis tuis*. Hebræus: Depoſitis, ut ſupra. *Exercebor*. De eis loquendo. Sic Hebræus: Loquar, meditabor; cum mandatis tuis, quæ mihi credidiſti, colloquar. *Conſiderabo*. Translatio ſenſus. Hebræus: Aſpiciam, inſpiciam.

8. *In juſtificationibus tuis*. Hebræus: In decretis tuis, ut ſupra. *Meditabor*. Ex quarum meditatione delectationem non minimam contraham. Hebræus apertius: Oblectabo me, deliciabor. *Sermones tuos*. Idem Hebræus: Verba tua.

Tertius octonarius a ג incipiens.

גמל על עבדך אחיה ו ואשמרה דברך:	1. *Retribue ſuper ſervo tuo, vivam, & cuſtodiam verbum tuum.*	1. Retribue ſervo tuo, vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.
גל עיני ואביטה נפלאות מתורתך:	2. *Revela oculos meos, & aſpiciam mirabilia de lege tua.*	2. Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.
גר אנכי בארץ אל תסתר ממני מצותיך:	3. *Incola ego in terra, non abſcondes a me mandata tua.*	3. Incola ego *ſum* in terra, non abſcondas a me mandata tua.
גרסה נפשי לתאבה אל משפטיך בכל עת:	4. *Fracta eſt anima mea deſiderio ad judicia tua, in omni tempore.*	4. Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas, in omni tempore.
גערת זדים ארורים השגים ממצותיך:	5. *Increpaſti ſuperbos maledictos, qui declinant a mandatis tuis.*	5. Increpaſti ſuperbos, maledicti, qui declinant a mandatis tuis.

6. Au-

גל מֵעלי חרפה ובוז כי עדתיך נצרתי :	6. *Revolve desuper me opprobrium & contemptum, quia obtestationes tuas custodivi.*	6. Aufer a me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua exquisivi.
גם ישבו שרים בי נדברו עבדך ישיח בחקיך :	7. *Etiam sederunt Principes, in me locuti sunt, servus tuus loquetur in decretis tuis.*	7. Etenim sederunt Principes, & adversum me loquebantur; servus *autem* tuus exercebatur in justificationibus tuis.
גם עדתיך שעשעי אנשי עצתי :	8. *Etiam admonitiones tuæ* sunt *oblectationes meæ, viri consilii mei.*	8. Nam & testimonia tua meditatio mea *est*, & consilium meum *justificationes tuæ*.

ANNOTATIONES.

1. Retribue. Da, concede. Verbum retribuendi hebraicum non significat solum, Beneficium tribuere, benefacere, vel beneficium reddere; sed etiam ultro, & liberaliter dare. Nostri in primo sensu accipiunt, Hebræus in secundo. *Servo*. Hebræus addit præpositionem Super, de more linguæ. *Vivifica me*. Suspicor, Nostros aliter legisse, quam nunc Hebræus, nempe חַיֵּנִי, vel מְחַיֵּנִי. Nisi malles, eos sensum, non verbum transtulisse. Hebræus igitur futuro proferens ait, אֶחְיֶה, vivam. Concede, inquit, ut vivam; dona vivendi munus. *Sermones tuos*. Hebræus singulariter: Verbum tuum.

2. *Revela*. Retege, velum aufer ab oculis meis. *Considerabo*. Hebræus: Aspiciam, inspiciam oculis & mente. *Mirabilia*. Mirabiles legis tuæ sensus, & mysteria, non omnibus passim nota & perspecta.

3. *Incola*. Peregrinus, hodie vivus, cras moriturus. *Sum*. Ex consequentia sermonis subintellectum. *Abscondas*. Hebræus futuro: Abscondes. *Mandata*. Mandatorum notitiam & executionem.

4. *Concupivit*. Translatio sensus. Hebræus poetice satis eleganter: Fracta est. *Desiderare*. Idem Hebræus dativo nomine: Desiderio. Frangi desiderio ad aliquid, Idiotismus pulcherrimus, pro Languere cupiditate illius. *Justificationes tuas*. Quibus justificas homines. Hebræus addens præpositionem Ad, de more linguæ, habet eodem sensu: Ad judicia tua.

5. *Increpasti*. Comminando pœnam transgressionis legum. *Maledicti*. Supple, sunt. Hebræus accusativo profert: Superbos, maledictos, detestabiles. Minimi momenti varietas.

6. *Aufer a me*. Non aliter Hebræus suo tropo: Retege desuper me. *Opprobrium, & contemptum*. Quem a superbis sustineo propter legis observationem, & quo quasi vestimento contectus incedo. *Testimonia*. Vel contestationes, ut supra. *Exquisivi*. Ut custodirem. Hebræus simpliciter: Custodivi.

7. *Etenim*. Sic Hebræus: Etiam. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Adversum*. Sic Hebræus: In me. *Loquebantur*. Idem Hebræus præterito: Locuti sunt. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Exercebatur*. De tuis Juribus colloquendo. Hebræus simpliciter, futuro: Loquetur. *Justificationibus*. Hebræus: Decretis, ut supra.

8. *Nam &*. Sic Hebræus: Etiam. *Testimonia tua*. Vel contestationes tuæ, ut supra. *Meditatio*

mea

mea. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt שִׂיחִי, Locutio, meditatio mea; quod nunc Hebræis eſt שַׁעֲשֻׁעָי, Oblectationes, deliciæ meæ. Nullius tamen fere momenti eſt varietas, nam & ex meditatione naſcitur oblectatio. *Eſt*. Ex conſequentia ſermonis ſubintelligitur. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Conſilium meum*. Idem Hebræus tropo dicendi pulcberrimo: Viri conſilii mei. Admonitiones, inquit, tuæ ſunt deliciæ meæ, & conſiliarii mei, quos in meis actionibus in conſilium adhibeo. *Juſtificationes tuæ*. Ad perſpicuitatem additum. Teſtimonia, quæ & juſtificationes tuæ, mihi ſunt a conſiliis.

Quartus octonarius a ד incipiens.

דבקה לעפר נפשי חייני כדברך :	1. *Adhæſit pulveri anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.*	1. Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.
דרכי ספרתי ותענני למדני חקיך :	2. *Vias meas narravi, & reſpondiſti mihi, doce me ſtatuta tua.*	2. Vias meas enunciavi, & exaudiſti me; doce me juſtificationes tuas.
דרך פקודיך הבינני ואשיחה בנפלאותיך :	3. *Viam depoſitorum tuorum intelligere me fac, & loquar in mirabilibus tuis.*	3. Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.
דלפה נפשי מתוגה קימני כדבריך :	4. *Stillavit anima mea ab anxietate, fac me ſtare ſecundum verba tua.*	4. Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.
דרך שקר הסר ממני ותורתך חנני :	5. *Viam mendacii amove a me, & legem tuam largire mihi.*	5. Viam iniquitatis amove a me, & *de* lege tua miſerere mei.
דרך אמונה בחרתי משפטיך שויתי :	6. *Viam veritatis elegi, judicia tua æquavi.*	6. Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus.
דבקתי בעדותיך יהוה אל תבישני :	7. *Adhæſi in obteſtationibus tuis DOMINE, ne me confundes.*	7. Adhæſi teſtimoniis tuis DOMINE, noli me confundere.
דרך מצותיך ארוץ כי ת תרחיב לבי :	8. *Viam mandatorum tuorum curram, quia dilatabis cor meum.*	8. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.

ANNOTATIONES.

1. P*avimento*. Hebræus: Pulveri. Minimi momenti varietas. Animam adhærere pulveri, Idiotiſmus, pro In extremo vitæ periculo poſitum eſſe, vitam deprimi & dejici in terram. *Vivifica*. Vitam conſerva ex tuis promiſſis, & miſerationibus.

2. *Enunciavi*. Idem fere Hebræus: Narravi mores meos, mea negotia explicavi. *Exaudiſti*. Hebræus: Reſpondiſti. Quod exauditionis ſignum eſt. *Juſtificationes tuas*. Hebræus: Statuta, jura tua; ut ſupra.

3. *Juſtificationum tuarum*. Hebræus

us eodem ſenſu: Depoſitorum tuorum, quæ cuſtodientes juſtificas. *Inſtrue me.* Non aliter Hebræus fere: Intelligere me fac. *Exercebor.* Hebræus: Loquar in, de mirabilibus tuis.

4. *Dormitavit.* Hebræus: Stillavit, ſtillas, guttas emiſit. Poetice loquitur. Vulgatus tranſtulit ſic, quod legerit Græce ἐνύσταξεν, licet quidam ſuſpicentur Lxxij. potius vertiſſe ἔσταξεν. *Præ tædio.* Hebræus: Ab anxietate, a dolore; præ anxietate. *Confirma me.* Non longe aliter Hebræus: Erige me, fac me ſtare. *In verbis tuis.* Quaſi legerint Noſtri facillimo tranſitu Caph in Beth בִּדְבָרֶךָ, quod nunc Hebræis eſt כִּדְבָרֶךָ, ſecundum verba tua. Hoc tamen parum, vel nihil refert.

5. *Iniquitatis.* Non longe aliter Hebræus: Mendacii, falſitatis. *De.* Non habetur in Hebræo (licet a nonnullis ſubaudiatur), & ideo transferunt accuſativo: Legem tuam. *Miſerere mei.* Verbum hebræum חָנֵּנִי Miſereri, largiri, gratiam conferre, & hujuſmodi ſignificat. Conſule Theſaurum. Legem tuam (inquit) largire mihi, de ea gratificare mihi, gratiam legis perficiendæ concede.

6. *Non ſum oblitus.* Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, &, ſi conjectare licet, arbitror eos legiſſe, לֹא נָשִׁיתִי, quod nunc Hebræis eſt שִׁוִּיתִי, æquavi; æqua, & juſta ſervando ea reddidi, & comprobavi. Alii: Poſui, ante me ſcilicet; ut ea ſervarem, mihi propoſui. Vide Theſaurum.

7. *Teſtimoniis.* Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. In obteſtationibus tuis. *Noli me confundere.* Idem Hebræus futuro: Ne confundes me, propter hanc mandatorum tuorum obſervantiam.

8. *Cucurri.* Hebræus futuro: Curram. Currere viam mandatorum alicujus, eſt Alacriter exſequi mandata ejus. *Cum dilataſti.* Idem Hebræus, licet futuro: Cum, vel quia (nam particula כִּי varie ſumitur) dilatabis cor meum, gratiam conferendo, & me ex anguſtiis explicando, me conſolando. Idiotiſmus pulcherrimus, qui vulgo etiam uſurpatur: Allargare il cuore conſolando.

Quintus octonarius ab ה incipiens.

הורני יהוה דרך חקיך ז ואצרנה עקב :	1. *Doce me DOMINE viam decretorum tuorum, & cuſtodiam eam calci.*	1. Legem pone mihi DOMINE viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.
הבינני ואצרה תורתך ז ואשמרנה בכל לב:	2. *Fac me intelligere, & ſervabo legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde.*	2. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde *meo*.
הדריכני בנתיב מצותיך כי בו חפצתי :	3. *Fac me incedere in ſemita mandatorum tuorum, quia in ipſam volui.*	3. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.
הט לבי אל עדותיך ואל אל בצע :	4. *Inclina cor meum ad obteſtationes tuas, & non ad avaritiam.*	4. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.
העבר עיני מראות שוא בדרכך חייני :	5. *Fac tranſire oculos meos a videndo vanitatem, in viis tuis vivifica me.*	5. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.

6. Sta-

הקם לעבדך אמרתך אשר ליראתך׃

6. Statue servo tuo dictum tuum, quod est *timori tuo.*

6. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

העבר חרפתי אשר יגרתי כי משפטיך טובים׃

7. Fac transire opprobrium meum, quod timui, quia judicia tua bona.

7. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.

הנה תאבתי לפקודיך בצדקתך חייני׃

8. Ecce concupivi depositis tuis, in justitia tua vivifica me.

8. Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me.

ANNOTATIONES.

1. *Legem pone mibi*. Hebræus unico verbo: Doce, instrue me. Ab hoc verbo dicitur תּוֹרָה, lex, a docendo; & hinc Nostri sic transtulerunt, quasi legem dare, ponere significaret. *Justificationum tuarum*. Hebræus: Decretorum tuorum, ut supra. *Exquiram*. Ut observem. Hebræus: Custodiam. *Semper*. Hebræus suo idiotismo proprio: Calci, (*ad*) calcem; idest, ad extremum usque, semper, vel mercedis gratia, quam servantibus promisisti. Omnia dicuntur per translationem, quod calcaneus extrema pars corporis sit. Consule Thesaurum.

2. *Da mihi intellectum*. Idem Hebræus uno verbo: Fac me intelligere, ut legem servare sciam. *Scrutabor*. Hebræus idem verbum, quod est in superiori versiculo, repetit: Custodiam, servabo. *Meo*. Ad declarationem additum.

3. *Deduc me*. Sic Hebræus: Fac me incedere. Vulgo, inviami. *Ipsam*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ.

4. *In testimonia tua*. Hebræus idem: Ad testimonia, vel obtestationes tuas. *In avaritiam*. Hebræus iterum hic: Ad avaritiam. Avaritiam appellant Hebræi בֶּצַע, Excisionem, quod avari e victu, & aliis rebus necessariis semper adimant, &, ut ille ait, proprium defraudent genium. Vide Thesaurum. Deus inclinat ad bonum simpliciter: sequitur vero illius alienatione malum per accidens, eodem fere modo quo gubernator sua præsentia est caussa salutis navis, sua vero absentia naufragii.

5. *Averte*. Sic Hebræus suo tropo: Fac transire. *Ne videant*. Hebræus gerundio: A videndo. Ne videant, vel videam vanum, doctrinæ & morum vanitates. *Via tua*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis, בִּדְרָכְךָ, quod nunc pluraliter legitur בִּדְרָכֶךָ, in viis tuis, in tua lege fac me vivere.

6. *Statue*. Stabili, firma, fac stare, erige. *Eloquium*. Dictum, promissum tuum. *In timore tuo*. Hebræus idem dativo, suo loquendi tropo: Quod (est vel sit) timori tuo. Ut te timeam, & reverear.

7. *Amputa*. Hebræus idem verbum versiculi 5. repetit: Fac transire, aufer opprobrium, vel quo me hostes afficiunt, vel quod ex peccatis, & malis moribus contraherem. *Suspicatus sum*. Hebræus apertius: Timui. *Jucunda*. Non aliter fere Hebræus: Bona, utilia, benigna, grata piis.

8. *Mandata tua*. Hebræus dativo, suo tropo: Depositis tuis; ut supra. *In æquitate*. Pro tua æquitate, vel per tuam justitiam, per legem, quam servare studeo, conserva mihi vitam.

Sextus octonarius a ו incipiens.

ויבאני חסדך יהוה תשועתך כאמרתך׃	1. *Et veniant mihi pietates tuæ DOMINE, ſalus tua ſecundum dictum tuum.*	1. Et veniat ſuper me miſericordia tua DOMINE, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.
ואענה חרפי דבר כי ב בטחתי בדברך׃	2. *Et reſpondebo exprobranti meo verbum, quia confiſus ſum in verbo tuo.*	2. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperavi in ſermonibus tuis.
ואל תצל מפי דבר אמת עד מאד כי למשפטיך יחלתי׃	3. *Et ne eripies de ore meo verbum veritatis uſque valde, quia judiciis tuis exſpectavi.*	3. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque, quia *in* judiciis tuis ſuperſperavi.
ואשמרה תורתך תמיד ל לעולם ועד׃	4. *Et cuſtodiam legem tuam ſemper ſeculo, & æterno.*	4. Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſeculum & in ſeculum ſeculi.
ואתהלכה ברחבה כי פקדיך דרשתי׃	5. *Et ambulabo in latitudine, quia depoſita tua quæſivi.*	5. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi.
ואדברה בעדתיך נגד מ מלכים ולא אבוש׃	6. *Et loquar in obteſtationibus tuis coram regibus, & non confundar.*	6. Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.
ואשתעשע במצותיך אשר אהבתי׃	7. *Et oblectabor in mandatis tuis, quæ dilexi.*	7. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.
ואשא כפי אל מצותיך אשר אהבתי ואשיחה בחקיך׃	8. *Et levabo volas meas ad mandata tua, quæ dilexi, & loquar in decretis tuis.*	8. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebor in juſtificationibus tuis.

ANNOTATIONES.

1. ET *veniat ſuper me*. Noſtri, punctis immutatis, videntur legiſſe וַיָּבֹאֵנִי, Et veniet mihi; quod nunc Hebræis eſt plurale וִיבֹאֻנִי, Et venient mihi. *Miſericordia tua*. Sic Noſtri tranſferunt, qui punctis immutatis etiam legerunt חַסְדְּךָ, quod nunc Hebræis eſt plurale חֲסָדֶךָ, Pietates tuæ, benignitates, officia. *Salutare tuum*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Salus tua, defenſio, auxilium tuum. *Eloquium*. Dictum, promiſſum.

2. *Exprobrantibus mihi*. Noſtri punctis commutatis legerunt חֹרְפַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare חוֹרְפִי, Exprobratori, conviciatori meo reſponſum hoc, quod ſequitur, dabo. *Speravi*. Hebræus: Confiſus ſum. Et quidem ex confidentia ſpes naſcitur. *In ſermonibus tuis*. Vel, in verbo tuo, in tuo promiſſo. Vox hebræa tam ſingularis, quam pluralis eſſe poteſt.

3. *Auferas*. Hebræus idem futuro: Eripies, auferes. *Uſquequaque*. Hebræus:

bræus: Usque valde; ut supra. Ideſt, prorsus (affatto affatto). *In judiciis.* Hebræus dativo: Judiciis. *Super ſperavi*. Hebræus eodem ſenſu: Exſpectavi, mente & corpore. Exſpectare judiciis, idiotiſmus; ideſt, judicia; &, quod Noſtri dixerunt, in eis ſperare.

4. *In ſeculum, &c.* Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo, & æterno: cunctis vitæ meæ diebus.

5. *Ambulabam*. Hebræus futuro: Ambulabo, incedam. Ambulare in latitudine, idiotiſmus; ideſt ſecure degere; late, & expedite in ſecuritate & confidentia, etiam inter perſecutiones, vitam pertranſire. *Mandata*. Hebræus: Depoſita; ut ſupra.

6. *Loquebar*. Hebræus futuro: Loquar. *De*. Hebræus ſuo modo: In teſtimoniis, vel obteſtationibus tuis; ut ſupra. *In conſpectu regum*. Sic Hebræus: Coram regibus. *Confundebar*. Hebræus iterum futuro: Confundar; non me pudebit.

7. *Meditabar*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Oblectabo me. Ex meditatione quidem fit delectatio.

8. *Manus*. Sic Hebræus: Palmas, volas. Levare manus ad mandata, idiotiſmus; ut ea apprehendas, & ſumma alacritate perficias videlicet. *Exercebor*. De eis loquendo. Hebræus ſimpliciter: Et loquar. *Juſtificationibus*. Hebræus: Decretis; ut ſupra.

Septimus octonarius a ז incipiens.

זכר דבר לעבדך על אשר יחלתני :	1. *Memor eſto verbi ſervo tuo, ſuper quo exſpectare me feciſti.*	1. Memor eſto verbi *tui* ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.
זאת נחמתי בעניו כי אמרתך חיתני :	2. *Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea, quia dictum tuum vivificavit me.*	2. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.
זרים הליצוני עד מאד ם מתורתך לא נטיתי :	3. *Superbi cavillati ſunt me uſque valde, a lege tua non declinavi.*	3. Superbi inique agebant uſquequaque, a lege *autem* tua non declinavi.
זכרתי משפטיך מעולם יהוה ואתנחם :	4. *Memor fui judiciorum tuorum a ſeculo DOMINE, & conſolatus ſum.*	4. Memor fui judiciorum tuorum a ſeculo DOMINE, & conſolatus ſum.
זלעפה אחזתני מרשעים עזבי תורתך :	5. *Horror apprehendit me ab injuſtis derelinquentibus legem tuam.*	5. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
זמירות היו לי חקיך בבית מגורי :	6. *Cantiones fuerunt mihi decreta tua in domo peregrinationum mearum.*	6. Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.
זכרתי בלילה שמך יהוה ואשמרה תורתך :	7. *Memor fui in nocte nominis tui DOMINE, & cuſtodivi legem tuam.*	7. Memor fui nocte nominis tui DOMINE, & cuſtodivi legem tuam.
זאת היתה לי כי פקדיך נצרתי :	8. *Hoc fuit mihi, quia depoſita tua ſervavi.*	8. Hæc facta eſt mihi, quia juſtificationes tuas exquiſivi.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. TUi. Ad declarationem additum. *In quo*. Hebræus suo modo: Super quo. *Mihi spem dedisti*. Non aliter Hebræus uno verbo: Exspectare (mente & corpore) me fecisti. Quasi diceret. Memento eorum, quæ mihi es pollicitus, vel per internam vocem, vel certe per Scripturas, vel tandem per Prophetas.

2. *Me consolata est*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis verbaliter נִחֲמָתִי, quod nunc Hebræis nomen est, נֶחָמָתִי, Consolatio mea hæc est, vel hoc; Nam fœmininum genus usurpant Hebræi pro neutro, quo carent. *Humilitate*. Hebræus: Afflictione, tam animi quam corporis. *Quia eloquium*. Dictum tuum me conservavit; & hoc est mea consolatio; quod me exspectare fecisti: iam diu quidem me vita defecisset pro malorum magnitudine, nisi me verbum tuum illud, cujus memor sis velim, conservasset.

3. *Inique agebant*. Translatio sensus. Hebræus: Illuserunt, deriserunt, cavillati sunt hi, qui legis Dei & pietatis contemptores incedunt superbi. *Usquequaque*. Hebræus: Usque valde, prorsus; ut supra. *Autem*. Non habetur in Hebræo. Declinare a lege, idiotismus; idest, eam non servare.

4. *A seculo*. Quæ judicia sunt a seculo, sempiterna.

5. *Defectio*. Animi defectus, & deliquium. Non longe aliter Hebræus: Horror. *Tenuit*. Sic Hebræus: Apprehendit, corripuit me. *Pro*. Propter. Idem Hebræus suo modo: A, præ, propter. *Peccatoribus*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Injustis, legem tuam deserentibus.

6. *Cantabiles*. Idem Hebræus substantivo: Cantiones, cantiunculæ, carmina. *Erant*. Sic Hebræus præterito: Fuerunt. *Justificationes tuæ*. Hebræus: Decreta tua; ut supra. Tua cantando jura, me solabar. *In loco*. Non longe aliter Hebræus: In domo. *Peregrinationis meæ*. Hebræus pluraliter: Peregrinationum, incolatuum meorum; idest, in hac vita, vel in hac captivitate, in hoc exsilio.

7. *Nocte*. Nocturno tempore, quando ceteri dormiunt quiete & tranquille; vel calamitoso. Noctis & tenebrarum vocabulo mala omnia designantur in Scriptura Sacra. Hebræus addit præpositionem.

8. *Hæc*. Idem Hebræus; sed usurpatur pro neutro, ut supra diximus. Hoc; quod hactenus commemoravi, in hoc præsertim Octonario. *Facta est*. Sic Hebræus: Fuit. *Justificationes tuas*. Hebræus: Deposita tua; ut supra. *Exquisivi*. Ut servarem. Hebræus apertius: Servavi, custodivi.

Octavus octonarius ab ח incipiens.

חלקי יהוה אמרתי לשמר דבריך:	1. *Portio mea, DOMINE, dixi ad custodiendum verba tua.*	1. Portio mea DOMINE, dixi custodire legem tuam.
חליתי פניך בכל לב חנני כאמרתך:	2. *Deprecatus sum facies tuas in toto corde, miserere mei secundum dictum tuum.*	2. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.

3. Co-

חשבתי דרכי ואשיבה רגלי אל עדתיך׃

3. *Recensui vias meas, & redire feci pedes meos ad contestationes tuas.*

3. Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.

חשתי ולא התמהמהתי לשמר מצותיך׃

4. *Festinavi, & non moram traxi ad custodiendum mandata tua.*

4. Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.

חבלי רשעים עודני תורתך לא שכחתי׃

5. *Funes injustorum implicarunt me (ultra progredi fecerunt me), legem tuam non sum oblitus.*

5. Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

חצות לילה אקום להודות לך על משפטי צדקך׃

6. *Medietate noctis surgam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.*

6. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.

חבר אני לכל אשר יראוך ולשמרי פקודיך׃

7. *Socius ego omnibus, qui timuerunt te, & custodientibus depositorum tuorum.*

7. Particeps ego *sum* omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

חסדך יהוה מלאה הארץ חקיך למדני׃

8. *Pietate tua DOMINE plena est terra, decreta tua doce me.*

8. Misericordia tua DOMINE plena est terra, justificationes tuas doce me.

ANNOTATIONES.

1. P*ortio*. Græcus addit σύ. *Custodire*. Hebræus gerundio: Ad custodiendum. *Legem tuam*. Hebræus: Verba tua. Varie autem potest intelligi hæc sententia, quam quidam non satis recte sic dividunt, Portio mea Dominus (supple, est), dixi, me custoditurum verba tua. Alii, O Domine portio mea (per Appositionem) dixi, &c. Alii rectius, Portionem esse meam o Domine, dixi custodire, si custodiam verba tua. Hoc pro mea parte accipio, non opes, honores, potentiamve, ut alii. Ego simplicius exponerem: Portionem meam Dominum dixi, ad custodiendum, custodiendo verba tua: idest, non me latet sane, quod ex mandatorum observantia, Deus sit portio mea, thesaurus, seu pars mea hereditaria.

2. *Faciem tuam*. Hebræus pluraliter: Facies tuas. *Meo*. Ad declarationem additum. *Eloquium*. Dictum, promissum.

3. *Cogitavi*. Summa diligentia adhibita, recensui, supputavi (ob conjugationem verbi pihel) meas actiones, mores, facta. *Et converti*. Idem Hebræus: Et redire feci. *In*. Hebræus: Ad. *Testimonia tua*. Vel obtestationes tuas; ut supra. Vertere pedes ad aliquid, idiotismus; idest, te ipsum.

4. *Paratus sum*. Ad festinandum, accelerandum. Translatio sensus. Hebræus simpliciter: Festinavi. *Sum turbatus*. Iterum translatio sensus. Hebræus: Non tardavi, non distuli. Ex animi turbatione cunctatio fit in rebus agendis. *Ut custodiam*. Hebræus gerundio: Ad custodiendum.

5. *Peccatorum*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Injustorum. *Circumplexi sunt me*. Verbum hebræum est unicum in tota Scriptura, & varie exponitur. Quidam cum Nostris exponunt, *implicarunt*, vel juxta alios, *deprædati sunt*, *exspoliaverunt*, a עָר, Spolio. Consule

ſuleTheſaurum.Ego ſimplicius a עוד deducerem,& ad ulteriora progredifacere,interpretarer, idiotiſmo per quam pulcherrimo. Funes, inquit, (metonymice, ideſt laquei funibus vel tenſi, vel conſtantes) ad ulteriora me tranſmiſerunt; hoc eſt, ferventiorem in mandatorum obſervatione me reddiderunt, tantum abeſt, ut me implicaverint, vel deprædati ſint. Ex inſidiis hoſtium factus ſum legis tuæ zelantior. Quid? ſi dicendum ſit עִוְּתֻנִי, curvarunt me. Expende locum accuratius. *Et*. Non habetur in Hebræo.

6. *Media nocte*. Idem Hebræus ſubſtantivo, de more linguæ: Medietate noctis. *Surgebam*. Sic Hebræus futuro: Surgam. *Super*. De judiciis, vel propter judicia. *Juſtificationis*. Active. Sic Hebræus: Juſtitiæ tuæ, qua juſtificas homines, alios puniendo, & alios ſervando.

7. *Particeps*. Hebræus: Socius; unus ex his. *Sum*. Ex conſequentia ſermonis ſubintellectum. *Omnium timentium te*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo, dativo, & præterito: Omnibus, qui timuerunt te. Cum iis me ſoleo conjungere, ut ſocietate vitæ, & morum ſimilitudine, communionem bonorum omnium, & gratiarum ſpiritualium conſequar. *Et cuſtodientium*. Hebræus iterum dativo: Et cuſtodientibus. *Mandata tua*. Hebræus genitivo: Depoſitorum tuorum; ut ſupra.

8. *Miſericordia*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Pietate, benignitate, beneficiis tuis plena eſt terra ipſa proprie; vel terrarum incolæ. *Juſtificationes*. Hebræus: Decreta; ut ſupra.

Nonus octonarius a ט incipiens.

טוב עשית עם עבדך יהוה כדברך :	1. *Bonum feciſti cum ſervo tuo, DOMINE, ſecundum verbum tuum.*	1. Bonitatem feciſti cum ſervo tuo, DOMINE, ſecundum verbum tuum.
טוב טעם ודעת למדני כי במצותיך האמנתי:	2. *Bonum rationis, & ſcientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi.*	2. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.
טרם אענה אני שגג ועתה אמרתך שמרתי:	3. *Priuſquam affligar, ego errans, & nunc dictum tuum cuſtodivi.*	3. Priuſquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum cuſtodivi.
טוב אתה ומטיב למדני חקיך:	4. *Bonus tu, & benefaciens: doce me decreta tua.*	4. Bonus *es* tu, & in bonitate *tua* doce me juſtificationes tuas.
טפלו עלי שקר זדים אני בכל לב אצר פקודיך :	5. *Concinnarunt ſuper me mendacium ſuperbi, ego in toto corde ſervabo depoſita tua.*	5. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum; ego *autem* in toto corde *meo* ſcrutabor mandata tua.
טפש כחלב לבם אני ת תורתך שעשעתי:	6. *Incraſſatum eſt, ſicut adeps, cor eorum; ego lege tua oblectatus ſum.*	6. Coagulatum eſt, ſicut lac, cor eorum; ego *vero* legem tuam meditatus ſum.
טוב לי כי עניתי למען א אלמד חקיך:	7. *Bonum mihi, quia afflictus fui, ut diſcam decreta tua.*	7. Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.

8. Bo-

טוב לי תורת פיך מאלפי זהב וכסף :	8. *Bonum mibi lex oris tui a millibus auri & argenti.*	8. Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.

ANNOTATIONES.

1. **B**Onitatem. Bonum, bene fecisti servo tuo, ut pollicitus es.

2. *Et*. Non habetur in Hebræo. Videntur autem Nostri legisse כּוֹב, mutato Vav Surech in Holem, & ob id transtulerunt, Bonitatem, disciplinam, quod nunc est in regimine כּוּב, Bonum. *Disciplinam*. Translatio sensus. Hebræus genitivo: Gustus, rationis. Bonum gustum, bonam rationem; idest, sapientiam, prudentiam, consilium, disciplinam. Consule Thesaurum. *Mandatis*. Hebræus addit præpositionem In, de more linguæ.

3. *Humiliarer*. Hebræus futuro: Affligar. Quod dicitur de corporis, & animi afflictione. *Deliqui*. Idem fere Hebræus, sed præsenti participio: Ego errans, errabam. *Propterea*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum, nec, quid legerint, conjectare valeo. Hebræus nunc habet: Et nunc; post afflictionem scilicet. *Eloquium*. Dictum, promissum.

4. *Es*. Ex sermonis consequentia subintellectum. Græcus addit etiam Κύριε. *Et in bonitate*. Suspicor, Nostros, mutato Jod in Vav, facillimo vocis transitu legisse וּמִטּוֹב, Et ex (in) bonitate; Quod Hebræis nunc est וּמֵטִיב, Et benefaciens, beneficus. *Tua*. A Nostris (quod legerint, ut diximus) ad declarationem additum. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

5. *Multiplicata est*. Arbitror Nostros detracto Vav, legisse רָבַּל, quod verbum neutraliter exponentes, per translationem sensus sic interpretati sunt: Connexa, concinnata, addita, & sic multiplicata. Nunc Hebræis est activum, & plurale טָפְלוּ, concinnarunt. *Iniquitas*. Hebræus: Mendacium. Non maximi ponderis varietas. *Superborum*. Hebræus nominativo: Superbi, arrogantes concinnarunt contra me mendacium. Idem prope sensus in Nostris. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Meo*. Ad declarationem additum. *Scrutabor*. Ut servem. Sic interpretantur Nostri. Hebræus: Custodiam, servabo. *Mandata*. Hebræus: Deposita; ut supra.

6. *Coagulatum*. Hebræus idem fere: Incrassatum, pinguefactum. *Sicut lac*. Nostri, punctis immutatis, legerunt כֶּחָלָב, tanquam lac; quod nunc Hebræis eodem prope sensu est כַּחֵלֶב, sicut adeps; ne legi tuæ operam dare possint, hebetes effecti sunt. *Vero*. Non habetur in Hebræo. *Meditatus sum*. Translatio sensus. Hebræus: Oblectatus sum lege tua, in deliciis habui legem. Delectatio ex meditatione provenit.

7. *Humiliasti me*. Arbitror, Nostros facillimo vocis transitu, punctis quibusdam immutatis, & addito Nun, legisse עִנִּיתָנִי, vexasti, afflixisti me; quod verbum de afflictione tam corporis, quam animi dicitur, ut sæpius vidimus. Nunc Hebræus habet, eodem nihilominus sensu permanente, עֻנֵּיתִי, Afflictus, vexatus fui. *Discam*. In Hebræo est futuri temporis. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

8. *Super millia*. Sic Hebræus suo loquendi modo: A, præ millibus aureorum, argenteorumque.

Deci-

Decimus octonarius a י incipiens.

ידיך עשוני ויכוננוני הבינני ואלמדה מצותיך׃	1. *Manus tuæ fecerunt me, & aptaverunt me; fac me intelligere, & discam mandata tua.*	1. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me; da mihi intellectum, ut discam mandata tua.
יראיך יראוני וישמחו כי לדברך יחלתי׃	2. *Timentes tui videbunt me, & lætabuntur, quia verbo tuo exspectavi.*	2. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua supersperavi.
ידעתי יהוה כי צדק משפטיך ואמונה עניתני׃	3. *Cognovi DOMINE, quia æquitas judicia tua, & veritate affiixisti me.*	3. Cognovi DOMINE, quia æquitas judicia tua, & *in* veritate *tua* humiliasti me.
יהי נא חסדך לנחמני כאמרתך לעבדך׃	4. *Erit quæso pietas tua ad consolandum me secundum dictum tuum servo tuo.*	4. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.
יבואוני רחמיך ואחיה כי תורתך שעשעי׃	5. *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam, quia lex tua oblectationes meæ* sunt.	5. Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam; quia lex tua meditatio mea *est*.
יבשו זדים כי שקר עותוני אני אשיח בפקודיך׃	6. *Confundentur superbi, quia mendaciter inique egerunt* in *me, ego loquar in depositis tuis.*	6. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me; ego *autem* exercebor in mandatis tuis.
ישובו לי יראיך וידעי עדתיך׃	7. *Redibunt mihi timentes te, & scientes obtestationum tuarum.*	7. Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt testimonia tua.
יהי לבי תמים בחקיך למען לא אבוש׃	8. *Erit cor meum integrum in decretis tuis, ut non confundar.*	8. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis; ut non confundar.

ANNOTATIONES.

1. **P**Lasmaverunt. Idem Hebræus fere: Aptarunt, firmarunt, condiderunt me manus tuæ (poetice), tua potentia, sapientia, & bonitas. *Da mihi intellectum*. Sic Hebræus uno verbo: Fac me intelligere, fac intelligam. *Ut*. Idem Hebræus conjunctione, Et. *Discam*. Est futuri temporis in Hebræo.

2. *Qui timent*. Sic Hebræus participio: Timentes te, tui. *In verba tua*. Hebræus singulari, & dativo, de more linguæ: Verbo, promisso tuo. *Super speravi*. Idest, vehementer. Non aliter fere Hebræus: Exspectavi, Et corpore & animo; quod non fit sine spe.

3. *In*. Subaudiendum ex sermonis consequentia. Hebræus: Veritate; jure & merito. *Tua*. Ad declarationem additum. *Humiliasti*. Ut Nostri transferunt.

ferunt. Hebræus: Afflixisti, animo & corpore, vexasti.

4. *Fiat*. Hebræus deprecantis particulam addens futuro exprimit: Erit quæso. *Misericordia*. Sic Nostri transferunt. Hebræus: Pietas tua. *Ut consoletur*. Idem Hebræus gerundio: Ad consolandum me. *Eloquium*. Dictum, promissum.

5. *Meditatio mea*. Translatio sensus. Hebræus pluraliter: Oblectationes, deliciæ meæ. Ex legis meditatione studioque provenientes. *Est*. Subintellectum ex sermonis consequentia.

6. *Confundantur*. Hebræus futuro: Confundentur, pudefient. *Injusti*. Idem prope Hebræus: Mendaciter, falso. *Iniquitatem fecerunt in me*. Hebræus uno verbo: Obliquarunt me. A recto me conati sunt deflectere. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Exercebor*. Locutione, & meditatione. Hebræus simpliciter: Loquar. *Mandatis*. Hebræus: Depositis; ut supra. De tuis mandatis differam.

7. *Convertantur*. Hebræus futuro: Redibunt mihi. Ad me redeant, mihi concilientur, & adjungant se mihi, velim. *Qui noverunt*. Hebræus præsenti participio: Scientes, cognoscentes. *Testimonia*. Vel, Admonitionum tuarum.

8. *Fiat*. Sic Hebræus futuro: Erit, sit. *Immaculatum*. Hebræus idem: Integrum, perfectum, cui nihil desit. *Justificationibus*. Hebræus: Decretis; ut supra. *Confundar*. In Hebræo est futuri temporis.

Undecimus octonarius a כ incipiens.

כלתה לתשועתך נפשי לדברך יחלתי:	1. *Defecit saluti tuæ anima mea, verbo tuo exspectavi.*	1. Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi.
כלו עיני לאמרתך לאמר מתי תנחמני:	2. *Defecerunt oculi mei dicto tuo, dicendo, quando consolaberis me?*	2. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?
כי הייתי כנאד בקיטור חקיך לא שכחתי:	3. *Quia fui sicut uter in fumo, decreta tua non sum oblitus.*	3. Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.
כמה ימי עבדך מתי תעשה ברדפי משפט:	4. *Quot dies servi tui? quando facies in persequentibus me judicium?*	4. Quot *sunt* dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?
כרו לי זדים שיחות אשר לא כתורתך:	5. *Excavarunt mihi superbi foveas, quæ non* sunt *ut lex tua.*	5. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.
כל מצותיך אמונה שקר רדפוני עזרני:	6. *Omnia mandata tua veritas; mandaciter persequuti sunt me, adjuva me.*	6. Omnia mandata tua veritas, iniqui persecuti sunt me, adjuva me.
כמעט כלוני בארץ ואני לא עזבתי פקודיך:	7. *Paulo minus consummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui deposita tua.*	7. Paulo minus consummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

כחסדך חיני ואשמרה עדות פיך׃

8. *Secundum pietatem tuam vivifica me, & custodiam admonitionem oris tui.*

8. Secundum misericordiam tuam vivifica me, & custodiam testimonia oris tui.

ANNOTATIONES.

1. IN *salutare tuum*. Sic transferunt Nostri. Hebræus dativo: Saluti tuæ, auxilio tuo. Animam deficere saluti alicujus, Idiotismus pulcherrimus, pro Languere, deperire salutem; defensionem, auxilium ejus ardentissime concupiscere. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *In verbum tuum*. Hebræus dativo, suo loquendi tropo: Verbo tuo, promisso tuo. *Supersperavi*. Hebræus: Exspectavi; ut in superiori Octonario vers. 2. Ibi vide.

2. *In eloquium tuum*. Hebræus dativo: Dicto, promisso tuo. Oculos deficere dicto alicujus, Idiotismus, ut in superiori versiculo, pro Languere, & pene consumi præ desiderio & exspectatione promissi. *Dicentes*. Hebræus gerundio: Dicendo. Nostri ad oculos referunt poetice, Hebræus ad auctorem: Dicens, dum dico, quando tandem me consolaberis?

3. *Factus sum*. Idem Hebræus: Fui sicut uter; vas coriaceum. *In pruina*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum; & fortasse legerunt non admodum difficili vocis transitu בִּקְרָה, in glacie, pruina; quod nunc Hebræis est בְּקִיטוֹר, in fumo, licet eadem sententia sit diversis metaphoris, nam pruina a perurendo dicitur, unde & utrem contrahit, & frigore constringit, fumus etiam urit, & in rugas contrahit. Sensus est, ipsum non oblivisci legis divinæ, quamvis totus areat, & contabescat, fractus calamitatibus & tentationibus. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

4. *Sunt*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Facies*. Græcus addit μοι. *De*. Hebræus suo loquendi modo: In persequentibus me. Facere judicium in aliquem, est Pœnam, supplicium de eo sumere. Verecunde petit, ut quam primum persecutores sui a Deo suppliciis afficiantur; quasi diceret apertius, nonne brevi moriturus sum? Cur igitur antequam moriar, non me vindicas, ut tua judicia justa videam? Visne totum id post mortem meam reservare? Genebrardus alium affert sensum. Quamdiu victurus sum, ait, in his malis & crucibus? Sed prior expositio purior, & simplicior.

5. *Narraverunt*. Translatio sensus. Hebræus metaphora satis eleganti: Foderunt; excavarunt. *Iniqui*. Hebræus: Superbi. Non magni ponderis varietas. *Fabulationes*. Arbitror, Nostros scin dextro in sinistrum mutato legisse שִׂיחוֹת, Verba, loquelas, quas fabulationes, vel fabulas appellant, utpote Dei legi contrarias: & ob id mutaverunt excavandi verbum, ut metaphoram explanarent, nam excavare, fodere locutiones, est narrare fabulas. Nunc Hebræi persistunt in metaphora, legentes שִׁיחוֹת, Foveas excavarunt, vel proprie, ut in illas caderem, vel metaphorice cum Nostris, fabulas narrando legi tuæ contrarias. *Sed non*. Hebræus idem fere: Quæ non (supple, sunt) ut lex tua, quæ præcipit, offendiculum ante neminem poni debere, vel quæ justa, utilia, & salubria tantum docet. Græcus addit Κύριε.

6. *Iniqui*. Hebræus: Mendacio, mendaciter, falso; quod nomen arbitror a Nostris acceptum fuisse pro concreto, ut ajunt, mendacium, idest Viri mendaces, falsi, iniqui. Nisi malles men-

mendum inesse in latinis codicibus, & legendum esse inique, nempe sine caussa, injuria, & immerito. Græcus siquidem habet ἀδίκως, inique.

7. *Paulo minus*. Fere, pene. Sic Hebræus suo loquendi modo: Ut parum me consumpserunt, &c. *Mandata*. Hebræus: Deposita; ut supra.

8. *Misericordiam*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietatem; pro tua benignitate conserva me in vivis. *Testimonia*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis עֵדוֹת, quod nunc Hebræis est singulare עֵדוּת, Testimonium, vel admonitionem, obtestationem oris tui; ut supra.

Duodecimus octonarius a ל incipiens.

לעולם יהוה דברך נצב ב בשמים:	1. *Seculo DOMINE verbum tuum fixum est in cælis.*	1. In æternum DOMINE verbum tuum permanet in cælo.
לדר ודר אמונתך כוננת ארץ ותעמד:	2. *Ætati, & ætati veritas tua, aptasti terram, & stetit.*	2. In generatione & generationem veritas tua, fundasti terram, & permanet.
למשפטיך עמדו היום כי הכל עבדיך:	3. *Judiciis tuis steterunt hodie, quoniam omnia servi tui.*	3. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.
לולי תורתך שעשעי אז אבדתי בעניי:	4. *Nisi quod lex tua oblectationes meæ, tunc perii in afflictione mea.*	4. Nisi quod lex tua meditatio mea *est*, tunc *forte* periissem in humilitate mea.
לעולם לא אשכח פקודיך כי בם חייתני:	5. *Seculo non oblivisicar deposita tua, quia in ipsis vivificasti me.*	5. In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.
לך אני הושיעני כי פקודיך דרשתי:	6. *Tibi ego, salvum me fac, quoniam deposita tua quæsivi.*	6. Tuus *sum* ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.
לי קוו רשעים לאבדני ע עדתיך אתבונן:	7. *Mihi exspectaverunt injusti ad perdendum me, contestationes tuas intelligam.*	7. Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me, testimonia tua intellexi.
לכל תכלה ראיתי קץ רחבה מצותך מאד:	8. *Omni consummationi vidi finem, latum mandatum tuum valde.*	8. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

ANNOTATIONES.

1. In *æternum*. Sic Hebræus dativo, suo tropo: Seculo, æterno. *Permanet*. Non aliter Hebræus: Fixum, firmum est, constat. Ergo & cæli stabiles & firmi erunt in æternum. *In cælo*. Vox hebræa est pluralis numeri natura: In cælis.

2. *In generatione & generationem*. He-

Hebræus iterum dativo: Ætati & ætati; per singulas ætates, & generationes, veritas, firmitas, & stabilitas rerum tuarum est. *Fundasti*. Sic Hebræus: Aptasti, firmasti, in sua collocasti basi. *Permanet*. Hebræus præterito: Et stetit; durat.

3. *Ordinatione tua*. Quasi Nostri legerint singulariter לְמִשְׁפָּטְךָ, judicio tuo, ut judicas, decernis, secundum ordinationem tuam; quod nunc Hebræis est pluralis numeri לְמִשְׁפָּטֶיךָ, Judiciis tuis; ut statuisti. *Perseverat*. Etiam hic detracto Vav legerunt singulariter עָמַד, Stetit, quod ipsi præsenti proferunt eleganter. Nisi malles, eos mutasse numerum, ut sequenti nomini concordarent. Nunc Hebræis est plurale עָמְדוּ, steterunt, perseverarunt. Supple, cælum & terra. *Dies*. Nostris, est nominandi casus numeri singularis, quod distributive poni crediderunt, ut sæpius fit in hac lingua; idest dierum quilibet, dies singuli tuo decreto persistunt. Hebræi adverbialiter exponunt. Hodie, usque ad hunc diem, hactenus steterunt; cælum & terra scilicet. *Serviunt tibi*. Arbitror, etiam hic Nostros, mutato Jod in Vav, legisse עָבְדוּךָ, Servierunt tibi, quod ipsi præsenti proferunt, ut supra. Nunc Hebræis nomen est עֲבָדֶיךָ, servi tui, sunt omnia. Nullius fere ponderis varietates.

4. *Meditatio mea*. Translatio sensus. Hebræus pluraliter: Oblectationes, deliciæ meæ. Supple, est. Meditatione delectatio fit. *Forte*. Ad exaggerationem additum. *Periissem*. Hebræus idem præterito: Perii. *Humilitate*. Hebræus: Afflictione, tam animi, quam corporis. Perturbatione, inopia, miseria. Sane vehementer affligeretur homo, considerans cælorum & terræ durationem, & vitæ suæ brevitatem, nisi legis cognitione manifesta fieret ei animorum immortalitas.

5. *In æternum*. Hebræus dativo, suo tropo: Seculo; æterno. *Justificationes tuas*. Hebræus: Deposita tua; ut supra. *Quia in ipsis*. Per ipsa mihi vitam conservasti.

6. *Tuus*. Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Tibi ego. Supple, sum. *Justificationes tuas*. Hebræus ut supra: Deposita tua quæsivi.

7. *Me*. Idem Hebræus dativo, suo tropo: Mihi exspectarunt, observantes, ut perderent. *Peccatores*. Nostri sic transferunt. Hebræus: Injusti. *Ut perderent*. Idem Hebræus gerundio: Ad perdendum. *Testimonia tua*. Vel obtestationes, admonitiones tuas; ut supra. *Intellexi*. Hebræus futuro: Intelligam.

8. *Omnis consummationis*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi tropo: Omni consummationi. Rei quantumlibet consummatæ & perfectæ vidi finem. Hebraismus. Idest, omnia in mundo tandem deficiunt, & finiuntur, licet etiam absoluta, exceptis mandatis Domini. Vox hebræa potest etiam Desiderium significare, idiotismo radicis illo, de quo supra in Octonario undecimo Vers. 1, & 2. Ibi vide, & consule Thesaurum. Erit autem alter Idiotismus priori non inferior elegantia, Videre finem omni desiderio, pro Nullam rem esse tam cupitam, & expetibilem, quam assequi non possis aliquando: sed mandatorum Dei plenam intelligentiam nullus in hoc mundo valet percipere. Et hic sensus quidem videtur esse purior, & simplicior, ut Consummationem, animi defectum, hoc est desiderium, exponas. Locum accuratius expendas velim. *Nimis*. Valde, vehementer latum est, infinitum, fine carens, quod a nullis plene percipitur.

Tertius

Tertiusdecimus octonarius a מ incipiens.

מה אהבתי הורתך כל היום היא שיחתי :	1. *Quàm dilexi legem tuam? tota die ipsa* est *locutio mea*.	1. Quomodo dilexi legem tuam *Domine?* tota die meditatio mea est.
מאיבי תחכמני מצותיך כי לעולם היא לי :	2. *Ab inimicis meis sapientem facies me mandatis tuis, quia seculo ipsa* est *mihi*.	2. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi *est*.
מכל מלמדי השכלתי כי עדותיך שיחה לי :	3. *Ab omnibus docentibus me intellexi, quia obtestationes tuæ locutio mihi* sunt.	3. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea *est*.
מזקנים אתבונן כי פקודיך נצרתי :	4. *A senibus intelligam, quia deposita tua servavi*.	4. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.
מכל ארח רע כלאתי רגלי למען אשמר דברך:	5. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verbum tuum*.	5. Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.
ממשפטיך לא סרתי כי א אתה הורתני :	6. *A judiciis tuis non recessi, quia tu docuisti me*.	6. A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.
מה נמלצו לחכי אמרתך מדבש לפי:	7. *Quam dulcia fuerunt palato meo dicta tua, melle ori meo*.	7. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.
מפקודיך אתבונן על כן שנאתי כל ארח שקר :	8. *A depositis tuis intelligam, propterea odivi omnem viam mendacii*.	8. A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis.

ANNOTATIONES.

1. Q*uomodo*. Admiranter. Idem fere Hebræus מָה, quantum. *Domine*. Ad declarationem additum. *Meditatio*, *&c*. Non longe aliter Hebræus: Ipsa locutio, commentatio mea. Supple, est.

2. *Super*, *&c*. Hebræa quidem verba hanc patiuntur interpretationem; nam comparativum, quo carent, circumscribunt Hebræi præpositione Mem, ut docuimus in Grammaticis rebus: Ab inimicis; idest, plusquam, magis quam. Hebræus locutionem simplicem retinet: Ab inimicis meis; Ex inimicis addisco; inimicorum occasione doctior fio. *Prudentem me fecisti*. Idem fere Hebræus; sed futuro: Sapientem facies me. *Mandato tuo*. Quasi legerint Nostri facillimo vocis transitu מִצְוָתְךָ, quod nunc Hebræis est plurale מִצְוֹתֶיךָ, mandatis tuis. Sed hoc parum vel nihil refert. *In æternum*. Hebræus dativo: Seculo, æterno. *Mihi*. Supple, est; mandatum scilicet juxta Nostros, vel lex tua, juxta Hebræum, qui suo loquendi tropo dicit: Ipsa mihi. Supple, est. Quam semper ante oculos propositam habeo. Nostrorum sensus patet, Catholicos videlicet esse doctiores Hæreti-

reticis, & hujusmodi, propter singularem spiritus Dei præsentiam.

3. *Super*, &c. Ut superiore versiculo. Ideft, plusquam doctores meos, &c. Hebræus simpliciter: Ab omnibus docentibus me. Nullum recuso doctorem: discendi constitutiones tuas tantus est ardor. *Testimonia tua*. Vel, Admonitiones tuas; ut supra. *Meditatio*. Hebræus: Locutio, ut supra vers. 1. *Mea est*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Mihi. Supple, sunt.

4. *Super*. Magis quam senes. Ut supra vers. 2. Hebræus simpliciter: A senibus. Seniores imitandos mihi propono. *Intellexi*. Hebræus futuro: Intelligam, prudentem me reddam. *Mandata*. Hebræus: Deposita; ut supra. *Quæsivi*. Ut servarem. Hebræus simpliciter: Custodivi.

5. Prohibere pedes a via mala, est idiotismus satis notus. *Custodiam*. Est futuri temporis in Hebræo. *Verba tua*. Vel singulariter, Verbum tuum; nam vox hebræa est amphibola.

6. *Declinavi*. Idem fere Hebræus: Recessi. *Legem posuisti mihi*. Hebræus unico verbo: Docuisti me. Vide supra in quinto Octonario vers. 1.

7. *Dulcia*. In Hebræo est verbum temporis præteriti: Dulcuerunt, dulcia fuerunt. *Faucibus meis*. Hebræus singulariter: Palato meo. *Eloquia*. Dicta, promissa tua. *Super mel*. Sic Hebræus suo loquendi modo: A melle, præ melle, plus quam mel.

8. *Mandatis*. Hebræus: Depositis; ut supra. *Intellexi*. Hebræus futuro: Intelligam, intelligens & prudens mandatorum tuorum meditatione & scientia fiam. *Iniquitatis*. Non longe aliter Hebræus: Mendacii, falsitatis.

Quartusdecimus octonarius a נ incipiens.

נר לרגלי דברך ואור ל לנתיבתי :	1. *Lucerna pedi meo verba tua, & lumen semitæ meæ.*	1. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.
נשבעתי ואקימה לשמר ם משפטי צדקך :	2. *Juravi, & statuam, ad custodiendum judicia justitiæ tuæ.*	2. Juravi, & statui, custodire judicia justitiæ tuæ.
נעניתי עד מאד יהוה חיני בדברך :	3. *Afflictus sum usque valde, DOMINE vivifica me secundum verbum tuum.*	3. Humiliatus sum usquequaque DOMINE, vivifica me secundum verbum tuum.
נדבות פי רצה נא יהוה · ומשפטיך למדני :	4. *Voluntaria oris mei velis quæso DOMINE, & judicia tua doce me.*	4. Voluntaria oris mei beneplacita fac DOMINE, & judicia tua doce me.
נפשי בכפי תמיד ותורתך לא שכחתי :	5. *Anima mea in vola mea semper, & legem tuam non sum oblitus.*	5. Anima in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.
נתנו רשעים פח לי ומפקודיך לא תעיתי :	6. *Dederunt injusti laqueum mihi, & a depositis tuis non erravi.*	6. Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi.
נחלתי עדותיך לעולם כי ששון לבי המה :	7. *Hereditavi contestationes tuas seculo, quia exsultatio cordis mei ipsæ.*	7. Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt.

8. In-

כמיתי לבי לעשות חקיך לעולם עקב׃

8. *Inclinavi cor meum ad faciendum decreta tua ſeculo calci.*

8. Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.

ANNOTATIONES.

1. PEdibus meis, &c. Noſtri punctis immutatis legerunt לְרַגְלַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare לְרַגְלִי, Pedi meo. Et e contrario videntur legiſſe ſingulariter דְּבָרְךָ, Verbum tuum, quod nunc Hebræis eſt plurale דְּבָרֶיךָ, verba tua; & pluraliter לִנְתִיבוֹתַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare לִנְתִיבָתִי, Semitæ meæ. Verum hæ nullius ponderis varietates ſunt. Verbum Dei eſſe lucernam pedibus, & lucem, lumen ſemitis alicujus, eſt idiotiſmus, pro, Fidei & vitæ eſſe regulam demonſtrantem viam in tenebris mundi ad vitam æternam.

2. *Juravi*. Votis, tam ſolemnibus ſacramentorum, quam privatis. *Statui*. Vox hebræa eſt amphibola, tam præſentis, quam futuri temporis. Statuam, firmabo, ratum faciam. *Cuſtodire*. Sic Hebræus gerundio: Ad cuſtodiendum.

3. *Humiliatus ſum*. Hebræus: Afflictus ſum. Quod tam de corpore, quam de animo dicitur, ut ſæpius vidimus. *Uſquequaque*. Uſque valde, vehementiſſime.

4. *Voluntaria oris*. Vel Laudes ultroneas, hymnos; vel etiam ſacrificia pacifica & votiva, quæ pro gratiarum actione faciebat, non ex præcepto Legis, intellige. *Beneplacita fac*. Idem Hebræus addens particulam blandientis, & deprecantis: Velis quæſo; grata habe.

5. *In manibus meis*. Quaſi legerint בְּכַפַּי Noſtri, In volis meis; quod nunc Hebræis eſt ſingulare בְּכַפִּי, In palma, vola mea. Animam eſſe in vola, idiotiſmus eſt pulcherrimus; id-eſt, in manifeſtis periculis (quod in manu poſita externæ direptioni ſint obnoxia) quotidie periclitari, & quaſi in manibus ſanguinem portare proprium, ut eleganter ait D. Hieronymus. Conſule Theſaurum. *Et legem, &c.* Hoc eſt. Et tamen legem, &c. Sic etiam in verſiculo ſequenti.

6. *Poſuerunt*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Dederunt. *Peccatores*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Injuſti. Dare laqueum alicui, ideſt ponere; inſidias tendere. *Mandatis*. Hebræus: Depoſitis; ut ſupra.

7. *Hereditate acquiſivi*. Hebræus unico verbo: Hereditavi. Sic etiam Græcus, ἐκληρονόμησα. *Teſtimonia tua*. Vel conteſtationes, admonitiones tuas. *In æternum*. Hebræus dativo, ſuo tropo: Seculo, æterno. *Exſultatio*. Gaudium, & lætitia. *Sunt*. Sic Hebræus pronomine: Ipſæ. Supple, ſunt.

8. *Ad faciendas*. Hebræus idem: Ad faciendum. *Juſtificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut ſupra. *In æternum*. Hebræus dativo: Seculo, æterno. *Propter retributionem*. Sic Hebræus idiotiſmo proprio: Calci, vel (ad) calcem, propter calcem. Vide ſuperius in quinti Octonarii Verſiculo primo, & conſule Theſaurum. Inclinare cor, eſt idiotiſmus ſatis notus.

Quintus

Quintusdecimus octonarius a ס incipiens.

סעפים שנאתי ותורתך אהבתי :	1. *Dubios odivi, & legem tuam dilexi.*	1. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.
סתרי ומגני אתה לדברך יחלתי :	2. *Latibulum meum, & scutum meum tu, verbo tuo exspectavi.*	2. Adjutor, & susceptor meus *es* tu, & in verbum tuum supersperavi.
סורו ממני מרעים ואצרה מצות אלהי :	3. *Recedite a me maligni, & custodiam mandata Dei mei.*	3. Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.
סמכני כאמרתך ואחיה ואל תבישני משברי :	4. *Fulci me secundum dictum tuum, & vivam, & ne confundes me a spe mea.*	4. Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab exspectatione mea.
סעדני ואושעה ואשעה בחקיך תמיד :	5. *Sustenta me, & salvus ero, & aspiciam in decreta tua semper.*	5. Adjuva me, & salvus ero, & meditabor in justificationibus tuis semper.
סלית כל שוגים מחקיך כי שקר תרמיתם :	6. *Conculcasti omnes errantes a decretis tuis, quia mendacium* est *dolus eorum.*	6. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.
סיגים השבת כל רשעי ארץ לכן אהבתי עדתיך :	7. *Scorias cessare fecisti, omnes injustos terræ, ideo dilexi admonitiones tuas.*	7. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.
סמר מפחדך בשרי וממשפטיך יראתי :	8. *Horruit a timore tuo caro mea, & a judiciis tuis timui.*	8. Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.

ANNOTATIONES.

1. *Iniquos*. Vox hebræa dubios in fide significat, inconstantes, qui modo credunt, modo non; quos iniquos non incommode Nostri dicunt. Consule Thesaurum. *Odio habui*. Odi.

2. *Adjutor, & susceptor*. Translatio sensus. Qui adjuvat, & adjuvandum suscipit. Hebræus eleganti metaphora poetice dicit: Latebra mea, & scutum meum tu. *Es*. Ex sermonis consequentia subintelligitur. *In verbum tuum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Verbo tuo. *Super*. Vehementer speravi. Hebræus idem fere: Exspectavi, & animo, & corpore.

3. *Declinate*. Sic Hebræus: Recedite. *Scrutabor*. Ut servem scilicet. Hebræus simpliciter: Custodiam.

4. *Suscipe*. Adjuvandum, & confirmandum. Hebræus: Sustenta, fulci me secundum eloquium, dictum, promissum tuum, & vivam, etiam spirituali vita. *Non confundas*. Hebræus futuro, deprecanter: Ne confundes, ne confundi sinas. *Exspectatione*. Animi scilicet: A spe mea.

5. *Adju-*

5. ***Adjuva***. Non longe aliter Hebræus: Fulci me, ut ferver. *Meditabor*. Translatio ſenſus. Hebræus: Aſpiciam, oculis & mente; contemplabor. *In juſtificationibus tuis*. Hebræus: In decretis tuis; ut ſupra.

6. ***Sprevisti***. Hebræus: Conculcaſti. Non magni ponderis varietas. *Diſcedentes*. Noſtri videntur legiſſe שׂוֹגִים cum ſiniſtro Scin, quaſi סוֹגִים, Recedentes, diſcedentes; quod nunc Hebræis eſt cum Scin dextro שׁוֹגִים, Errantes. Idem tamen fere ſenſus eſt. *Judiciis*. Hebræus: Decretis; ut ſupra. *Injuſta*. Hebræus idem fere, ſubſtantivo nomine: Mendacium; ideſt, mendax, fallax. *Cogitatio*. Translatio ſenſus. Hebræus: Dolus, calliditas eorum. Supple, eſt.

7. ***Prævaricantes***. Arbitror, Noſtros, mutato jod in vav, legiſſe סוֹגִים, Recedentes, quos prævaricantes non incommode vocant. Nunc Hebræus legit סִיגִים, Scorias, eodem fere ſenſu. *Reputavi*. Suſpicor, etiam hic Noſtros facillimo tranſitu He in Heth, additoque iod, legiſſe חָשַׁבְתִּי, cogitavi, reputavi; quod nunc Hebræis eſt הִשְׁבַּתָּ, ceſſare feciſti, ſuſtuliſti. *Peccatores*. Appoſitive. Transferunt autem ſic Noſtri vocem hebraicam רִשְׁעֵי, Injuſtos; ut ſæpius vidimus. Suſtuliſti ſcorias; Injuſtos videlicet, quorum interitus nihil æſtimari debet, quod eorum vita ſit Reipublicæ noxia. *Teſtimonia tua*. Vel, Admonitiones tuas; ut ſupra.

8. ***Confige***. Noſtri, punctis immutatis, legerunt in imperativo סַמֵּר, quod verbum a מַסְמְרִים (ideſt Clavis) deduxerunt; quaſi, Clavis transfige, perfora, & penetra. Hebræus e contrario nomen a verbo derivat, & legit in præterito סָמַר, Horruit, a quo verbo fluxit ad Italos, ſmarrire. Hinc מַסְמְרִים, Clavi, quod horrore quodam figantur. Conſule Theſaurum. Uterque ſenſus non longe diſtat inter ſe. *Timore*. Hebræus addit præpoſitionem, A, de; præ. *Carnes meas*. Hebræis eſt nominativus numeri ſingularis: Caro mea. *Enim*. Hebræus conjunctione, Et. Caro horret, & timeo propter judicia, & pœnas, quas de ſcoriis, & injuſtis hominibus te ſumpturum eſſe video.

Sextusdecimus octonarius ab ע incipiens.

עשיתי משפט וצדק בל תניחני לעשקי:	1. *Feci judicium, & juſtitiam, ne relinquas me fraudantibus me.*	1. Feci judicium, & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me.
ערב עבדך לטוב אל יעשקני זדים:	2. *Fide jube ſervum tuum bono: ne opprimant me ſuperbi.*	2. Suſcipe ſervum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi.
עיני כלו לישועתך ולאמרת צדקך:	3. *Oculi mei defecerunt ſaluti tuæ, & dicto juſtitiæ tuæ.*	3. Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium juſtitiæ tuæ.
עשה עם עבדך כחסדך וחקיך למדני:	4. *Fac cum ſervo tuo ſecundum pietatem tuam, & decreta tua doce me.*	4. Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & juſtificationes tuas doce me.
עבדך אני הבינני ואדעה עדתיך:	5. *Servus tuus ego, fac me intelligere, et ſciam conteſtationes tuas.*	5. Servus tuus *ſum* ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

S

6. Tem-

עת לעשות ליהוה הפרו תורתך׃	6. *Tempus ad faciendum DOMINO, dissipaverunt legem tuam.*	6. Tempus faciendi DOMINE, dissipaverunt legem tuam.
על כן אהבתי מצותיך מזהב ומפז׃	7. *Ideo dilexi mandata tua ab auro, et ab obrizo.*	7. Ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazion.
על כן כל פקודי כל ישרתי כל ארח שקר שנאתי׃	8. *Propterea omnia deposita omnis direxi, omnem viam mendacii odi.*	8. Propterea *ad* omnia mandata *tua* dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.

ANNOTATIONES.

1. Non tradas. Non longe aliter Hebræus, sed futuro: Ne derelinques me. *Calumniantibus*. Hebræus: Defraudantibus; vi, vel fraude opprimentibus; ne me eorum libidini permittas.

2. *Suscipe*. Adjuvandum scilicet. Non longe aliter Hebræus: Fide jube, vel dulcesce; nam plura significat verbum hoc, ut in Thesauro. *In bonum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Bono. Fide jubere aliquem bono, est idiotismus ornatus, pro Spondere pro eo, quod dignus sit ad suscipiendum bonum. Consule Thesaurum. Alius idiotismus, idest, Dulcescere cum bono, satis notus est; nimirum significat, Facere ut dulciter omnia bona impetret, & obtineat. *Non calumnientur*. Hebræus futuro: Ne defraudabunt, vi vel fraude opprimerent; Est enim idem verbum, ac illud, quod vidimus in superiori versiculo.

3. *In salutare tuum*. Ut Nostri transferunt. Hebræus dativo, suo loquendi tropo: Saluti tuæ, auxilio tuo. *In eloquium*. Hebræus iterum dativo: Dicto. Oculos deficere saluti, & dicto alicujus, est idiotismus; pro Ardenter concupiscere salutem, auxilium, mandata, & promissiones. Vide supra versiculum secundum undecimi Octonarii.

4. *Misericordiam*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Pietatem, benignitatem, officia. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

5. *Sum*. Ex sermonis consequentia subintelligitur. *Da mihi intellectum*. Hebræus uno verbo: Fac me intelligere. *Ut*. Hebræus conjunctione, Et. *Sciam*. Futuri temporis in Hebræo. *Testimonia tua*. Hebræus: Contestationes, admonitiones tuas; ut supra.

6. *Faciendi*. Hebræus idem gerundio: Ad faciendum. *Domine*. Quasi legerint Nostri יהוה, quod nunc Hebræis est cum lamed dativi casus. Vel idiotismum explicarunt; nam hebræa verba possunt duplicem habere sensum. Nimirum, Tempus est ad faciendum Domino, duplex idiotismus esse potest: idest, vel, Ad Deum nunc spectat facere; vel, ad aliquem nunc spectat facere Deo. Tempus (supple, est), tempestivum est Domino (idest tibi; nam loquitur ad Deum in tertia persona satis eleganter: quod Nostri resolventes dixerunt, Domine) ad faciendum, hoc quod dixi; nempe ut facias me intelligere, vel, ut facias vindictam, nam lex tua dissipatur. Vel tempus est ad faciendum Domino; idest faciendi voluntatem Dei, & operandi bona. Primus sensus purior, & simplicior est. Dissipare legem, est, Non servare.

7. *Super aurum*, *&c.* Idem Hebræus suo loquendi modo: Ab auro, præ auro. *Topazion*. Suspicor, Lxxij hebraicum nomen פז retinuisse (ne bis repeterent aurum) sic, καὶ τὸ πάζ, dein vero longitudine temporis, & scriptorum vitio, factum esse τοπάζιον, quod gem-

gemmam viridis coloris ſignificat. Hebræus: Et ab, præ obrizo. Dicitur vero aurum pluribus nominibus, ut in Theſauro. Ibi vide. Præſens autem nomen a ſoliditate ſumit, quaſi puriſſimum aurum diceres.

8. *Ad*. Non habetur in hebræo, ſed a Noſtris additum fuit ob interpretationem verbi mutatam. *Mandata*. Hebræus: Depoſita; ut ſupra. *Tua*. Suſpicor, Noſtros retracto Caph, rejectoque lamed ſubſequentis dictionis כָּל, legiſſe פִּקוּדֶיךָ, quod nunc Hebræis eſt פִּקּוּדֵי כֹל, Mandata omnis, rei ſcilicet, ſeu omnium rerum, quas præcepiſti. *Dirigebar*. Videntur etiam hic Noſtri, punctis immutatis, legiſſe in Cal יָשַׁרְתִּי. Directus fui, dirigebar; quod nunc Hebræis eſt Pihel יִשָּׁרְתִּי, Direxi, rectificavi, ideſt, defendi, ut recta ac juſta; vel Recte cuſtodivi. *Iniquam*. Non longe aliter Hebræus ſubſtantivo nomine: Mendacii; mendacem videlicet, fallacem, doloſam odi.

Decimus ſeptimus octonarius a פ incipiens.

פלאות עדותיך על כן נ נצרתם נפשי:	1. *Mirabiles admonitiones tuæ, ideo ſervavit eas anima mea.*	1. Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea.
פתח דבריך יאיר מבין פ פתיים:	2. *Apertio verborum tuorum illuminabit, intelligere faciens ſimplices.*	2. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.
פי פערתי ואשאפה כי ל למצותיך יאבתי:	3. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandatis tuis inhiavi.*	3. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.
פנה אלי וחנני כמשפט לאהבי שמך:	4. *Aſpice ad me, & miſerere mei ſecundum judicium diligentibus nominis tui.*	4. Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum judicium diligentium nomen tuum.
פעמי הכן באמרתך ואל תשלט בי כל און:	5. *Greſſus meos apta in dictum tuum, & ne dominari facies in me omnem iniquitatem.*	5. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injuſtitia.
פדני מעשק אדם ואשמרה פקודיך:	6. *Redime me a fraude hominis, & cuſtodiam depoſita tua.*	6. Redime me a calumniis hominum, ut cuſtodiam mandata tua.
פניך האר בעבדך ולמדני את חקיך:	7. *Facies tuas lucere fac in ſervum tuum, & doce me decreta tua.*	7. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.
פלגי מים ירדו עיני על לא שמרו תורתך:	8. *Rivis aquarum deſcenderunt oculi mei ſuper non cuſtodierunt legem tuam.*	8. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

ANNOTATIONES.

1. T*estimonia tua*. Vel, Admonitiones, contestationes tuæ (supple, sunt) mirabiles; ut supra. *Scrutata est*. Ad perficiendum scilicet. Hebræus simpliciter: Custodivit eas anima mea. Ego eas servavi.

2. *Declaratio*. Sic Hebræus poetice: Apertio; idest, patefactio, explicatio; vel ostium, idest principium, prima rudimenta, literæ cortex, ad penetralia, & intima mysteria deducens. *Sermonum*. Idem Hebræus: Verborum. *Illuminat*. Hebræus futuro: Illuminabit, lucem afferet. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Intellectum dat*. Sic Hebræus participio: Intelligere faciens. *Parvulis*. Non corpore, sed ingenio. Hebræus: Simplices; idiotas, nedum doctos & literatos.

3. Aperire os, & attrahere spiritum, idest aerem, desiderantis, anhelantis, & cupide arripientis gestum, ut famelici, designat eleganter, quod fere sint hiante ore, qui aliquid exspectant. *Mandata tua*. Hebræus dativo, suo loquendi tropo: Mandatis tuis. *Desiderabam*. Sic Hebræus præterito: Desideravi, inhiavi.

4. *In*. Hebræus: Ad me. *Secundum judicium*. Morem, consuetudinem. *Diligentium, &c.* Hebræus dativo: Diligentibus nominis tui. Ut soles eorum, qui amantes sunt nominis tui.

5. *Dirige*. Hebræus idem fere: Apta, para, firma. *Secundum eloquium*. Nostri facillimo transitu Beth in Caph legerunt כְּאִמְרָתֶךָ, secundum dictum, promissum tuum; quod nunc Hebræis est בְּאִמְרָתֶךָ, in dictum, eloquium tuum; in mandatis tuis. Aptare gressus in dictis, idiotismus; idest, facere, ut sectetur, & observet ea jugiter. *Dominetur*. Nostri punctis immutatis legerunt in Cal תִּשְׁלֹט, Dominabitur; quod nunc Hebræis est futurum תַּשְׁלֶט, Ne dominari facies, ne permittas regnare. *Mei*. Hebræus suo loquendi modo: In me. *Injustitia*. Idem fere Hebræus: Iniquitatem, impietatem. Nullam iniquitatem super me regnare permittas.

6. *Redime*. Libera, vindica. *A calumniis*. Hebræus singulariter: A fraude, ab injuria, oppressione per vim, vel fraudem facta. *Hominum*. Sic Hebræus collective: Adam, hominis. *Ut*. Hebræus habet conjunctionem, Et. *Custodiam*. Est futuri temporis in Hebræo. *Mandata*. Hebræus: Deposita; ut supra.

7. *Faciem tuam*. Vox hebræa est pluralis numeri natura: Facies tuas illumina, lucere fac. *Super*. Hebræus suo tropo: In servum tuum. Lucere facere vultum in aliquem, Idiotismus; idest, favorem, & serenitatem vultus ostendere; quod facies tetrica odii, & iræ signum sit, serena & lucida favoris, ac benevolentiæ. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

8. *Exitus*. Idem Hebræus fere: Rivis aquarum; ut rivos; in rivulos. *Deduxerunt*. A Græco κατεβίβασαν, quamvis in nonnullis exemplaribus legatur κατέβησαν, ut Hebræo concordet, qui Descenderunt, habet. Oculos descendere rivis, vel in, ut rivos aquarum, Idiotismus, pro Copiosissimam lacrimarum vim profundere, ita ut oculos in fluvios versos, & quodammodo cum lacrimis fluere, possis asserere. *Quia*. Hebræus idem fere suo loquendi modo: Super, caussa, propterea quod non custodierunt (mortales videlicet) legem tuam; quia lex tua non custoditur. Horum ego peccatum hoc jugiter defleo. Quidam Custodiendi verbum ad oculos referunt: Quia peccaverunt oculi concupiscentia, per oculos copiose lacrimando satisfacio. Verum prior interpretatio purior, & fidelior.

Deci-

Decimus octavus octonarius a צ incipiens.

צדיק אתה יהוה וישר מ משפטיך :	1. *Juſtus tu DOMINE, & rectus judiciis tuis.*	1. Juſtus es DOMINE, & rectum judicium tuum.
צוית צדק עדתיך ואמונה מאד :	2. *Mandaſti juſtitiam conteſtationes tuas, & veritatem valde.*	2. Mandaſti juſtitiam teſtimonia tua, & veritatem *tuam* nimis.
צמתתני קנאתי כי שכחו דבריך צרי :	3. *Excidit me zelus meus, quia obliti ſunt verba tua tribulantes mei.*	3. Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.
צרופה אמרתך מאד ועבדך אהבה :	4. *Igne examinatum dictum tuum valde, & ſervus tuus dilexit illud.*	4. Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud.
צעיר אנכי ונבזה פקודיך לא שכחתי :	5. *Parvus ego, & contemptus, depoſita tua non ſum oblitus.*	5. Adoleſcentulus *ſum* ego, & contemptus, juſtificationes tuas non ſum oblitus.
צדקתך צדק לעולם ותורתך אמת :	6. *Juſtitia tua, juſtitia ſeculo, & lex tua veritas.*	6. Juſtitia tua juſtitia in æternum, & lex tua veritas.
צר ומצוק מצאוני מצותיך שעשעי :	7. *Tribulatio & anguſtia invenerunt me, mandata tua oblectationes meæ* ſunt.	7. Tribulatio & anguſtia invenerunt me, mandata tua meditatio mea *eſt*.
צדק עדותיך לעולם הבינני ואחיה :	8. *Æquitas obteſtationes tuæ ſeculo, fac me intelligere, & vivam.*	8. Æquitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi, & vivam.

ANNOTATIONES.

1. **E***S*. Idem Hebræus pronomine, quo ſubſtantivi verbi defectum ſupplet, ut in Grammaticis rebus dictum eſt. *Rectum judicium tuum*. Noſtri ſic interpretantur, quod fortaſſe legerint מִשְׁפָּטְךָ ſingulariter, quod nunc Hebræis eſt plurale מִשְׁפָּטֶיךָ, qui proinde exponunt: Et rectus judiciis tuis. Juſtus & rectus eſſentialiter & efficienter eſt Dominus, dum judicando, nos juſtificat.

2. *Teſtimonia tua*. Vel conteſtationes, admonitiones tuas; ut ſupra. *Tuam*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Nimis*. Valde, vehementer. Mandare teſtimonia juſtitiam, & veritatem, idiotiſmus: ideſt, juſtas & veras obteſtationes præcipere, ſancire mandata juſtiſſima, & veriſſima. Quidam idiotiſmum mitiorem reddunt, vertentes genitivo, Juſtitiam teſtimoniorum tuorum, & veritatem. Poſſes etiam altero idiotiſmo non minus ornato vertere: Mandaſti juſtitiam admonitionibus hiſce tuis, & veritatem; licet eodem recidat. Interpretatio Genebrardi puritati literæ non conſonat: Præcepiſti juſtitiam, & teſtimonia, & veritatem; ut ſynonymorum congeries ſit, legem Dei ſignificantium.

3. *Ta-*

3. *Tabescere me fecit*. Translatio sensus. Hebræus poetice: Succidit, excidit me zelus meus. Zelo, & indignatione conficior. Græcus habet, Tuus. *Inimici*. Idem fere Hebræus: Tribulantes, affligentes me.

4. *Ignitum*. Igne probatum, examinatum, & excoctum, idest purissimum. Verbum aurificum, pro quo vide Thesaurum. *Eloquium*. Dictum, promissum. *Vehementer*. Valde.

5. *Adolescentulus*. Idem Hebræus: Parvus; & corpore, & ætate. *Sum*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Contemptus*. Abjectus. *Justificationes tuas*. Hebræus: Deposita tua (Supple, tamen) non obliviscor.

6. *In æternum*. Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. Justitia tua est justitia nunquam interitura; & lex tua veritas; vera, vel firma, constans & permanens.

7. Tribulationem & angustiam invenire aliquem, idiotismus satis notus & frequens; idest, evenire; ne calamitates fortuito obtingere crederes. *Meditatio mea*. Translatio sensus. Hebræus pluraliter: Oblectationes, deliciæ meæ. Ex meditatione delectatio nascitur.

8. *Testimonia tua*. Vel, Obtestationes, admonitiones tuæ sunt æquissimæ. Posses etiam interpretari: Æquitas testimoniorum tuorum est in æternum; vel æquitatem testimoniorum tuorum fac me intelligere; quæ omnia eumdem fere sensum habent. *In æternum*. Sic Hebræus dativo: Seculo, æterno. *Intellectum da mihi*. Hebræus uno verbo: Fac me intelligere, & vivam, spiritali nempe vita.

Decimus nonus octonarius a ק incipiens.

קראתי בכל לב ענני יהוה חקיך אצרה:	1. *Clamavi in toto corde, responde mihi DOMINE, decreta tua custodiam.*	1. Clamavi in toto corde *meo*, exaudi me DOMINE, justificationes tuas requiram.
קראתיך הושיעני ואשמרה עדתיך:	2. *Vocavi te, salvum me fac, & custodiam contestationes tuas.*	2. Clamavi *ad* te, salvum me fac, ut custodiam mandata tua.
קדמתי בנשף ואשועה ל לדבריך יחלתי:	3. *Prævéni in crepusculo, & clamavi, verbo tuo exspectavi.*	3. Prævéni in maturitate, & clamavi, quia in verba tua supersperavi.
קדמו עיני אשמרות לשיח באמרתך:	4. *Prævenerunt oculi mei vigilias, ad loquendum in dicto tuo.*	4. Prævenerunt oculi mei *ad te* diluculo, ut meditarer eloquia tua.
קולי שמעה כחסדך יהוה כמשפטך חייני:	5. *Vocem meam audi secundum pietatem tuam DOMINE, secundum judicia tua vivifica me.*	5. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam DOMINE, & secundum judicium tuum vivifica me.
קרבו רדפי זמה מתורתך רחקו:	6. *Appropinquaverunt persequentes sceleris, a lege tua longe facti sunt.*	6. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, a lege *autem* tua longe facti sunt.

7. Pro-

קרוב אתה יהוה וכל מצותיך אמת:	7. *Propinquus tu DOMINE, & omnia mandata tua veritas.*	7. Prope *es* tu DOMINE, & omnes viæ tuæ veritas.
קדם ידעתי מעדתיך כי לעולם יסדתם:	8. *Initio cognovi de admonitionibus tuis, quia seculo fundasti eas.*	8. Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.

ANNOTATIONES.

1. MEo. Ad declarationem additum. Clamare in toto corde, idiotismus notus. *Exaudi*. Hebræus: Responde. Quod exauditionis signum est. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra. *Requiram*. Ad perficiendum. Hebræus: Custodiam.

2. *Ad*. Non habetur in Hebræo, sed tantum, Vocavi te. Nulla varietas. *Ut*. Hebræus habet conjunctionem Et. *Custodiam*. In Hebræo est futuri temporis. *Mandata tua*. Hebræus: Testimonia tua, obtestationes, admonitiones tuas.

3. *In maturitate*. Mature, ante tempus. Idem prope Hebræus: In crepusculo, summo mane alios omnes anteverto. *In verba tua*. Hebræus dativo, de more linguæ, scriptura quidem plurali, sed lectione singulari dicit: Verbo tuo. *Supersperavi*. Vehementer speravi. Hebræus idem fere: Exspectavi, & corpore, & animo.

4. *Ad te*. Non habetur in Hebræo, sed a Nostris ad declarationem additum est. *Diluculo*. Hebræus: Vigilias. Oculos prævenire vigilias, idiotismus; id est, Totas noctes insomnes ducere. Minimi momenti varietas. *Ut meditarer*. Hebræus gerundio: Ad loquendum. Nullius fere ponderis varietas. *Eloquia tua*. Hebræus addens præpositionem, de more linguæ, singulariter habet: In dicto tuo; de tuis præceptis.

5. *Misericordiam*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietatem, benignitatem. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Secundum judicium tuum*. Scriptura quidam hebraica etiam nunc est numeri singularis; quapropter Nostri legerunt כְּמִשְׁפָּטְךָ, licet Hebræi pluraliter proferant כְּמִשְׁפָּטֶיךָ, secundum judicia tua, pro tuis moribus, ut soles, pro tua æquitate, & hujusmodi. Consule Thesaurum.

6. *Persequentes me*. Nostri punctis immutatis legerunt רֹדְפַי, & ob id sequentem vocem ad verbum referunt dicentes: Appropinquaverunt iniquitati. Nunc Hebræus legit syntactice רֹדְפֵי, Persequentes sceleris, qui scelus & flagitia quæque sequuntur, appropinquarunt. Quæ verba nonnulli cum superioribus connectunt sic: Ausculta vocem meam Domine, & in vita conserva me; nam flagitiosi & scelesti homines appropinquant (supple, ne mihi noceant). Alii verbum ex significatione affinitatis deducunt eleganter, quasi diceret, Hujusmodi homines flagitiosissimos inter se junxisse fœdera, licet hæc unio parum firma & solida sit, juxta illud; *Non est pax impiis, dicit Dominus*, & hinc esse ajunt, quod statim subdit: A lege tua longe facti sunt. Verum hæc alibi fusius. Neutrum sensum respuerem. *Iniquitati*. Idem fere Hebræus, sed genitivo: Sceleris, flagitii.

7. *Prope*. Idem Hebræus nomine: Propinquus, proximus, præsto es colentibus legem tuam, eis ades. *Es*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Omnes viæ tuæ*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum. Nisi malles, eos sensum, non verbum transtulisse; nam Hebræus nunc habet: Et omnia mandata tua veritas (verissima, & fide-

delia). Hæc præcepta, vias Dei, Nostri non insulse nominant, Idiotismo satis noto, ex significatione nominis דֶּרֶךְ ducto. Consule Thesaurum.

8. *Initio*. Jam ab initio, jamdiu. *De testimoniis*. Vel, Admonitionibus, contestationibus tuis. *In æternum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. Quod fundaveris admonitiones tuas hac lege, ut æternæ sint, jam a multo tempore novi; vel jamdiu cognitionem ex tuis constitutionibus concipiendam mihi duxi, utpote e re firma & durabili, non fluxa & caduca, quod in æternum eas fundaveris.

Vicesimus octonarius a ר incipiens.

ראה עניי וחלצני כי תורתך לא שכחתי:	1. *Vide afflictionem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.*	1. Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.
ריבה ריבי וגאלני לאמרתך חיני:	2. *Litiga litem meam, & redime me, dicto tuo vivifica me.*	2. Judica judicium meum, & redime me, propter eloquium tuum vivifica me.
רחוק מרשעים ישועה כי חקיך לא דרשו:	3. *Longe ab injustis salus, quia decreta tua non exquisierunt.*	3. Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.
רחמיך רבים יהוה כמשפטיך חיני:	4. *Misericordiæ tuæ multæ, DOMINE, secundum judicia tua vivifica me.*	4. Misericordiæ tuæ multæ DOMINE, secundum judicium tuum vivifica me.
רבים רדפי וצרי מעדותיך לא נטיתי:	5. *Multi persequentes me, & tribulantes me, a contestationibus tuis non declinavi.*	5. Multi, qui persequuntur me, & tribulant me, a testimoniis tuis non declinavi.
ראיתי בגדים ואתקוטטה אשר אמרתך לא שמרו:	6. *Vidi, prævaricantes, & dissecabar, quia dictum tuum non custodierunt.*	6. Vidi, prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.
ראה כי פקודיך אהבתי יהוה כחסדך חיני:	7. *Vide, quoniam deposita tua dilexi DOMINE, secundum pietatem tuam vivifica me.*	7. Vide, quoniam mandata tua dilexi DOMINE, in misericordia tua vivifica me.
ראש דברך אמת ולעולם כל משפט צדקך:	8. *Caput verbi tui veritas, & seculo omne judicium justitiæ tuæ.*	8. Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

ANNOTATIONES.

1. **H***Umilitatem*. Hebræus: Afflictionem, tam animi, quam corporis, ut sæpius vidimus.

2. *Judica judicium meum*. Hebræus verba forensia non judicandi, sed disceptandi caussas, habet: Litiga litem meam;

am; patrocinium suscipe caussæ meæ, & me his malis absolve. Nullius fere ponderis varietas. *Propter eloquium tuum*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi tropo: Dicto tuo; ut promisisti.

3. *Longe*. Sic Hebræus ex nomine adverbium faciens: (In) longinquo, procul abest. *Peccatoribus*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Ab injustis. *Justificationes tuas*. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

4. *Secundum judicium*. Quasi legerint Nostri sine Jod, punctis immutatis כְּמִשְׁפָּטֶךָ, quod nunc Hebræis est plurale כְּמִשְׁפָּטֶיךָ, secundum judicia tua. Vide in præcedenti Octonario vers. 5.

5. *Qui persequuntur, &c.* Sic Hebræus participiis: Persequentes mei, & tribulantes mei. Multos habeo, qui me infectantur, & mihi adversantur. *A testimoniis*. Vel, Contestationibus tuis non deflecto.

6. *Et tabescebam*. Non inelegans interpretatio. Hebræus præterito: Mecum jurgatus sum, dissecabar, corrodebar. Consule Thesaurum. *Eloquia tua*. Hebræus singulariter: Dictum, eloquium tuum.

7. *Mandata*. Hebræus: Deposita; ut supra. *In misericordia tua*. Ut Nostri transferunt. Videntur autem, facillimo transitu Caph in Beth, legisse בְּחַסְדְּךָ, In, pro tua pietate; quod nunc Hebræis est כְּחַסְדְּךָ, secundum pietatem tuam; pro ea, qua soles in me uti benignitate, per tuam clementiam. Idem sensus.

8. *Principium*. Hebræus: Caput. Idest, vel Initium, exordium juxta Nostros; vel Summa, præcipuum. Semper autem idem sensus. Initium verborum tuorum est veritas; idest, veritatem ab exordio loqueris, non modo in medio, vel extremo sermonum tuorum. Vel, Summa tuorum verborum est veritas; idest, veritatem in omnibus pro scopo tibi proponis. Vel tandem, Præcipuum verborum tuorum, idest, nobilissima pars eorum, est veritas. Vide Thesaurum. *Verborum tuorum*. Quasi legerint Nostri דְּבָרֶיךָ, quod nunc Hebræis est singulare דְּבָרְךָ, Verbi tui. Sed hoc parum vel nihil refert. *In æternum*. Hebræus addens conjunctionem Et, dativo profert, de more linguæ: Et seculo, æterno. *Omnia judicia*. Videntur etiam hic Nostri legisse מִשְׁפְּטֵי, quod nunc Hebræis est singulare מִשְׁפַּט, omne judicium justitiæ tuæ est æternum.

Vicesimus primus octonarius a ש incipiens.

שרים רדפוני חנם ומדבריך פחד לבי :	1. *Principes persequuti sunt me gratis, & a verbo tuo formidavit cor meum.*	1. Principes persequuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum.
שש אנכי על אמרתך כמוצא שלל רב :	2. *Lætor ego super dictum tuum, sicut inveniens spolium multum.*	2. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.
שקר שנאתי ואתעבה תורתך אהבתי :	3. *Mendacium odi, & abominatus sum, legem tuam dilexi.*	3. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem *autem* tuam dilexi.
שבע ביום הללתיך על משפטי צדקך :	4. *Septies in die laudavi te super judicia justitiæ tuæ.*	4. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

5. Pax

שלום רב לאהבי תורתך ואין למו מכשול:	5. *Pax multa diligentibus legis tuæ, & non illis offendiculum.*	5. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.
שברתי לישועתך יהוה ומצותיך עשיתי:	6. *Exſpectavi ſaluti tuæ DOMINE, & mandata tua feci.*	6. Exſpectabam ſalutare tuum DOMINE, & mandata tua dilexi.
שמרה נפשי עדתיך ואהבם מאד:	7. *Cuſtodivit anima mea conteſtationes tuas, & dilexi eas valde.*	7. Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer.
שמרתי פקודיך ועדתיך כי כל דרכי נגדך:	8. *Servavi depoſita tua, & admonitiones tuas, quia omnes viæ meæ coram te.*	8. Servavi mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

ANNOTATIONES.

1. GRatis. Immerito, ſine cauſſa. *A verbis tuis*. Scriptura quidem hebraica etiam nunc eſt pluralis numeri, quapropter Noſtri legerunt וּמִדְּבָרֶיךָ, licet Hebræi hodierni ſingulariter proferant וּמִדְּבָרְךָ, Et a verbo tuo. Nullius momenti varietas.

2. *Lætabor*. Hebræus præſenti participio: Lætans, lætor ego. *Eloquia tua*. Hebræus ſingulariter: Super dictum tuum, promiſſum. *Qui invenit*. Hebræus iterum præſenti participio: Sicut inveniens, qui invenit. *Spolia multa*. Hebræus ſingulariter: Spolium multum. Nullius ponderis varietates.

3. *Iniquitatem*. Non longe aliter Hebræus: Mendacium, falſitatem odi. *Autem*. Non habetur in Hebræo.

4. *Septies*. Sæpius; Nam ſeptenarius eſt numerus plenitudinis in hoc idiomate. Hinc tamen Noſtri ſeptem orationis horas deſumpſere. *Laudem dixi tibi*. Hebræus uno verbo: Laudavi te ſuper, propter, vel de judiciis tuis juſtiſſimis.

5. *Pax*. Animi tranquillitas. *Legem tuam*. In Hebræo eſt genitivi caſus: Legis tuæ amatoribus. *Eſt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Scandalum*. Offendiculum, ruina, offenſio: non impingunt, non corruunt.

6. *Exſpectabam*. Sic Hebræus præterito: Exſpectavi. *Salutare tuum*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo: Saluti tuæ, auxilio tuo. *Dilexi*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum. Niſi malles, eos ſenſum, non verbum tranſtuliſſe; nam Hebræus hodiernus habet עָשִׂיתִי, Feci. Et quidem facere mandata, dilectionis ſignum eſt.

7. *Teſtimonia tua*. Vel, Admonitiones tuas; ut ſupra. *Et dilexit ea*. Fortaſſe legerunt Noſtri, punctis immutatis נֶאֱהָבֵם, licet tunc verbum eſſet maſculini generis, & ſic ab Anima diſcordaret. Nunc Hebræus habet primam futuri verſam in præteritum וָאֹהֲבֵם, Et amavi, dilexi eas valde.

8. *Mandata tua*. Hebræus: Depoſita tua; ut ſupra. *Teſtimonia tua*. Vel, Obteſtationes, admonitiones tuas. *In conſpectu tuo*. Sic Hebræus: Coram te. Vias alicujus eſſe coram Deo, idiotiſmus; ideſt, Actiones ejus omnes Deo expoſitas, & cognitas eſſe; Deum inſpectorem habere. Græcus addit Κύριε.

Octo-

Octonarius ultimus a ת incipiens.

תקרב רנתי לפניך יהוה כ כדברך הבינני :	1. *Appropinquabit oratio mea faciebus tuis DOMINE, juxta verbum tuum fac me intelligere.*	1. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo DOMINE, juxta eloquium tuum da mihi intellectum.
תבוא תחנתי לפניך כאמרתך הצילני :	2. *Veniet supplicatio mea faciebus tuis, secundum dictum tuum eripe me.*	2. Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.
תבענה שפתי תהלה כי ת תלמדני חקיך :	3. *Eructabunt labia mea laudem, quia docebis me decreta tua.*	3. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.
תען לשוני אמרתך כי כל מצותיך צדק :	4. *Respondebit lingua mea dictum tuum, quia omnia mandata tua æquitas.*	4. Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.
תהי ידך לעזרני כי פקודיך בחרתי :	5. *Erit manus tua ad adjuvandum me, quoniam deposita tua elegi.*	5. Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.
תאבתי לישועתך יהוה ו ותורתך שעשועי :	6. *Concupivi saluti tuæ DOMINE, & lex tua oblectationes meæ sunt.*	6. Concupivi salutare tuum DOMINE, & lex tua meditatio mea *est*.
תחי נפשי ותהללך ומשפטך יעזרני :	7. *Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.*	7. Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.
תעיתי כשה אבד בקש ע עבדך כי מצותיך לא שכחתי :	8. *Erravi sicut ovis periens, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*	8. Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

ANNOTATIONES.

1. A*ppropinquet*. Idem Hebræus futuro: Appropinquabit. *Deprecatio*. Idem prope Hebræus: Ovatio, vociferatio, quam orans fundo. *In conspectu tuo*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Faciebus tuis. *Eloquium*. Idem Hebræus: Verbum, promissum. *Da mihi intellectum*. Hebræus uno verbo: Fac me intelligere.

2. *Intret*. Idem Hebræus futuro: Veniet. *Postulatio*. Idem Hebræus fere: Supplicatio, deprecatio. *In conspectu tuo*. Hebræus, ut supra, suo loquendi tropo: Faciebus tuis. Græcus addit Κύριε. *Eloquium*. Sic Hebræus: Dictum, promissum.

3. *Hymnum*. Idem Hebræus: Laudem. Labia eructare laudem, idiotismus; idest, fundere, copiose decantare laudes alicujus. *Cum*. Vel, Quia (caussaliter); nam כי varie exponitur. Vide Thesaurum. Idem fere sensus. *Docueris*. Sic Hebræus futuro: Docebis.

Justi-

Justificationes tuas. Hebræus: Decreta tua; ut supra.

4. *Pronunciabit*. Translatio sensus. Hebræus suo loquendi tropo: Respondebit. Lingua pronunciando respondet ad ea, quæ jam animus concepit. Consule Thesaurum. *Eloquium*. Sic Hebræus: Dictum, promissum tuum.

5. *Fiat*. Idem Hebræus futuro: Erit. *Ut salvet me*. Non longe aliter Hebræus gerundio: Ad adjuvandum me; ut salver videlicet. Sit mihi tua manus auxilio. *Mandata*. Hebræus: Deposita; ut supra.

6. *Salutare tuum*. Ut Nostri transferunt. Hebræus dativo, de more linguæ: Saluti tuæ. Salutem, auxilium tuum summopere expeto. *Meditatio mea*. Translatio sensus. Hebræus: Oblectationes, deliciæ meæ. Meditatio, ne delectatio fit. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum.

7. *Vivet*. Vel, Vivat, deprecanter; nam utroque modo verbum hebræum exponi potest, & tam de vita spirituali, qua mortui sumus peccato, quam de corporea, velim intelligas. *Anima mea*. Ego ipse. *Adjuvabunt*. Vel, Adjuvent.

8. *Quæ periit*. Hebræus idem præsenti participio: Periens, prope deperdita.

PSALMUS CXX. Lat. CXIX.

שיר המעלות אל יהוה ב בצרתה לי קראתי ויענני:	1. *Canticum graduum. Ad DOMINUM in tribulatione mihi clamavi, et respondit mihi.*	1. Canticum graduum. Ad DOMINUM, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me.
יהוה הצילה נפשי משפת שקר מלשון רמיה:	2. *DOMINE libera animam meam a labio mendacii, a lingua dolosa.*	2. DOMINE libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.
מה יתן לך ומה יסיף לך לשון רמיה:	3. *Quid dabit tibi, et quid addet tibi lingua dolosa?*	3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?
חצי גבור שנונים עם גחלי רתמים:	4. *Sagittæ potentis acutæ, cum prunis juniperorum.*	4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.
אויה לי כי גרתי משך ש שכנתי עם אהלי קדר:	5. *Heu mihi quia incolui Mésech, habitavi cum tabernaculis Cedar.*	5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar.
רבת שכנה לה נפשי עם שונא שלום:	6. *Multum habitavit sibi anima mea cum odiente pacem.*	6. Multum incola fuit anima mea cum his, qui oderunt pacem.
אני שלום וכי אדבר המה למלחמה:	7. *Ego pax, et quia loquar, ipsi bello.*	7. Eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant *me gratis*.

ANNO-

ANNOTATIONES.

A Maledicis, & osoribus pacis ereptus, eorum actiones eleganti carmine describens, a Deo salutem expetendam esse, fideles instruit. Ecclesiæ inter Infideles exsulanti convenit. Distinctionum varietates ex te recognoscas, velim.

1. *Canticum graduum*. Vox hebræa Elevationem, ascensionem, & gradum ab ascensione dictum significat. Hoc igitur titulo quindecim sequentes psalmi prænotantur, vel ab elevatione vocis, quod eorum concentus esset altissimus; vel ab ascensione, quod populi captivitates, & e captivitatibus liberationes tractent, allusione sumpta e situ Jerusalem, ad quam omni ex parte ascendendum erat; vel tandem a Templi gradibus quindecim, quod a Levitis in illis, tanquam in umbone, & consensu suggesti canerentur: nam quæ sit propria notationis caussa, non satis certum est. Ego canticum graduum, vel ascensionum, vel elevationum dicerem, quod e terrenis hisce rebus animum elevet ad cælestia. *Cum tribularer*. Idem Hebræus nomine, suo loquendi tropo: In tribulatione, angustia mihi. Quum angustiis undique premerer. *Exaudivit*. Translatio sensus. Hebræus: Respondit; Quod exauditionis signum est.

2. *A labiis*. Hebræus singulariter collective: A labio. *Iniquis*. Non longe aliter Hebræus substantivo nomine, de more linguæ: Mendacii; mendaci, doloso: calumnias, convicia, imposturas, & fraudes proferente. *Et*. Non habetur in Hebræo, prout testatus est D. Hieronymus ad Suniam scribens.

3. *Detur*. Nostris est Apostrophe ad hostem impium, & sycophantam; Hebræis vero eodem sensu ad linguam fraudulentam, quam alloquitur vates poetice: Quid dabit tibi? (Supple, dans, vel quivis). *Aut*. Hebræus conjunctione, Et. *Apponetur*. Idem Hebræus active: Addet, apponet (Quivis; ut supra). Idiotismus frequens est in lingua hebræa, Dare, & addere quid alicui: qui recte a Nostris transfertur passivis verbis, Dari, & Apponi. *Ad linguam dolosam*. Sic facilia Nostri reddiderunt hebraica. Quid ob linguam illam dolosam consequêris, o fraudulente? Hebræis est vocandi casus: O lingua fraudulenta quid dabit, &c.? Idest; quem fructum, quodve emolumentum consequeris? Nisi malles cum Genebrardo, esse nominandi casus. Quam utilitatem afferet tibi lingua fraudulenta? Sed prior interpretatio purior, & simplicior est.


4. *Sagittæ potentis*, &c. Appositive. Supple, es o lingua dolosa. Genebrardus præcedenti interrogationi per subjectionem responderi putat. Durissimæ plagæ, gravissimæ pœnæ, quales a sagittis acutissimis transfixi patiuntur, & incendia perniciosissima tamquam a prunis arborum, quæ vehementius urant, tibi dabuntur, tibique apponentur. Hæc enim verba e superiore versiculo per zeugma sunt juxta ipsum repetenda. Verum simplicior est prior sensus. *Carbonibus*. Ignitis scilicet. Hebræus etiam: Cum prunis. *Desolatoriis*. Vastatoriis, utpote ardentissimis. Translatio sensus. Hebræus: Juniperorum, quarum prunæ dicuntur esse ardentissimæ, neque facile exstingui. Lxxij per synecdochen dixerunt ἐρημικοῖς, idest, arborum in desertis, & solitudinibus nascentium.

5. *Incolatus meus prolongatus est*. Arbitror, Nostros, punctis immutatis, transitu per quam facillimo legisse גָּרְתִּי מֶשֶׁךְ, Peregrinatio, exsilium meum prolongatum est. Nisi malles, eos sensum, non verba transtulisse, nomen מֶשֶׁךְ longitudinem interpretantes, quæ radicis quidem est significatio. Nam Hebræus tunc esset hujusmodi: Hei mihi, quia peregrinatus sum longitudine; idest, longo tempore. Nunc Hebræis גַּרְתִּי verbum est, & מֶשֶׁךְ provinciæ nomen, cu-

cujus incolæ barbari, omnisque humanitatis, pacis, & religionis expertes essent. Hei mihi, ait, quia incolui Moschos. Eleganter perstringit Judæos sui temporis, quod Moschorum, & Cedarenorum mores referrent. Quasi diceret, apud truculentos Getas, inhumanosve Scythas habitare mihi videor. Consule Thesaurum. *Cum habitantibus*. Hebræus: Cum tabernaculis Cedar. Metonymia. Cum habitantibus in tabernaculis Cedarenorum. Cedar filius Ismaelis feri & barbari. Consule Thesaurum. Quidam Moschos, & Cedarenos proprie intelligunt, inter quos exsilium Ecclesiæ diuturnum sit.

6. *Incola fuit*. Hebræus addens pronomen peculiari tropo, idem prope habet: Multum habitavit sibi anima mea. Ego ipse inter Cedarenos diu peregrinatus sum: ut Nostris placet, qui cum superioribus hæc connectunt. Hebræus autem sequentibus addit. *Cum his*, *&c.* Hebræus idem participio singulari: Cum odiente pacem; cum osore pacis, satis superque habitavit anima mea. Idem fere sensus in Nostris, licet hæc cum sequentibus connectant.

7. *Eram*. Sic Hebræus pronomine: Ego; sum, vel eram videlicet. *Pacificus*. Hebræus eleganti locutione nomine substantivo idem exprimit: Pax. Ego ipsamet pax eram; totus pacificus. Similem phrasim superius vidimus psalmo 109. 4. Et ego oratio. Sic latini scelus pro scelesto ponunt, & hujusmodi. *Cum*. Hebræus addit conjunctionem: Et cum, vel quia. Sæpius diximus, particulam כִּי varie transferri posse. *Loquebar*. Hebræus idem futuro: Loquar. *Illis*. Vel additum est a Nostris ad declarationem, vel certe legerunt Nostri אֲדַבְּרָם facili conjunctione vocum, vel tandem pronomen הֵמָּה a præcedenti verbo regi putarunt: Alloquebar eos. Hebræis est nominativus, qui sequenti dictioni connectitur: Ipsi. *Impugnabant*. Hebræus nomine, sane perquam eleganti tropo, dativo profert: Bello. Ipsi ad bellum, se parabant videlicet, aut quid simile. Licet, inquit, pacificus sim, nihil tamen mutire audeo, nedum loqui; nam statim verba mea in contrarium sensum recipiuntur, & impugnare me occipiunt. *Me gratis*. Ad declarationem a Nostris addita.



GRA-

GRADUS DECIMUS TERTIUS.

PSALMUS CXXI. Latinis CXX.

שיר למעלות אשא עיני אל ההרים מאין יבא עורי :	1. *Canticum gradibus. Levabo oculos meos ad montes, unde veniet auxilium meum?*	1. Canticum graduum. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.
עזרי מעם יהוה עשה שמים וארץ:	2. *Auxilium meum cum DOMINO factore cælorum, & terræ.*	2. Auxilium meum a DOMINO, qui fecit cælum, & terram.
אל יתן למוט רגלך אל ינום שמרך :	3. *Ne dabit commotioni pedem tuum, ne dormitabit custos tuus.*	3. Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.
הנה לא ינום ולא יישן ש שומר ישראל:	4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet custos Israelis.*	4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.
יהות שמרך יהוה צלך על יד ימינך:	5. *DOMINUS custos tuus, DOMINUS umbra tua super manum dexteram tuam.*	5. DOMINUS custodit te, DOMINUS protectio tua, super manum dexteram tuam.
יומם השמש לא יככה וירת בלילה:	6. *Interdiu sol non percutiet te, & luna in nocte.*	6. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.
יהות ישמרך מכל רע ישמר את נפשך:	7. *DOMINUS custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam.*	7. DOMINUS custodit te ab omni malo; custodiat animam tuam *Dominus*.
יהוה ישמר צאתך ובואך סעתה ועד עולם :	8. *DOMINUS custodiet egredi tuum, & venire tuum, ex nunc & usque ad seculum.*	8. DOMINUS custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex *hoc* nunc, & usque in seculum.

ANNOTATIONES.

Fideles, quod Dominum habeant custodem, ubique esse tutos, ornato carmine decantat.

1. *Graduum*. Idem Hebræus dativo: Gradibus, ascensionibus, elevationibus. Vide in præcedenti psalmo. Lamed tam genitivo, quam dativo inservire, docui in Grammatica. *Levavi*. Hebræus futuro: Levabo, attollam. *In*. Hebræus: Ad montes. Qui ad capessendam fugam e periculis, aptiores sunt. *Unde*. Mimesis. Dicendo,

do (supple), unde veniet, &c. *Mibi*. Non aliter Hebræus: Meum. Quidam relative legunt sine mimesi: Unde; a quibus montibus veniet auxilium meum; ut alludat ad situm Jerusalem, & prælertim ad montes Sion, & Moria. Sed purior lectio est interrogativa: Unde, ex quanam parte veniet mihi opitulator?

2. *A Domino*. Hebræus addit præpositionem, Cum, de more linguæ: De cum Domino. Sibi respondet, seque consolatur, divinum auxilium sibi non defuturum esse confidens. *Qui fecit*. Hebræus idem participio: Faciente, factore. *Cælum*. Vox hebræa est pluralis numeri natura: Cælorum, & terræ.

3. *Non det*. Apostrophe ad se ipsum, & ad pium quemlibet. Idem Hebræus futuro: Ne dabit, ne det. *In commotionem*. Hebræa vox est amphibola; nam potest esse vel nomen dativi casus, vel gerundium: Commotioni, ad commovendum; Ne commoveri sinat pedem tuum. Non dare commotioni, vel ad commovendum pedem, idiotismus; idest, non sinere labi in exitium, tam animæ quam corporis. *Neque*. Hebræus non habet conjunctionem, Et. *Dormitet*. Hebræus iterum futuro: Dormitabit. *Qui custodit te*. Idem Hebræus participio: Custodiens te, custos tuus. Humano more loquitur de Deo, qui dormire nequaquam potest, ut illius curam vigilantem, & perpetuam erga fideles indicet.

4. *Qui custodit*. Hebræus, ut supra, participio: Custodiens, custos.

5. *Custodit*. Hebræus iterum participio: Custodiens te, vel custos tuus. *Protectio*. Translatio sensus. Hebræus eleganti metaphora: Umbra tua super, ad manum dexteram tuam, qua protegeris ab omnium malorum æstu, ut nihil vel interdiu, vel noctu tibi nocere possit.

6. *Per diem*. Idem Hebræus: Interdiu. *Uret*. Translatio sensus. Hebræus poetice: Percutiet, feriet te. *Neque luna*. Hebræus idem, licet particulam negativam non exprimat, quæ per zeugma subintelligitur: Et luna. Supple, non feriet te. *Per noctem*. Sic Hebræus: In nocte. Sol æstu nimio nocet interdiu, Luna nimio humore noctu; quæ sunt etiam symbola malorum & calamitatum, sive manifestarum, solaribus radiis comparatarum, sive clandestinarum lunaribus.

7. *Custodit*. Hebræus futuro: Custodiet. Vel pronunciative, vel optative: Custodiat. *Custodiat*. Hebræus iterum futuro, ut supra: Custodiet. *Dominus*. Non habetur in Hebræo, quod parum, vel nihil refert.

8. *Custodiat*. Hebræus iterum futuro: Custodiet. *Introitum*, *&c.* Idem Hebræus infinitivo, sed ordine inverso: Egredi tuum, & venire tuum. Idiotismus elegans. Idest, sive domi, sive foris fueris, te servet incolumem, & tueatur. *Hoc*. Ad declarationem additum. *In*. Vel Ad, ex consequentia sermonis subintelligenda: Ex nunc, & usque (ad, vel in) seculum.

PSAL-

PSALMUS CXXII. Lat. CXXI.

שיר המעלות לדוד שמחתי באמרים לי בית יהוה נלך :	1. *Canticum graduum Davidi. Lætatus ſum in dicentibus mihi, domum DOMINI ibimus.*	1. Canticum graduum. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, *in* domum DOMINI ibimus.
עמדות היו רגלינו בשעריך ירושלם :	2. *Stantes fuerunt pedes noſtri, in portis tuis Jeruſalem.*	2. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem.
ירושלם הבנויה כעיר ש שחברה לה יחדו :	3. *Jeruſalem ædificata ut civitas, quæ conjuncta eſt ei ſimul.*	3. Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in id ipſum.
ששם עלו שבטים שבטי יה עדות לישראל להודות לשם יהוה :	4. *Quia illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini DOMINI.*	4. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini DOMINI.
כי שמה ישבו כסאות ל למשפט כסאות לבית דוד :	5. *Quia illic ſederunt ſedes judicio, ſedes domui David.*	5. Quia illic ſederunt ſedes *in* judicio, ſedes ſuper domum David.
שאלו שלום ירושלם ישליו אהביך :	6. *Rogate pacem Jeruſalem, felices erunt diligentes te.*	6. Rogate, *quæ ad* pacem *ſunt* Jeruſalem, & abundantia diligentibus te.
יהי שלום בחילך שלוה ב בארמנותיך :	7. *Erit pax in propugnaculo tuo, felicitas in ædibus tuis.*	7. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.
למען אחי ורעי אדברה נא שלום בך :	8. *Propter fratres meos, & proximos meos loquar, amabo, pacem in te.*	8. Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.
למען בית יהוה אלהינו א אבקשה טוב לך :	9. *Propter domum DOMINI Dei noſtri quæram bonum tibi.*	9. Propter domum DOMINI Dei noſtri quæſivi bona tibi.

ANNOTATIONES.

JEruſalem a pluribus dignitatibus, ſed præcipue ob Templum laudans, ei ſuaviſſimo carmine bene precatur. Convenit Eccleſiæ.

1. *Canticum graduum.* Ut ſupra. Hebræus addit auctoris nomen: Davidi, vel Davidis; nam lamed utrique caſui deſervire, ſæpius diximus. *In his quæ dicta ſunt.* Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis בָּאֲמָרִים, In dictis; quod nunc Hebræis eſt בְּאֹמְרִים, In dicentibus. Idiotiſmus. Ideſt, cum dicitur. *In.* Eleganter ſubticetur in Hebræo, de more linguæ. *Ibimus.* Vel, Eamus; nam utroque modo exponi poteſt verbum futurum in Hebræo, ut in Grammaticis rebus docuimus. Dicentes (ait) eamus ad domum Domini, maximopere me lætificant; gaudeo, quod ab illis inviter his verbis, vel

quod dicant futurum esse, ut ex captivitate redeuntes eamus in domum Domini. Prior sensus purior.

2. *Erant*. Sic Hebræus præterito: Fuerunt. *In atriis*. Hebræus non longe aliter: In portis tuis Jerusalem, quum hæc mihi dicerentur; vel olim, ante captivitatem. Prior sensus fidelior.

3. *Quæ ædificatur*. Brevibus describit Jerusalem. Hebræus participio passivo: Ædificata, constructa. *Ut civitas*. Comparatio tendit in se ipsam: Instar civitatis maximæ, non oppidi, vel castelli minimi; vel certe refertur ad aliam; quod magis placet. *Cujus participatio ejus*. Relativum Ejus vacat latine. Videntur autem Nostri punctis immutatis legisse שֶׁחֶבְרָה לָהּ, cujus participatio (ei), colligatio, conjunctio, id est cohabitatio, est in id ipsum, in idem velle & sentire. Nunc Hebræis verbum est passivum שֶׁחֻבְּרָה, Quæ conjuncta, colligata est. *Ejus*. Hebræus dativo: Ei, vel sibi; nam utroque modo exponi possunt pronomina possessiva, ut in Grammatica docui. Lamed etiam tam genitivo, quam dativo servire, sæpius diximus. Nostri genitivo transferunt. Hebræus dativum retinet, & duos sensus agnoscit. Jerusalem constructa ut civitas (ut Jebus), quæ conjuncta est ei simul. Nam ex duabus civitatibus unica tandem effecta est. Consule Thesaurum. Vel, Ut civitas, quæ conjuncta est sibi simul, non in plures partes divisa, ita ut inter se vici longissime distent. Ex hujusmodi conjunctione civitas pulcrior & validior efficitur. Neutrum sensum respuerem, & si prior magis arrideat: ultimus cum Nostris idem est. Quasi diceres, est civitas concordissima, & unione maxima conjuncta pariter. *In id ipsum*. In idem. Non longe aliter Hebræus: Simul, una, pariter.

4. *Enim*. Idem Hebræus fere: Quia, quod. Hinc agnoscitur ejus concordia. *Domini*. In Hebræo est nomen proprium Dei: Jaha. *Testimonium*. Appositive. Quæ Tribus sunt testimonium, testantur genus Israelis. Vox hebræa potest etiam significare pulcritudinem, ornatum, a radice עדה. Consule Thesaurum. Quæ tribus sunt pulcritudo, ornatus, decor Israelis. Neuter sensus respuendus. *Israel*. In Hebræo habet præpositum lamed, quod tam dativo quam genitivo deservire, sæpius diximus. *Ad confitendum*. Ad celebrandum Deum.

5. *Sedes*. Throni, tribunalia judicialia, & consequenter judices. *In judicio*. Hebræus dativo, de more linguæ: Judicio; ad judicium, ad judicandum, ut judicent. *Super domum*. Hebræus dativo: Domui David. Regiæ domus David, qui ea subsellia forensia instituit, ut judicium cuique redderetur. Merito igitur ei accepta referuntur.

6. *Rogate*. Petite, postulate. Ad pios apostrophe. *Quæ ad*, *sunt*. A Nostris ad declarationem addita. Quæ ad tranquillitatem & quietem ejus faciunt. Hebræus simpliciter: Petite pacem Jerusalem. *Et abundantia*. Suspicor, Nostros mutatis quibusdam literis, & præsertim Jod in Vav legisse וְשַׁלְוָה, Et felicitas (supple sit); & ob id necessario sequens nomen dativo transtulerunt: Diligentibus te. Nunc Hebræis verbum est futuri temporis יִשְׁלָיוּ, Felices erunt, quieti degent, sospitentur, feliciteutur diligentes te. Mimesis. Proponit verba, quæ dicant flagitantes pacem Jerusalem. Petite, inquit, pacem Jerusalem (talibus verbis videlicet), sospites sint diligentes te o Jerusalem.

7. *Fiat*. Idem Hebræus futuro: Erit. *In virtute tua*. Sic transferunt Nostri vocem hebraicam בחיל, quæ plura significat. Consule Thesaurum. Id est, in tuo robore, vel exercitu. Hebræus: In propugnaculo tuo, in tuis mœnibus sit pax. Dicitur autem antemurale hoc nomine, quod robur civitatis sit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Abundantia*. Non longe aliter Hebræus: Felicitas, salus, ab Hebræo nomine

ne dicta. *In turribus*. Hebræus: In palatiis, ædibus, quæ ob altitudinem turribus æquiparari possint. Non magni momenti varietas.

8. *Loquebar*. Hebræus blandiendi & deprecandi particulam addens, futuro exprimit: Loquar, amabo, pacem; ut pacifica & floridissima sis. *De te*. Hebræus: In te, in medio tui. Minimi momenti varietas. Sunt autem verba Davidis; nisi malles mimesim continuari; quod parum vel nihil refert.

9. *Propter domum Domini*. Totius psalmi scopus, & peroratio. *Quæsivi*: Quæram. *Bona*. Hebræus singulariter, collective: Bonum. Quod in te sit Templum Domini, & arca fœderis.

PSAL. CXXIII. Lat. CXXII.

שיר המעלות אליך נשאתי את עיני הישבי בשמים :	1. *Canticum graduum. Ad te levavi oculos meos o habitator in cælis.*	1. Canticum graduum. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.
הנה כעיני עבדים אל יד אדוניהם כעיני שפחה אל יד גברתה כן עינינו אל יהוה אלהינו עד שיחננו:	2. *Ecce sicut oculi servorum ad manum dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ, ita oculi nostri ad* DOMINUM *Deum nostrum, donec quod miserebitur nostri.*	2. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad DOMINUM Deum nostrum, donec misereatur nostri.
חננו יהוה חננו כי רב שבענו בוז :	3. *Miserere nostri* DOMINE, *miserere nostri, quia multum saturi sumus despectione.*	3. Miserere nostri DOMINE, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.
רבת שבעה לה נפשנו הלעג השאננים הבוז לגאיונים :	4. *Multum satura est sibi anima nostra, subsannatio locupletum* fuit, *despectio superbis.*	4. *Quia* multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

ANNOTATIONES.

Fideles eleganter instruit, quid agendum sit, ut impiorum calumnias evitare possint. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Qui habitas*. Sic Hebræus participio: O habitans, habitator; qui cælorum regiones incolis.

2. *In manibus*. Hebræus idem fere singulariter: Ad manum; idest, ad nutum, ut eis ministrent, & serviant; vel ad largitionem, ut aliquid accipiant; vel tandem ad defensionem, ut opem consequantur: ita in hoc exsilio vexati, te unum intuemur, in te unum spectamus, ut nostri misereare. *Misereatur*. Hebræus addens conjunctionem Quod, exprimit futuro: Donec quod miserebitur nostri. Particula עד æternitatem, perpetuitatem in Hebræo significat; itemque Donec, & Postea. Perpetuo oculos in eum habebimus intentos.

V 2 3. Re-

3. *Repleti*. Idem fere Hebræus: Satiati sumus contemptu.

4. *Quia*. Ex superiori versu repetitum a Nostris; quod nihil refert. Græcus tamen illud non habet. *Repleta est*. Hebræus addens pronomen emphatice, superius verbum repetit: Satiata est sibi anima nostra (subaudi, despectione, per zeugma). *Opprobrium*. Hebræus idem fere: Subsannatio, derisio. Supple, fuit. *Abundantibus*. Translatio sensus. Hebræus idem fere genitivo: Opulentorum, locupletum, quibus omnia prospere cedunt in hoc mundo. *Et*. Non habetur in Hebræo. Opulentorum, ait, derisio & subsannatio fuit anima nostra hactenus, & despectio, contemptus superbis & fastuosis nostris hostibus; quare miserere nostri. Quidam ex Nostris exponunt: Opprobrium (sit, vel rependatur) abundantibus, & despectio superbis; idest, in caput inimicorum nostrorum recidat ille contemptus, & illud probrum. Verum prior sensus purior, & fidelior.

PSALMUS CXXIV. Lat. CXXIII.

שיר המעלות לדוד לולי יהוה שהיה לנו יאמר נא ׃ ישראל׃	1. *Canticum graduum Davidi. Nisi DOMINUS qui fuit nobis, dicet obsecro Israel,*	1. Canticum graduum *ipsi David*. Nisi quia DOMINUS erat in nobis, dicat nunc Israel,
לולי יהוה שהיה לנו בקום עלינו אדם׃	2. *Nisi DOMINUS qui fuit nobis in surgendo super nos homo,*	2. Nisi quia DOMINUS erat in nobis, cum exsurgerent homines in nos,
אזי חיים בלעונו בחרות אפם בנו׃	3. *Tunc vivos deglutierunt nos, in irascendo nasus eorum in nos;*	3. Forte vivos deglutissent nos. Cum irasceretur furor eorum in nos,
אזי המים שטפונו נחלה עבר על נפשנו׃	4. *Tunc aquæ obruerunt nos, torrens transivit super animam nostram;*	4. Forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nostra:
אזי עבר על נפשנו המים הזידונים׃	5. *Tunc transivit super animam nostram; aquæ superbæ.*	5. Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
ברוך יהוה שלא נתננו טרף לשניהם׃	6. *Benedictus DOMINUS, qui non dedit nos prædam dentibus eorum.*	6. Benedictus DOMINUS, qui non dedit nos *in* captionem dentibus eorum.
נפשנו כצפור נמלטה מפח יוקשים, הפח נשבר ואנחנו נמלטנו׃	7. *Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos evasimus.*	7. Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.
עזרנו בשם יהוה עשה שמים וארץ׃	8. *Adjutorium nostrum in nomine DOMINI factoris cælorum, & terræ.*	8. Adjutorium nostrum in nomine DOMINI, qui fecit cælum, & terram.

ANNO-

ANNOTATIONES.

AB extremis periculis ereptos fideles, quibus verbis gratias agant, ornate satis, & eleganter instruit. Distinctionum varietates ex temetipso recognoscas velim.

1. *Ipsi David*. Sic Hebræus: Davidi, vel Davidis; nam lamed utrique casui deservire, sæpius diximus. *Erat*. Litera Scin loco אֲשֶׁר posita significat Qui, quæ, quod, & quòd, seu quia. Consule Thesaurum. Nostris est caussativa, Hebræis autem relativa: Nisi Dominus, qui. *Erat*. Sic Hebræus præterito: Fuit. *In nobis*. Nobiscum, inter nos. Non longe aliter Hebræus dativo: Nobis. Esse alicui, idiotismus; idest, defendendi gratia pro eo stare. *Dicat*. Idem Hebræus futuro: Dicet. *Nunc*, נָא est blandientis, & obsecrantis particula: Quæso, amabo (di grazia).

2. *Nisi quia*, &c. Hebræus ad verbum, ut in præcedenti versiculo. Ibi vide. *Cum exurgerent*. Idem Hebræus gerundio: In surgendo. *Homines in nos*. Hebræus inverso ordine, & suo loquendi tropo: Super nos homo (collective).

3. *Forte*. Suspicor Nostros, mutato Zain in Lamed, facillimo vocis transitu legisse אֱלֵי, quod nunc Hebræis est אֲזַי, Tunc. Non maximi tamen ponderis est varietas. *Deglutissent*. Idem Hebræus præterito: Deglutierunt. *Cum irasceretur*. Sic Hebræus gerundio: In irascendo, in excandescere. *Furor*. Translatio sensus. Hebræus: Nasus; quo fumante, furor, & ira dignoscitur.

4. *Forsitan*. Hebræus: Tunc; ut supra. *Aqua*. Vox hebræa est pluralis numeri natura: Aquæ; malorum, & persecutionum copia & magnitudo. *Absorbuisset*. Idem prope Hebræus plurali præterito: Obruerunt. *Torrentem*, &c. Suspicor, Nostros, suppressa particula עַל, & detracto He a נַחְלָה, verboque addito legisse נַחַל עָבְרָה נַפְשֵׁנוּ. Nisi malles cum Genebrardo, eos hypallagen explicasse, nam Hebræus nunc ad verbum habet: Torrens transivit super animam nostram; Eam obruendo scilicet. Aquas obruere aliquem, & Torrentem transire super animam ejus, sunt bini idiotismi, ingentium malorum symbola.

5. *Forsitan*. Hebræus: Tunc; ut supra. *Pertransisset*, &c. Etiam hic fortasse Nostri, suppresso עַל, legerunt עָבְרָה, vel hypallagen explicarunt. Hebræus nunc legit: Tunc transivit super animam nostram. Supple, Torrens, per zeugma. *Aquam intolerabilem*. Sic reddiderunt Nostri, hypallagen explicantes. Aquam nimis altam, nulli penetrabilem evasit. Hebræus autem nominativo plurali, per appositionem, idiotismo satis ornato dicit: Aquæ superbæ (scilicet, est torrens ille), hoc est, nimis elatæ, altissimæ. Genebrardus aliud sentit, quod non placet.

6. *In*. Non habetur in Hebræo. *Captionem*. Non longe aliter Hebræus: Prædam. Dare aliquem prædam (ut fit præda) dentibus aliquorum, est idiotismus elegans, crudelitatem hostium feritati beluarum comparans.

7. *Sicut passer*. Quævis avicula. Animam ut aviculas eripi de laqueo, alter idiotismus. Idest, ex insidiis impiorum eripi. *Liberati sumus*. Idem Hebræus: Evasimus.

8. *Adjutorium nostrum*. Supple est, in nomine Domini. *Qui fecit*. Hebræus præsenti participio: Facientis, factoris. *Cælum*. Vox hebræa est pluralis natura: Cælorum, & terræ opificis.

PSAL-

PSALMUS CXXV. Lat. CXXIV.

שיר המעלות הבטחים ב ביהוה כהר ציון לא ימוט ל לעולם ישב :	1. *Canticum graduum. Confidentes in DOMINO* sunt *sicut mons Sion, non commovebitur, seculo sedebit.*	1. Canticum graduum. Qui confidunt in DOMINO, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat
ירושלם הרים סביב לה ו ויהוה סביב לעמו מעתה ועד עולם :	2. *Jerusalem montes circuitus ei, & DOMINUS circuitus populo suo ex nunc, & usque* ad *seculum.*	2. *In* Jerusalem. Montes in circuitu ejus, & DOMINUS in circuitu populi sui, ex *hoc* nunc, & usque *in* seculum.
כי לא ינוח שבט הרשע על גורל הצדיקים למען לא ישלחו הצדיקים בעולתה ידיהם :	3. *Quia non requiescet virga injustitiæ super sortem justorum, ut non extendent justi in iniquitatem manus suas.*	3. Quia non relinquet *Dominus* virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.
הטיבה יהוה לטובים ולישרים בלבותם :	4. *Benefac DOMINE bonis, & rectis in cordibus suis.*	4. Benefac DOMINE bonis, & rectis corde.
והמטים עקלקלותם יוליכם יהוה את פעלי האון שלום על ישראל :	5. *Declinantes autem tortuositates suas, adducet eos DOMINUS cum operatoribus iniquitatis: pax super Israel.*	5. Declinantes autem *in* obligationes, adducet DOMINUS cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

ANNOTATIONES.

Fideles esse tutissimos, impios autem perituros, non ineleganti carmine decantat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Qui confidunt.* Idem Hebræus participio: Confidentes in Domino, (supple sunt) sicut mons Sion; nempe firmi, immobiles, stabiles, securi, sicut & ille, prout mox dicit. *Non commovebitur.* Mons Sion. *In æternum.* Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. *Qui habitat.* Nostri punctis immutatis videntur legisse יָשָׁב, habitans, habitator; & ob id protenderunt sententiam ad principium sequentis versus, retrahentes hic nomen Jerusalem. Nunc Hebræis est futurum, & hic sententia terminatur, persistens loqui de monte Sion. Qui (ait) non commovebitur, in æternum habitabit, sedebit, permanebit; in quem modum etiam fidentes in Domino se habebunt. Montem non commoveri, & in æternum permanere, diversis verbis idem est.

2. *In Jerusalem.* Nostris est genitivi casus, Habitator Jerusalem; quod explicant præpositione. Nisi malles, eos proprie legisse בִּירוּשָׁלַם; nam & præcedens dictio per Beth terminatur. Hebræus autem, ut diximus, hic incipit sententiam, & nominativo profert: Jerusalem. *In circuitu.* In Hebræo non habetur præpositio, sed tantum nomen, quod

quod tamen adverbialiter ſæpius ſuſurpatur: Montes (ſunt) circuitus, circum Jeruſalem. *Ejus*. Idem Hebræus dativo de more linguæ: Ei, Jeruſalem. Hebraiſmus, qui ponit antecedens, & pronomen relativum in eadem ſententia. Latine vacat. Diceres enim tantummodo: Circuitus Jeruſalem ſunt montes. Ad ejus detenſionem videlicet. *In circuitu*. Hebræus ut ſupra, nomine: Circuitus, vel circum. Non ſolum montes ſunt præſidio Jeruſalem, ſed etiam Dominus eſt circum fideles ſuos, ut externis montibus & præſidiis eos tueatur contra externos hoſtes, & interiore ſua præſentia, contra eoſdem ſimul, ac inviſibiles. *Populi ſui*. Idem Hebræus dativo, de more linguæ, ut ſupra: Populo ſuo. *Ex hoc*, &c. Vide ſuperius pſal. 121. 8. quo loco eadem habentur verba.

3. *Relinquet Dominus*. Arbitror, Noſtros facillimo tranſitu Vav in Jod legiſſe in Hiphil יָנִיחַ, Requieſcere faciet, ſinet; relinquet; ob idque de ſuo addidiſſe, Dominus, quod nomen nunc in Hebræo textu non habetur, in quo verbum eſt conjugationis cal יָנוּחַ, Requieſcet, ideſt, relinquetur (ſupple, a Domino). Idem ſenſus. *Virgam*. Ob verbum adjunctum ſic transferunt Noſtri. Hebræis eodem verbi reſpectu nominativus eſt: Virga. Vox hebræa plura ſignificat, nempe virgam, ſceptrum, flagellum, familiam, vel tribum. Conſule Theſaurum. *Peccatorum*. Videntur Noſtri, punctis immutatis, legiſſe הָרָשָׁע, quod nomen ſic interpretantur fere ſemper, Peccatoris (collective), ideſt Peccatorum, ut ipſi dixere. Nunc Hebræis eſt nomen rei הָרֶשַׁע, Injuſtitiæ. *Extendant*. Idem Hebræus futuro: Extendent, mittent, porrigent. *Ad*. Hebræus: In. Nulla varietas. Senſus eſt, virgam, ideſt ſceptrum injuſtitiæ, tyrannidem, vel etiam tribum proprie, ſatis eleganter poetice, non dominaturam eſſe in bonos, vel tandem flagellum injuſtitiæ (ideſt, plagas) ſupra modum eis minime immitti, ne deſperatione vel illecebra impunitatis peccandi, male agant. Confer locum Pauli 1. Cor. 10. 13.

4. *Corde*. Hebræus addens præpoſitionem, & pronomen, pluraliter profert: In cordibus ſuis.

5. *In*. Non habetur in Hebræo, quod tamen ſubintelligi poteſt commode. *Obligationes*. Græcus στραγγαλιάς, quod pro doloſis tendiculis uſurpatur apud Heſychium. Hebræus addens pronomen, non longe aliter habet: Obliquationes ſuas, tortuoſitates; ideſt pravas actiones ſuas, ut bonis noceant; vel certe cum Noſtris ablativo: Declinantes (viam ſuam videlicet, mores, actiones proprias) tortuoſitatibus ſuis; qui deflectunt a via recta, connumerabuntur tandem cum improbis & ſceleratis hominibus: pravum, tortuoſum, & perverſum cor habentes, hypocritæ, verſuti homines ducentur in damnationem cum his, qui aperte malefici ſunt. Hic ſenſus purior, & fidelior eſt. *Adducet*. Hebræus addit pronomen de more linguæ, ut etiam ſupra ſecundo verſiculo: Eos. *Iniquitatem*. Hebræus genitivo: Cum operatoribus iniquitatis. *Pax ſuper Iſrael*. Conſumptis impiis, pax & felicitas iis, qui veri ſunt Iſraelitæ, ſit.



PSAL-

PSALMUS CXXVI. Lat. CXXV.

שיר חמעלות בשוב יהוה את שיבת ציון היינו כחלמים:	1. *Canticum graduum. In reducendo DOMINUS captivitatem Sion, fuimus ſicut ſomniantes.*	1. Canticum graduum. In convertendo DOMINUS captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.
אז ימלא שחוק פינו ולשוננו רנה אז יאמרו בגוים הגדיל יהוה לעשות עם אלה:	2. *Tunc replebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra ovatione, tunc dicent in gentibus, magnificavit DOMINUS ad faciendum cum iſtis.*	2. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exſultatione. Tunc dicent inter gentes, magnificavit DOMINUS facere cum eis.
הגדיל יהוה לעשות עמנו היינו שמחים:	3. *Magnificavit DOMINUS ad faciendum nobiſcum, fuimus lætantes.*	3. Magnificavit DOMINUS facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.
שובה יהוה את שבותנו כאפיקים בנגב:	4. *Reduc DOMINE captivitatem noſtram ſicut fluvios in auſtro.*	4. Converte DOMINE captivitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro.
הזרעים ברמעה ברנה יקצרו:	5. *Seminantes in lacrima, in ovatione metent.*	5. Qui ſeminant in lacrimis, in exſultatione metent.
הלך ילך ובכה נשא משך הזרע בא יבא ברנה נושא אלמתיו:	6. *Eundo ibit & flendo, portans tractum ſeminis; veniendo veniet in ovatione portans manipulos ſuos.*	6. Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina *ſua*: venientes *autem* venient cum exſultatione, portantes manipulos ſuos.

ANNOTATIONES.

Redemptionis futuræ gaudia ſibi ante oculos proponens, orat eleganti carmine, ut liberentur fideles per Chriſtum a captivitate. Martyribus etiam congruit. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcas velim.

1. *In convertendo.* Hebraiſmus. In reducendo, quando reduxit, revocavit. *Facti ſumus.* Sic Hebræus: Fuimus. *Sicut conſolati.* Translatio ſenſus. Hebræus: Sicut ſomniantes. Qui ſomniorum ſpecie delectati valde, neſciunt tamen, an vera, vel falſa videant: ſic nos adeo conſolati, lætatique ſumus noſtra reſtitutione, ut eam præ gaudio vix credentes, videremur verius ſomniare reditum, quam reipſa, & oculis uſurpare.

2. *Repletum eſt.* Hebræus futuro: Replebitur. *Gaudio.* Non longe aliter Hebræus: Riſu. *Exſultatione.* Hebræus: Ovatione, cantu. Nullius fere ponderis varietas. Os repleri riſu, & linguam ovatione, ſunt idiotiſmi ſatis noti. *Inter gentes.* Idem Hebræus: In gentibus. *Facere.* Sic Hebræus gerundio: Ad faciendum. *Cum eis.* Idem Hebræus: Cum iſtis. Magnifica-

ficare ad faciendum, idiotismus; ideſt, Magna & ingentia facere.

3. *Facere*. Hebræus iterum gerundio: Ad faciendum. *Facti ſumus*. Sic Hebræus: Fuimus.

4. *Converte*. Sic Hebræus: Reduc o Domine captivitatem noſtram, noſtros captivos. *Sicut torrens* Convertitur, reducitur. Idem prope Hebræus accuſativo plurali: Sicut fluvios rapidiſſimos. *In auſtro*. In terra auſtrali, arida, & ſiticuloſa, cui gratiſſimi & opportuniſſimi ſunt fluvii: ſic nobis hæc reductio erit ſuaviſſima, ac jucundiſſima. Conſule Theſaurum de his dictionibus.

5. *Qui ſeminant*. Sic Hebræus participio: Seminantes. Allegoria de profectione in exſilium & captivitatem, nec non de reditu ab exſilio, ab agricultura deſumpta. *In lacrimis*. Hebræus ſingulariter collective: In lacrima; flendo, flentes propter tempus ſationi incommodum, vel propter ſterilitatem ſoli, vel certe tandem propter incertitudinem futuri proventus. En profectionis in captivitatem allegoria. *In exſultatione*. Hebræus idem prope: In ovatione; cantu metunt, ob maximam proventus copiam. En lætitia reditus ab exſilio in patriam.

6. *Euntes ibant, & flebant*. Idem Hebræus ſingulariter, ſuis tropis, gerundio, & futuro: Eundo ibit, & flendo, ob cauſſas ſuperius dictas; nam eadem fere aliis verbis repetit. *Mittentes ſemina*. Translatio ſenſus. Hebræus ſingulariter: Portans tractum ſeminis; quod trahendo ſeminare vult. *Sua*. Ad declarationem additum. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Venientes venient*. Hebræus iterum gerundio, & ſingulari: Veniendo veniet. *Cum exſultatione*. Hebræus idem fere, ſuo tropo: In ovatione, cantu. *Portantes*. Hebræus ſingulari: Portans. Seminare in lacrima; & Portantem tractum ſeminis ire & flere, idem ſunt: ſicut & Metere in ovatione, &, Portantem manipulos venire cum cantu; quod notes.

PSALMUS CXXVII. Lat. CXXVI.

שיר המעלות לשלמה אם יהוה לא יבנה בית שוא ע עמלו בוניו בו אם יהוה לא ישמר עיר שוא שקד שומר :	1. *Canticum graduum Salomoni. Si DOMINUS non ædificabit domum, fruſtra laboraverunt ædificantes eam in ea: Si DOMINUS non cuſtodiet civitatem, fruſtra vigilavit cuſtos.*	1. Canticum graduum Salomonis. Niſi DOMINUS ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Niſi DOMINUS cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit *eam*.
שוא לכם משכימי קום מ מאחרי שבת אכלי לחם העצבים כן יתן לידידו שנא :	2. *Vanum vobis o prævenientes ſurgere, retardantes ſedere, edentes panis dolorum. Sic dabit dilecto ſuo ſomnum.*	2. Vanum *eſt* vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum;
הנה נחלת יהוה בנים שבר פרי הבטן :	3. *Ecce, hereditas DOMINI, filii; merces, fructus ventris.*	3. Ecce, hereditas DOMINI, filii; merces, fructus ventris.

כחצים ביד גבור כן בני הנעורים:	4. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii juventutum.*	4. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.
אשרי הגבר אשר מלא את אשפתו מהם לא יבשו כי ידברו את איבים בשער:	5. *Beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis; non confundentur, cum alloquentur inimicos suos in porta.*	5. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

ANNOTATIONES.

NEc familiam, nec urbem custodiri, nec victum, nec liberos haberi citra Dei favorem, elegantissime canit. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Salomonis.* Hebræus dativo: Salomoni. Jam sæpius dictum est, Lamed utrique casui deservire. *Nisi.* Idem Hebræus divisim: Si non. Idem & paullo post habes. *Ædificaverit.* Sic Hebræus futuro: Ædificabit. *Domum.* Proprie; vel familiam, & universa ad rem privatam, & domesticam pertinentia. Consule Thesaurum. *In vanum.* Sic Hebræus: Frustra, vane. *Qui ædificant eam.* Idem Hebræus participio: Ædificantes eam, ædificatores ejus. Addit insuper Hebræus aliud pronomen, In ea, quod ad verbum refertur. Vane laborant in ea, in domo construenda scilicet. *Custodierit.* Hebræus iterum futuro: Custodiet civitatem, rempublicam, salutem populi, cum tota politia. *Vigilat.* Quasi legerint Nostri, punctis immutatis, in præsenti participio שֹׁקֵד, Vigilans; quod nunc Hebræis est præteritum שָׁקַד, Vigilavit, egit excubias. *Qui custodit.* Idem Hebræus participio: Custodiens, custos. *Eam.* Ad declarationem additum.

2. *Est.* Ex sermonis consequentia subintellectum. *Ante lucem surgere, &c.* Suspicor, Nostros paucis quibusdam literis, & vocalibus immutatis, facillimo vocum transitu ita legisse, שָׁוְא לָכֶם מַשְׁכִּימִים קוּמוּ מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת, Vanum est vobis ante lucem surgentes; surgite, postquam sederitis, &c; ut sit ironia; quasi diceret, Surgite, ut experiamini, an vobis tanta diligentia & anxietas, Deo minus favente & propitio, sit profutura. Hebræus eodem fere sensu legit: Vanum (est) vobis o prævenientes, maturantes surgere (videlicet summo mane, vel ante lucem ad rem faciendam), retardantes sedere (tardissime pernoctantes, & labores ad multam noctem protrahentes), si Dominus (supple) vobis non affuerit; nam pendet ex superioribus hæc sententia. Maturare surgere, & Retardare sedere, sunt idiotismi pulcherrimi satis noti. Vide Thesaurum. *Qui manducatis panem.* Sic Hebræus participio: Edentes panis. *Doloris.* Hebræus pluraliter: Dolorum, anxietatum. Edere panem dolorum, est idiotismus per quam ornatus, pro, Labore & anxietate victum quærere (non lasciarsi far prò ne anche il mangiare). *Cum.* Videntur Nostri legisse כִּי, hoc sensu videlicet: Cum dederit dilectis suis somnum, eosque tamen bonis omnibus felicitaverit, & sine multa molestia & anxietate prosperaverit, tunc vestra studia esse irrita, & conatus vanos agnoscetis. Perinde ac si dicerent: Regnum Dei quærendum est primum, cetera mox adjicientur. Hebræus nunc legit כֵּן, Ita, sic, ad hunc modum. *Dederit.* Hebræus futuro: Dabit. *Dilectis suis.* Videntur Nostri legisse punctis vocalibus immutatis לִידִידָיו, quod nunc Hebræis est singulare לִידִידוֹ, Dilecto suo. *Somnum.* Idem Hebræus; vel abla-

lativo: Somno. Sic dabit dilecto suo, qui rerum mundanarum sollicitudine posthabita, primum quærit regnum cælorum. Opes, & liberos videlicet dabit somno, velut per somnum & quietem, contra id, quod vos opinamini, nempe cura, labore, & industria maxima ad hæc acquirenda opus esse. In hoc sensu, verba sunt vatis. Possunt etiam sollicitorum esse verba, sic e superioribus pendentia. Vanum & frustraneum vobis est, qui surgitis ante lucem, & sessionem retardatis, edentes panem dolorum (hoc videlicet, per mimesim, quod mente revolvitis continue dicentes,) in hunc modum dabit dilecto suo somnum, idest, quietem: Post labores, quies: Labore parta quietem tandem generant. Laborandum igitur maxima cura & sollicitudine, ut tandem quiescamus. Hoc falsum est, nihil enim succedet vobis, nisi Dominus affuerit, qui etiam sine ullo negotio vos fortunare potest. Non sollicitudo, sed Dominus ditat; ut Hebræa brevibus expediam. Ad hunc scopum omnes isti sensus tendunt.

3. Filios esse hereditatem Domini, & fructum ventris esse mercedem, sunt idiotismi explicantes illud superius positum vers. 1; vanum esse videlicet, hominem in procreandis liberis curam omnem impendere, nisi Dominus adsit, cujus hereditas filii sint, & fructus ventris (idest liberi) merces.

4. *Excussorum*. Radix hebræa plura significat. Consule Thesaurum. Nostrorum sensus est: Sicut sagittæ in manibus alicujus robusti sunt hostibus terribiles, sic filii excussorum, idest piorum vexatorum, & exagitatorum, sunt fortes & valentes; eos Deus juvat, ac roborat, nec deserit. Hebræus נְעוּרִים, Juventutum exponit. Filii juventutum, vel pueritiarum sunt, quos in juventute susceperis. Hos, velut hereditatem Domini, mercedemque parentibus esse, quales sagittæ sunt in manu robusti, testatur Vates; idest hostibus terribiles & formidandos, parentibus autem securitatem non minimam afferentes; quod apertius declarat in sequenti versiculo: licet Genebrardo minus salse, frigidus sit iste sensus, & vere Rabinicus.

5. *Vir qui implevit desiderium suum*. Translatio sensus. Idest, qui multos procreaverit filios, & his domum impleverit, ut omnium fere vota sunt. Hebræus pergit in metaphora sagittarum: Pharetram suam. Idest, domum suam. *Confundetur*. Hujusmodi vir. Hebræus pluraliter: Non confundentur. Pater & liberi. Sic etiam Græcus. *Cum loquetur*. Hebræus iterum plurali: Cum alloquentur. Sic & Græcus. *Inimicis suis*. Hebræus accusativo, & sine pronomine: Hostes. *In porta*. Palam, & publice; nam in portis congregabatur populus antiquitus ad agenda quamplurima. Consule Thesaurum. Pater defendetur a liberis in litibus, quæ solent in portis disceptari, & in omnibus aliis rebus molestiam aliquam ei afferentibus. Græcus pariter habet, in portis.



PSAL. CXXVIII. Lat. CXXVII.

שיר המעלות אשרי כל ירא יהוה ההלך בדרכיו :	1. *Canticum graduum. Beatus omnis timens DOMINI, ambulans in viis ejus.*	1. Canticum graduum. Beati omnes, qui timent DOMINUM, qui ambulant in viis ejus.
יגיע כפיך כי תאכל אשריך וטוב לך :	2. *Laborem volarum tuarum quia manducabis, beatus tu, & bonum tibi.*	2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.
אשתך כגפן פוריה בירכתי ביתך בניך כשתילי זיתים ס סביב לשלחנך :	3. *Uxor tua ficut vitis fructifera in lateribus domus tuæ ; filii tui ficut plantulæ olivarum, circuitus menfæ tuæ.*	3. Uxor tua, ficut vitis abundans, in lateribus domus tuæ ; filii tui, ficut novellæ olivarum, in circuitu menfæ tuæ.
הנה כי כן יברך גבר ירא יהוה :	4. *Ecce fic benedicetur vir timens DOMINI.*	4. Ecce fic benedicetur homo, qui timet DOMINUM.
יברכך יהוה מציון וראה בטוב ירושלם כל ימי חייך :	5. *Benedicet te DOMINUS ex Sion, et vide in bono Jerufalem omnibus diebus vitæ tuæ.*	5. Benedicat tibi DOMINUS ex Sion, & videas bona Jerufalem omnibus diebus vitæ tuæ.
וראה בנים לבניך שלום על ישראל :	6. *Et vide filios filiis tuis, pacem fuper Ifrael.*	6. Et videas filios filiorum tuorum, pacem fuper Ifrael.

ANNOTATIONES.

QUæ bona, hujus etiam vitæ, confequantur cultores Domini, carmine decantat elegantiffimo. Diftinctionum varietates ex temetipfo recognofcas velim.

1. *Beati omnes*. Hebræus fingulariter, collective: Beatus omnis. *Qui timent Dominum*. Idem Hebræus participio fingulari: Timens Domini. *Qui ambulant*. Hebræus iterum fingulari participio: Ambulans, qui ambulat. Ambulare in viis Domini, eft idiotifmus, de quo alibi fæpius, & in Thefauro.

2. *Labores*. Hebræus idem fingulari: Laborem. *Manuum*. Sic Hebræus: Palmarum, volarum tuarum. *Quia*. Cauffativa, rationem reddens. Ex hoc cultu fiet, ut quiete fruaris iis rebus, quas paraveris. Vel conditionalis, ad fequentia fe extendens: Cum manducaveris labore parta, beatum te effe reputa. Pauciffimis quidem datur, ut partis frui poffint. Particula כי varie fumitur, ut fæpius diximus. Græcus illam reticet. Edere laborem manuum, eft idiotifmus elegans; ideft, bonis labore manuum partis, laborum fructibus frui. *Es*. Idem Hebræus pronomine: Tu. *Bene*. Non aliter Hebræus nomine: Et bonum tibi. Supple, eft, vel erit.

3. *Abundans*. Filiis videlicet. Translatio fenfus. Hebræus: Fructifera, fructificans, filios copiofe procreans, non fterilis. *In lateribus*. In interioribus,

&

& penetralibus domus tuæ, non foris, ut impudicæ, quæ vagæ, & instabiles esse solent. *Novellæ*. Germina pullulantia, semperque florentia. Idem Hebræus: Plantulæ, surculi olivarum. Filios genuinos, non spurios, ex uxore suscipies, quemadmodum & olivarum plantulæ a parentibus degenerare non possunt. *In circuitu*. Sic Hebræus nomine, quod etiam adverbialiter usurpari diximus: Circuitus (Supple, sunt); vel circum tuam mensam, coronam tibi facientes, ut tuos nutus observent. *Mensæ tuæ*. In Hebræo est dativi casus de more linguæ.

4. *Homo*. Hebræus: Vir. Minima varietas. *Qui timet Dominum*. Hebræus idem participio: Timens Domini, qui reveretur & colit Dominum. *Ecce sic benedicetur*. Ad hunc modum locupletabitur, beatus reddetur, habens hæc bona, quæ supra diximus. Vel certe verba hæc se extendunt ad sequentia: Alii omnes ei bona & felicia semper optabunt hisce verbis: Benedicat tibi Dominus ex Sion, &c. Hic sensus purior & fidelior est. Verbum hebraicum verbis tantum, & reipsa benedicere significat. Consule Thesaurum.

5. *Benedicat*. Idem Hebræus futuro: Benedicet, bona conferet. Verba vatis, vel certe omnium, qui timentem Domini benedicant. *Tibi*. Hebræus accusativo: Te. *Videas*. Hebræus idem imperativo: Et vide. *Bona*. Hebræus addens præpositionem In, de more linguæ, singulariter collective exprimit: In bono Jerusalem, prosperitatem, & restitutionem ejus per Christum. Videre in bono, idiotismus, pro Videre & frui.

6. *Et videas*. Hebræus iterum imperativo: Et vide. *Filiorum tuorum*. Idem Hebræus dativo, de more linguæ: Filiis tuis. Ut diutissime vivas. *Pacem*. Et pacem. Posses etiam interpretari: Pax (supple, sit) super Israel. Ut sit bona imprecatio vatis, quemadmodum etiam supra Psal. 125. 5; quod parum, vel nihil refert.

PSAL. CXXIX. Lat. CXXVIII.

שיר המעלות רבת צררוני מנעורי יאמר נא ישראל:	1. *Canticum graduum. Multum afflixerunt me a juventutibus meis, dicet obsecro Israel.*	1. Canticum graduum. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.
רבת צררוני מנעורי גם לא יכלו לי:	2. *Multum afflixerunt me a juventutibus meis, etiam non potuerunt mihi.*	2. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.
על גבי חרשו חרשים ה האריכו למענותם:	3. *Supra dorsum meum araverunt arantes, prolongaverunt sulco suo.*	3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.
יהוה צריק קצץ עבות ר רשעים:	4. *DOMINUS justus concidit funem injustorum.*	4. DOMINUS justus concidet cervices peccatorum.

5. Con-

יבשו ויסגו אחור כל שנאי ציון :	5. *Confundentur, & recedent retro omnes osores Sion.*	5. Confundantur, & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.
יהיו כחציר גגות שקדמת שלף יבש :	6. *Erunt sicut fœnum tectorum, quod priusquam evaginavit, exaruit.*	6. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.
שלא מלא כפו קוצר וחצנו מעמר :	7. *Quòd non implevit volam suam metens, & sinum suum manipulans.*	7. De quo non implevit manum suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit.
ולא אמרו העברים ברכת יהוה אליכם ברכנו אתכם בשם יהוה :	8. *Et non dixerunt prætereuntes, benedictio DOMINI ad vos, benediximus vos in nomine DOMINI.*	8. Et non dixerunt, qui præteribant; Benedictio DOMINI super vos, benediximus vobis in nomine DOMINI.

ANNOTATIONES.

EX multis afflictionibus erepta Ecclesia Dei ope, dulcissimo carmine gratias agens recenset eas, & precatur, ut sui hostes dent pœnas. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Sæpe*. Hebræus idem fere: Multum. *Expugnaverunt*. Hebræus. Oppugnaverunt, afflixerunt me. *A juventute*. Vox hebræa est pluralis numeri natura: A juventutibus meis. Ab Ægypto; vel etiam a temporibus Abel. *Dicat*. Hebræus futuro: Dicet. Post redemptionem scilicet. *Nunc*. Vox hebræa est blandientis, & obsecrantis particula: Amabo, obsecro.

2. *Sæpe, &c.* Eadem verba ad exaggerationem repetita per Anadiplosin. *Etenim*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Etiam, sed. Posse alicui, est idiotismus; idest, prævalere.

3. *Fabricaverunt*. Supple, iniqua & gravia, per hypozeugma. Verbum hebræum, fabricare, & arare significat. Nostri in priori sensu, Hebræus in secundo sumit: Araverunt. *Peccatores*. Translatio sensus. Nisi malles, Nostros Heth in Ain mutato, & transposito, legisse רְשָׁעִים, quam dictionem semper fere Peccatores interpretantur. Hebræus habet חֹרְשִׁים, Arantes. Sic tyrannos appellat. Arare supra dorsum alicujus, idiotismus pulcherrimus de contumeliis iniquis, & verberationibus, deque sui iniqua servitute. Potes autem intelligere, arare supra dorsum active, licet metaphorice, vel dorso alterius ad arandum uti; quod magis placet. Nostrorum etiam idiotismus non minoris elegantiæ est, Fabricare supra dorsum; quem notes. *Iniquitatem suam*. Suspicor, Nostros detracto Mem, & literis transpositis, facillimo vocis transitu legisse לַעֲוֹנֹתָם, Iniquitatibus suis; vel certe sine transpositione לעונותם. Nisi malles cum Genebrardo, eos etiam hic locutionem metaphoricam in propriam convertisse. Hebræus nunc dativo legit לְמַעֲנִיתָם, Sulco suo. Prolongare sulco, idiotismus; idest sulcum producere, ut prolixior sit ærumna. Idest, in longum tempus extenderunt, & maximas reddiderunt iniquas suas oppugnationes. Sulcus tyrannidem, & injuriam summam exprimit.

4. *Concidet*. Hebræus præterito; nam

nam redemptionis tempus sibi proponit: Concidit, incidit, abscidit. *Cervices*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum, nec valeo conjectare, quid legerint. Hebræus nunc habet: Funes, lora; Vel arantium supra dorsum meum, vel certe, quæ mihi aranti imposuerant. E cervicibus impiorum juga abrupit, ut illa super dorsum meum exaratio desineret, vel eorum jugum amovit a me. Pergit in tropo rustico. *Peccatorum*. Ut Nostri transtulerunt. Hebræus: Injustorum.

5. *Confundantur*. Hebræus idem futuro: Confundentur, excident sua spe. *Convertantur*. Non longe aliter Hebræus futuro: Retrocedent, recedent retro. *Qui oderunt*. Hebræus idem participio: Odientes, osores Sion.

6. *Fiant*. Hebræus futuro: Erunt sicut. *Fœnum*. Gramen tectorum, quod propter loci ariditatem ardore solis exarescit, antequam ad justam magnitudinem perveniat. *Evellatur*. Translatio sensus. Idest, antequam tempus evellendi congruum adsit, ante maturitatem. Hebræus præterito, & suo loquendi tropo: Antequam evaginavit; idest, antequam totum culmum protulit. Ita fiebat fere in Palæstina, ubi tecta erant plana, & ardor solis vehementissimus. Sic osores Sion tollantur de medio, & immatura morte intereant.

7. *De quo*. Fœno. Hebræus conjunctione, suo tropo: Quod non, &c. *Qui metet*. Hebræus idem participio: Metens, messor. *Qui manipulos colligit*. Sic Hebræus participio: In manipulos colligens, manipulans (ut ita dicam docendi gratia), manipulos faciens. Quasi dicat: Nec meti, nec colligi potest; tam est inutile, & infelix. Sic pereant osores Ecclesiæ quam celerrime, & infelicissime.

8. *Qui præteribant*. Idem Hebræus participio: Prætereuntes. Describit morem prætereuntium, qui duobus modis bene precari solent operatoribus hisce verbis: Benedictio Domini sit super vos; vel, Benediximus vobis in nomine Domini. Hoc est; prospere eveniat hæc seges (vel aliud quodvis opus) Domini beneficio vobis. Vel alio modo sic: Optamus vobis felicem a Domini benignitate, messem; & hujusmodi. Has felices precationes nullus prætereuntium dicit messoribus fœni tectorum, vel quod non metatur, neque colligatur; vel quod pudore suffecti ob illius infelicitatem silentio prætereant. Quasi dicat: Quod indignum est tali bona precatione. Genebrardus aliud nescio quid docet, quem, si libet, videas. *Super*. Hebræus idem, suo loquendi modo: Ad vos. *Vobis*. Hebræus accusativo: Vos.



PSALMUS CXXX. Lat. CXXIX.

שיר המעלות ממעמקים קראתיך יהוה׃	1. *Canticum graduum. De profundis vocavi te DOMINE.*	1. Canticum graduum: De profundis clamavi ad te DOMINE.
אדני שמעה בקולי תהיינה אזניך קשבות לקול תחנוני׃	2. *Domine audi in vocem meam, erunt aures tuæ attentæ voci supplicationum mearum.*	2. Domine exaudi vocem meam, fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
אם עונות תשמר יה אדני מי יעמד׃	3. *Si iniquitates observabis Domine, Domine quis stabit?*	3. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?
כי עמך הסליחה למען תורא׃	4. *Quia tecum propitiatio, ut timeberis.*	4. Quia apud te propitiatio *est*, & propter legem *tuam*
קויתי יהוה קותה נפשי ולדברו הוחלתי׃	5. *Exspectavi DOMINUM, exspectavit anima mea, & verbo ejus exspectavi.*	5. sustinui *te* DOMINE. Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit
נפשי לאדני משמרים לבקר שמרים לבקר׃	6. *Anima mea Domino, a custodiis mane observantibus mane.*	6. anima mea in DOMINO. A custodia matutina usque ad noctem
יחל ישראל אל יהוה כי עם יהוה החסד והרבה עמו פדות׃	7. *Exspectabit Israel ad DOMINUM, quia cum DOMINO pietas, & multum cum eo redemptio.*	7. speret Israel in DOMINO. Quia apud DOMINUM misericordia, & copiosa apud eum redemptio.
והוא יפדה את ישראל מכל עונותיו׃	8. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*	8. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

ANNOTATIONES.

PEccatorum veniam anxie se desiderare, stylo decantans elegantissimo, redemptionem per Christum fidelibus exspectandam insinuat. Varius satis est Vulgatus ab Hebræo, tam distinctionum, quam sententiarum, ut vides, varietate, cujus caussas, Deo favente, nos in medium proferre conabimur.

1. *De profundis*. Locis videlicet, de profunditatibus; hoc est, de locis calamitosis, & infelicibus, & de peccatorum abyssis; quarum omnium rerum valles, profunditatesve symbola sunt. Se quasi positum in quibusdam profunditatibus, Deum altissimum invocantem fingit. *Ad*. Non habetur in Hebræo, sed tantum Clamavi, vocavi te.

2. *Exaudi*. Pro simplici Audi positum. *Vocem*. Hebræus addit In, de more linguæ. *Fiant*. Idem Hebræus futuro: Erunt. *Intendentes*. Attentæ, ut audiant, auscultantes. *In vocem*. Sic Hebræus dativo: Voci. *Deprecationis meæ*. Non longe aliter Hebræus, sed plurali: Supplicationum mearum. Preces meas supplices audias velim.

3. *Ob-*

3. *Observaveris*. Hebræus futuro: Observabis; ut punias. Servare iniquitatem, est Antitheton verbi Dimittere. *Sustinebit?* Non longe aliter Hebræus: Stabit, consistet, ut pœnas inflictas ob peccata sustineat; quasi dicat, nullus. Esto igitur misericors, non tantum judex.

4. *Apud te*. Sic Hebræus: Tecum. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Et*. Non habetur in Hebræo, quod additum a Nostris aliam reddit sententiam. Græcus etiam id reticet. *Legem*. Nostri dubio procul punctis immutatis, & Aleph in He converso, legerunt תּוֹרָה, legem, Tuam addentes de suo ad declarationem; idest, Propter legis tuæ promissiones te exspectavi, nam hæc sequentibus conjungunt. Hebræi autem nunc sententiam hic terminant, legentes תִּוָּרֵא, ut timeberis, ut timearis. Necessario, inquit, misericors & propitius esse debes; nam alioquin mortales te non timerent, neque colerent spem veniæ non habentes. Frustra siquidem id facerent, Deum inexorabilem reverentes, & pie colentes. Nunc timeris merito, idque propter hanc tuam propitiationem peccatorum solitam; nam verentur, ne iratus obduratis, & iniquitates non confitentibus dimittas. Timor autem est reverentia & pietas erga Deum, cum metu offendendi ipsum.

5. *Sustinui*. Non aliter fere Hebræus: Exspectavi, & animo & corpore. *Te*. Ad declarationem a Nostris additum, & ob id vocativo transferunt, Domine. Hebræus nunc accusativo: Exspectavi Dominum, nempe misericordem, & propitium ob caussas suprascriptas. *Sustinuit*. Exspectavit (ut supra) anima mea. Supple, Dominum, per zeugma. Nostri conjungunt sequentibus: Sustinuit in ejus verbo, exspectavit patienter promissam pœnitentibus gratiam. *In verbo ejus*. Hebræus conjunctionem addens, & dativo proferens aliam sententiam reddit: Et verbo ejus exspectavi. Sustinui, inquit, Dominum, consentiente etiam anima, idest mente, & intellectu meo, idque non solum ex me ipso, sed propter dicta & promissiones divinas de venia precantibus, & ad Deum confugientibus datas. *Speravit*. Quasi legerint Nostri non admodum difficili vocis transitu, paucis immutatis הוֹחִילָה, sequentibus sic verbum connectunt, Speravit anima mea in Domino; quod nunc Hebræis est prima persona præcedentibus conjuncta, prout diximus: Et verbo ejus exspectavi, animo & corpore. Videntur autem Nostri hos versus sic distinctos legisse,

כִּי עִמְּךָ הַסְּלִיחָה וּלְמַעַן תּוֹרָה קִוִּיתִי יְהוָֹה׃
קִוְּתָה נַפְשִׁי לִדְבָרוֹ הוֹחִילָה נַפְשִׁי לַאדֹנָי׃
מִמְּשֹׁמְרִים וגו׳

Quæ distinctiones varias generant sententias, licet non admodum inter se differentes. Maximam sane in Deo spem se collocare, vates asserit.

6. *In Domino*. Hebræus dativo, quem Nostri præcedenti verbo connectunt, ut diximus: Speravit anima mea Domino, in Domino fidit. Hebræus nunc sententiam hic incipit: Anima mea Domino. Supple, est intenta; vigilat, observat eum, tota in eum incumbit. Idiotismus pulcherrimus. *A custodia*. Abstractum pro concreto. Sic Latinis: sed pretium si grande feras, custodia victa est. Nisi malles cum Genebrardo, Nostros, punctis immutatis, legisse מִשְּׁמָרִים. Sed hoc nihil est necesse. Hebræus plurali: A custodiis, vigilibus, custodientibus. Hebraica præpositio varie sumitur, ut in rebus Grammaticis docuimus, & hinc varii sensus exoriuntur. Nostrorum sensus videtur esse, quod Israel debeat sperare in Domino a crepusculo, quo excubitores incipiunt vigilare, usque ad alterum crepusculum matutinum, quo aiii succedunt; idest semper: vel, Præ excubitoribus; hoc est, magis speret in Domino, quam in custodibus matutinis, quantumvis diligentibus, & prævenientibus lucem. Hebræus vero sic: Anima mea (est intenta) Domino, a custodiis, magis

gis quam custodes matutino tempori, qui lucem avidissime exspectant, ut post vigilias quieti se dent. Nam ad hanc matutinum tempus exspectandi diligentiam ostendendam, per Epizeuxin repetitione usus est, ut aliis omnibus fere placet. Vel, Anima mea Domino, ex custodiis. Supple, est. Ad instar unius custodiarum videlicet, se habet. *Matutina*. Hebræus dativo: Ipsi mane. Lamed, ut sæpius diximus, genitivo, & dativo servit. *Usque ad noctem*. Suspicor, Nostros aliter legisse, quam nunc Hebræus, nec valeo conjectare, quid legerint. Nisi malles Hebræis, ut diximus, per Epizeuxin esse repetitionem: A custodiis matutinis; custodiis (inquam) matutinis. Verum hoc mihi non satis omni ex parte facit. Ob id arbitror, vatem aliud nobis significare voluisse. Excubitorum duo sunt genera; nam alii certo loco stantes, muros custodiunt, alii vero frequenter circumeunt, vigiles ipsos, ne dormiant, excitantes. Hos *Ronde*, illos vero *Sentinelle* vulgus militum vocat. Primi muros custodiunt, ipsos autem vigiles, secundi; primi vigilantes, secundi vigilantissimi esse debent. Post multam vigiliam graviori somno corripiuntur homines, quod maxime accidit vigilibus matutino tempore. David igitur animæ suæ vigilantiam, non omnium excubitorum, sed eorum, qui vigiles ipsos observant, vigilantiæ comparat, quod hujusmodi vigilantiores sint; quasi diceret, Anima mea eos etiam vigiles, qui alios, ne dormiant, observare solent, sollicitudine, cura, & vigilantia superat, & sic repetitionem vitabimus. Erunt autem duo idiotismi sensu differentes, licet verbis iisdem, satis ornati, Custodire ipsi mane, idest matutino tempore, & Ipsum tempus matutinum observare; quos notes etiam atque etiam velim. Tunc versiculum sic interpretabimur: Anima mea (est intenta) Domino, a custodientibus ipsi mane (magis quam custodientes matutino tempore) custodientes ipsi mane; hoc est, matutinum tempus exspectantes. Idiotismi sunt hujusmodi. Custodire ipsi mane custodientes ipsi mane. Vigiles observant matutinum tempus, ut dormitum eant, & alii vigiles eos observant eo tempore, ne dormiant. Summam autem vigilantiam exprimunt. Hæc interpretatio, licet nostra, videtur esse purior, & fidelior.

7. *Speret*. Nostri conjungunt superioribus, ut vidimus. Hebræus hic incipit sententiam, & futuro profert: Exspectabit, exspectet animo & corpore. *In Domino*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Ad Dominum. *Apud Dominum*. Sic Hebræus: Cum Domino. *Misericordia*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietas, benignitas, officium. *Copiosa*. Non aliter Hebræus: Multa, vel multum; nam הַרְבֵּה sæpius adverbialiter usurpatur. *Apud eum*. Hebræus iterum, ut supra: Cum eo. *Redemptio*. Liberatio, defensio, salvatio.

8. *Redimet*. Liberabit, eruet ab omni vitio, impuritate, & scelere: pretio, & merito sanguinis Christi.



GRA-

GRADUS DECIMUS QUARTUS.

PSALMUS CXXXI. Latinis CXXX.

שיר המעלות לדוד יהוה לא גבה לבי ולא רמו עיני ולא הלכתי בגדלות ובנפלאות ממני׃	1. *Canticum graduum Davidi. DOMINE non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, & in mirabilibus a me.*	1. Canticum graduum David. DOMINE non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, *ne*que in mirabilibus super me.
אם לא שויתי ודוממתי נפשי כגמל עלי אמו כגמל עלי נפשי׃	2. *Si non adæquavi, & compescui animam meam, sicut ablactatum super matre sua? Sicut ablactatus super me anima mea.*	2. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatus *est* super matre sua, ita retributio in anima mea.
יחל ישראל אל יהוה מעתה ועד עולם׃	3. *Exspectabit Israel ad DOMINUM ex nunc, & usque* ad *seculum.*	3. Speret Israel in DOMINO, ex *hoc* nunc, & usque *in* seculum.

ANNOTATIONES.


HUmilitatem, & modestiam suam, tamquam sacrificium longe gratissimum, elegantissimis carminibus, licet brevibus, Deo offert, & proponit. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *David*. Dativi casus, vel etiam genitivi; nam Lamed utrique deservire, sæpius vidimus. Cor exaltari, & Oculos elevari, superbiam animi, & vitæ, idest interiorem, & exteriorem denotat. Ambulare in magnis, est Conari ea, quæ vires & statum excedunt. *Neque in mirabilibus*. Hebræus sola conjunctione, licet negativa præcedens de more linguæ repetenda sit: Et (non) in mirabilibus. Ambulare in mirabilibus, est Scrutari arcana vim ingenii superantia. *Super me*. Idem Hebræus: A, præ me, supra meum captum, & vires.

2. *Humiliter sentiebam*. Translatio sensus. Nam Nostri videntur, punctis immutatis, legisse in Cal שָׁוִיתִי, Adæquatus, ad æqualitatem redactus sum, me composui. Hanc æqualitatem Nostri humilitatem vocant. Nunc Hebræis est ex pihel שִׁוִּיתִי, Adæquavi, ad æqualitatem & modestiam redegi. *Sed*. Nostri Vav adversative nunc interpretantur, quod aliquando fieri non absurdum est. Hebræis autem est conjunctio simplex: Et. *Exaltavi*. Nostri procul dubio Daleth in Resc mutato, quæ literæ præ similitudine confunduntur facillime, legerunt וְרוֹמַמְתִּי, quod nunc Hebræis est וְדוֹמַמְתִּי, & silere feci, compescui animam meam. *Ablactatus*. Nostri nominativo transferunt, quod hic sententiam incipiant; & ob id ex sermonis consequentia verbum *Est* subintelligunt,

gunt, & ad primam partem versus per Hyperbaton referre videntur: Si non humiliter sentiebam sicut ablactatus super matre, apud matrem. Hebræus autem verbis connectit præcedentibus sic: Si non adæquavi, & compescui animam meam tamquam ablactatum super matre sua. Sicut ablactatus a matre pendet, & ad eam semper revertitur, talem reddidi meam animam, nempe obedientem, & parentem mihi in omnibus. *Ita retributio in anima mea.* Nostri punctis vocalibus immutatis legerunt כְּגָמוּל עָלַי נַפְשִׁי, sicut retributio super anima mea; ut sit idiotismus solitus per Hyperbaton, quo in rebus comparandis utuntur Hebræi, prout docuimus in Thesauro. Est insuper enunciationis hypotheticæ redditio: Sicut ablactatus, sicut retributio. Hoc est, si non reddidi animam meam obedientem mihi, tanquam ablactatum matri; si non demisse sensi videlicet, sed elato fui animo, sic retributio mihi fiat, &. elationis mercedem mihi Deus rependat. Hebræus nunc legit כְּגָמֻל עָלַי נַפְשִׁי, Sicut ablactatus (supple, est) super me anima mea. Hoc est, parens in omnibus; ut sit repetitio, & veluti præcedentium expositio, & responsionis confirmatio. Non enim hoc loco nunc Hebræis est hypothetica enunciatio, & Ecliptica, prout Genebrardus vellet, sed interrogativa sententia confirmans præcedentem: particulæ enim אִם לֹא ponuntur aliquando hypothetice & conditionaliter per Eclipsin satis ornate sic: Si non fui, tamquam ablactatus, humilis. Supple, frustrer mea spe, male peream, vel aliud quid simile. Frequentius tamen, & elegantius ponuntur interrogative, *ut* הֲלֹא videlicet æquipollentes: Si non; hoc est, nonne? quasi diceres, certe, siquidem, & hujusmodi; & tunc non est opus eclipsibus. Humilem & modestum se in primo versiculo esse dixerat, quod hic confirmat, inquiens: Si non (nonne) adæquavi, & compescui animam meam, sicut ablactatum super matre sua? Sicut ablactatus, (est) super me anima mea. Ablactati similitudine mores suos humiles, & modestos exprimit: infans enim vix dum a mammis depulsus, humilis & verecundus conquiescit super matris gremio, & ab ea exspectat omnia, quod sine ejus adminiculo pedibus insistere non valeat. Sic Davides animum sibi parentem, non fastuosum & superbum gerebat. Hæc interpretatio ex linguæ puritate & simplicitate proficiscitur, ut doctiores non latere puto.

3. *Speret*, *&c.* Dimidium versiculi ex præcedentis psalmi vers. 7 desumptum est. Alteram etiam partem ex aliis psalmis desumptam scias, ut ex Psal. 113. 2, & aliunde. Ex his locis varietates, quæ sunt in hoc versiculo velim repetas. Fideles, ut exemplo suo omnem salutis spem in Deo ponant, hortatur.



PSAL-

PSAL. CXXXII. Lat. CXXXI.

שיר המעלות זכור יהוה לדוד את כל ענותו :	1. *Canticum graduum. Memento DOMINE Davidi omnis afflictionis ejus.*	1. Canticum graduum. Memento DOMINE David, & omnis mansuetudinis ejus.
אשר נשבע ליהיה נדר ל לאביר יעקב :	2. *Qui juravit DOMINO, vovit præpotenti Jacob.*	2. Sicut juravit DOMINO, *votum* vovit Deo Jacob.
אם אבא באהל ביתי אם אעלה על ערש יצועי :	3. *Si veniam in tabernaculum domus meæ, si ascendam super lecto strato-rum meorum.*	3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.
אם אתן שנת לעיני לעפעפי תנומה :	4. *Si dabo somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem.*	4. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & *requiem temporibus meis*:
עד אמצא מקום ליהיה מ משכנות לאביר יעקב :	5. *Donec inveniam locum DOMINO, tabernacula præpotenti Jacob.*	5. Donec inveniam locum DOMINO, tabernaculum Deo Jacob.
הנה שמענוה באפרתה מ מצאנוה בשדי יער :	6. *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ.*	6. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ.
נבואה למשבנותיו נשתחוה להדם רגליו :	7. *Veniemus tabernaculis ejus, adorabimus scabello pedum ejus.*	7. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.
קומה יהוה למנוחתך אתה וארון עזך :	8. *Surge DOMINE quieti tuæ, tu, & arca fortitudinis tuæ.*	8. Surge DOMINE in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ.
כהניך ילבשו צדק וחסידיך ירננו :	9. *Sacerdotes tui induentur justitia, & pii tui ovabunt.*	9. Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exsultent.
בעבור דוד עבדך אל תשב פני משיחך :	10. *Propter David servum tuum, ne facies redire facies Christi tui.*	10. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.
נשבע יהוה לדוד אמת לא ישוב ממנה מפרי בטנך אשית לכסא לך :	11. *Juravit DOMINUS Davidi veritatem, non redibit ab ea, de fructu ventris tui ponam sedi tibi.*	11. Juravit DOMINUS David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
אם ישמרו בניך בריתי ו ועדותי זו אלמדם גם בניהם עדי עד ישבו לכסא לך:	12. *Si custodient filii tui testamentum meum, & obtestationem meam hanc, docebo eos; etiam filii eorum usque usque sedebunt sedi tibi.*	12. Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, *quæ* docebo eos; et filii eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam.

13. Quo-

כי בחר יהוה בציון אוה למושב לו :	13. *Quoniam elegit DOMINUS in Sion, desideravit habitationi sibi.*	13. Quoniam elegit DOMINUS Sion, elegit *eam* in habitationem sibi.
זאת מנוחתי עדי עד פה אשב כי אויתיה:	14. *Hæc requies mea usque usque; hic sedebo, quoniam desideravi eam.*	14. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.
צידה ברך אברך אביוניה אשביע לחם:	15. *Annonam ejus benedicendo benedicam, pauperes ejus saturabo pane.*	15. Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.
וכהניה אלביש ישע וחסידיה רנן ירננו :	16. *Et sacerdotes ejus induam salute, & pii ejus ovando ovabunt.*	16. Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exsultatione exsultabunt.
שם אצמיח קרן לדוד ערכתי נר למשיחי :	17. *Illic florere faciam cornu Davidi, instruxi lucernam Christo meo.*	17. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.
אויביו אלביש בשת ועליו יציץ נזרו :	18. *Inimicos ejus induam confusione, & super ipsum efflorebit corona ejus.*	18. Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

ANNOTATIONES.

Templo jam ædificato, Fideles Deum carminibus dulcissimis obsecrant, ut votis eorum favens Christum etiam exhibeat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *David*. In Hebræo dativi casus est. *Et*. Non habetur in Hebræo, quod additum a Nostris, alium efficit sensum. *Mansuetudinis*. Nostri procul dubio punctis vocalibus immutatis legerunt עַנְוָתוֹ, Mansuetudinis, modestiæ ejus. Memento, inquit, Davidis, memento mansuetudinis ejus. Nunc Hebræus legit in accusativo עֻנּוֹתוֹ, omnem afflictionem ejus, idiotismo satis ornato. Recordari aliquid alicui, est, In bonum vel malum ipsius illud vertere. Hic in bonum. Recordare, inquit, Domine Davidi omnem afflictionem ejus; hoc est, rationem habe, idque in bonum ipsius David, malorum quæ perpessus est plurima, tam ut cultum tuum instauraret, & amplificaret, quam ut locum cultus tui constitueret, ac stabiliret.

2. *Sicut*. Nostris אֲשֶׁר positum est vice כַּאֲשֶׁר, quod non est penitus absurdum: Sicut, David scilicet. Hebræus eodem sensu: Qui (David) juravit. *Votum*. Ad declarationem additum. *Deo*. Translatio sensus. Hebræus: Potenti, prævalido, Deo scilicet. Cujus juramenti & voti verba sequuntur per mimesin. Supple, dicendo.

3. *Si*. Formula jurandi negationem includens perquam eleganter, Hebræis consueta. Si faciam hoc; idest, non faciam equidem. Genebrardus locutionem imperfectam esse putat, & supplendum, peream, moriar, vel quid simile; quod non placet, cum mala imprecari nobis ipsis non debeamus. *Introiero*. Idem Hebræus futuro: Si veniam. Non introibo videlicet. *Ascendero*. Hebræus iterum futuro: Ascendam. *In lectum*. Hebræus: Super lectum. Vulgo Lettiera. Nullius momenti varietas. *Strati mei*. Hebræus idem pluraliter: Stratorum meorum.

4. *Dedero*. Sic Hebræus futuro: Da.

Dabo. *Et*. Non habetur in Hebræo. Dare somnum oculis, dormitationem palpebris, sunt idiotismi satis ornati, licet manifesti. *Et requiem temporibus meis*. A Nostris ad auxesin additum, ob ingentem Davidis ardorem ad istud perficiendum. Lege sacras historias.

5. *Inveniam*. Futuri temporis in Hebræo. *Tabernaculum*. Hebræus pluraliter: Tabernacula. Plures erant Templi partes. *Deo*. Hebræus ut supra vers. 2: Prærpotenti; Deo scilicet.

6. *Eam*. Dubitatur a multis, ad quid referendum sit hoc pronomen. Genebrardo est enallage generis, habita ratione æquipollentis substantivi, nam Davidis adhuc esse verba per mimesin is arbitratur: Eam sedem, habitationem, ædem, mansionem, pro, Eum locum, vel id tabernaculum. Chrysostomus ad arcam, & Augustinus ad requiem Dei referunt, ut sit relativum sine antecedente, vel antecedenti præpositum. Verum, quid sit, Audire eam in Ephrata, satis dubium, in quo eluendo laborat quidem multum Genebrardus, sed fortasse frustra, nam ejus rationes haud validæ sunt, ut facile patet intuentibus; nam Templum constat fuisse constructum in Tribu Benjamin. Consule Thesaurum nostrum. Ego arbitror verba esse populi. Juramentum hebraice dicitur שְׁבוּעָה, quod fœminini generis est. Ait ergo populus: Ecce audivimus eam שְׁבוּעָה, illud juramentum ante dictum, in Ephrata, ubi factum fuit a Davide, nempe in ædibus paternis: invenimus porro eam שְׁבוּעָה, illud ipsum juramentum (adimpletum videlicet) in campis silvæ; Hierosolymis in area Arunnæ Jebusæi silvosa, & nemorosis arboribus consita, illic Templum exstructum comperimus. Vel certe pronomen illud fœmininum positum est pro neutro, quo carent Hebræi, ut sæpius fit in hac lingua: Audivimus eam; idest, illud, quod hactenus de juramento, & voto Davidis diximus: & adimpletum etiam invenimus in agris silvestribus & nemorosis, in quibus locis Templum conditum conspicimus.

7. *Introibimus*. Idem Hebræus: Veniemus, vel etiam Veniamus; ut sit enunciativa tantum, vel exhortativa locutio. Posterior sensus purior. *In tabernaculum*. Hebræus pluraliter: Tabernaculis, ad tabernacula ejus. Vide supra vers. 5. *Adorabimus*. Vel, adoremus; ut supra. *In loco, &c.* Scabelli periphrasis. Hebræus ad verbum, dativo: Scabello (scabellum) pedum ejus. Arcam fœderis innuit, in qua Deus edendo oracula, & patrando miracula, sedebat.

8. *In requiem tuam*. Hebræus idem dativo, de more linguæ: Quieti tuæ. Deum invitat populus, ut Templum sibi constructum ingrediatur. Surgere quieti suæ, Idiotismus pulcherrimus; idest, ire in eum locum, in quo requiescas; ad mansionem suam. Hic, & duo sequentes versus habentur ad verbum fere, sed prosa oratione, 2. Paralip. 6. 41. quos in dedicatione Templi Salomon recitavit, ad quorum imitationem psalmus iste fuit editus. Confer locos. *Sanctificationis*. Translatio sensus. Hebræus: Fortitudinis tuæ, qua sanctificaris, sanctus, & impollutus prædicaris; fideles etiam tuos per eam sanctificans. Relinque, ait, Domine Gabaon, & alios omnes locos, teque recipe in hunc locum perpetuæ quieti tuæ destinatum. Arca erat typus Ecclesiæ, vel potius Corporis Domini.

9. *Induantur*. Sic Hebræus futuro: Induentur. *Justitiam*. Ut justi, deletis peccatis omnibus, a te redditi rem tuam divinam pure faciant. Hinc Salomon 2. Paralip. 6. loco hujus habet, Induantur salutem, eodem sensu videlicet. Sic inferius vers. 16. dicitur, Sacerdotes ejus induam salute. *Sancti*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Pii, tam active, quam passive. Consule Thesaurum. Sacerdotes, & Levitas intelligit. *Exsultent*. Idem prope Hebræus: Ovabunt, canentes, & psallentes instrumentis

tis muſicis ob beneficia nobis collata. Hinc Salomon loco hujus dicit: Gaudebant in bono; propter bonum: & Vulgatus: Et ſancti tui lætentur in bonis (2. Paralip. *6*. 41).

10. *Propter David*. Propter promiſſiones ei factas, & propter ejus merita. *Non avertas*. Idem Hebræus futuro, ſuo loquendi modo: Ne facies redire, reverti. *Faciem*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Facies. Redire facere vultum alicujus, Idiotiſmus, pro Illius poſtulata non concedere. *Chriſti*. Salomonis, & Chriſti Domini etiam.

11. *Juravit*. Recitat promiſſionem per enallagen perſonæ. *David*. Dativi caſus ex Hebræo: Davidi. Jurare veritatem, eſt indubitatum promiſſum eloqui. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Non fruſtrabitur eam*. Non fallet. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo loquendi tropo: Non redibit ab ea, veritate; eam ſervabit, promiſſa non violabit, nec faciet irrita. *De fructu ventris*. Hic incipit promiſſio, quam per mimeſin recitat. Dicendo (ſupple) hæc, quæ ſequuntur. De filiis tuis aliquem, non omnes, ut Chriſti genealogiam hinc agnoſcas. *Super ſedem tuam*. Hebræus idem dativo, ſuo loquendi tropo: Sedi tibi. Ponere ſedi alicui, idiotiſmus; ideſt, facere, ut ſedeat, ut regnet.

12. *Cuſtodierint*. Sic Hebræus futuro: Cuſtodient. *Teſtimonia mea*. Noſtri punctis immutatis legerunt עֵדוֹתַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare עֵדֹתִי, Teſtimonium, obteſtationem, legem meam hanc. *Quæ*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Et*. Hebræus adjectiva particula: Etiam. Ob hanc legis obſervationem. *Uſque in ſeculum*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Uſque uſque; uſque ad æternitatem, ſeculum. *Super ſedem tuam*. Hebræus: Sedi tibi; ut in ſuperiori verſiculo. Ibi vide.

13. *Sion*. Hebræus addit præpoſitionem, In, de more linguæ. *Elegit eam*. Translatio ſenſus. Videntur autem Noſtri legiſſe cum Mappic affixo אִוָּהּ, Deſideravit eam, & ob id etiam elegit. Nunc Hebræis eſt ſine affixo: Avit (ab Hebræo ſcilicet), deſideravit. *In habitationem*. Idem Hebræus dativo, ſuo tropo: Habitationi, pro habitatione.

14. *Hæc requies mea*. Sion, ubi volo requieſcere. *In ſeculum ſeculi*. Hebræus, ut ſupra, ſuo tropo: Uſque uſque; uſque in ſeculum. *Habitabo*. Sic Hebræus: Sedebo, manebo. *Elegi*. Translatio ſenſus. Hebræus repetit idem verbum verſiculi ſuperioris: Deſideravi eam; & ob hanc cauſſam elegi.

15. *Viduam ejus*. Vulgatus, ut omnes fere arbitrantur, videtur inconſulta veritate hebraica legiſſe ex Græco χῆραν loco θήραν, ideſt venationem, non difficili vocis tranſitu. Niſi malles, eum ſic dedita opera tranſtuliſſe, quod ſequerentur *Pauperes*, quos ſæpius ſcriptura ſolet conjungere. Hebræus: Annonam, eſcam, victum ejus. *Benedicens*. Hebræus infinitivo: Benedicendo benedicam. Proſperabo, large & copioſe eam tribuam. *Panibus*. Hebræus ſingulariter: Pane; abundantia rerum ad victum neceſſariarum.

16. *Sacerdotes*. Hebræus addit conjunctionem *Et* emphatice. *Salutari*. Sic Noſtri transferunt. Hebræus: Salute. Quam ſupra verſ. *9*. juſtitiam dixerat. Deum induere aliquem ſalute, eſt, Peccatis omnibus condonatis, virtutes immittere, nempe ſanctimoniam, pietatem, juſtitiam, & hujuſmodi. Scholaſtici dicerent, juſtificare. *Sancti*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pii. *Exſultatione exſultabunt*. Idem prope Hebræus infinitivo: Ovando ovabunt. Vide ſupra verſ. *9*.

17. *Producam*. Non aliter Hebræus fere, ſuo loquendi modo: Germinare, florere faciam cornu, regnum, robur, decus, & regiam majeſtatem Chriſti. Idiotiſmus non obſcurus. Conſule Theſaurum. *David*. Dativi caſus in Hebræo: Davidi. *Paravi*. Idem Hebræus: Inſtruxi. Inſtruere lucernam alicui,

cui, idiotismus perquam ornatus; ideft, filium fucceſſorem ei concedere. Vide Theſaurum. *Chriſto*. Davidi. Lucerna hic Chriſtum Dominum ſignificat, qui omnem hominem illuminat ſua gratia, & donis Spiritus Sancti multiplicibus.

18. *Induere confuſione*. Idiotiſmus ſatis notus. *Sanctificatio mea*. Quaſi legerint Noſtri Vav in Jod converſo נזרי, Nazareitas mea; ut ita dicam docendi gratia; ideſt, ſeparatio, ſanctificatio mea, qua Chriſtum ab aliis magno diſcrimine diſgregabo. Vox de Nazaræis Domino ſeparatis, & ſanctificatis in Scriptura ſæpius dicta, quo nomine dicitur & Corona, Diadema. Conſule Theſaurum. Hinc Hebræus legit נזרו, Diadema ipſius. Diadema florere ſuper aliquem, Idiotiſmus; ideſt, magnitudinem ejus atque majeſtatem in dies multiplicari.

PSAL. CXXXIII. Lat. CXXXII.

שיר המעלות לדוד הנה מה טוב ומה נעים שבת אחים גם יחד׃	1. *Canticum graduum Davidi. Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres etiam ſimul.*	1. Canticum graduum David. Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.
כשמן הטוב על הראש ירד על הזקן זקן אהרן שירד על פי מדותיו׃	2. *Sicut oleum optimum ſuper caput, deſcendens ſuper barbam barbam Aharon; quod deſcendit ſuper os veſtimentorum ejus.*	2. Sicut unguentum in capite, *quod* deſcendit in barbam barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus:
כטל חרמון שירד על הררי ציון כי שם צוה יהוה את הברכה חיים עד העולם׃	3. *Sicut ros Hermon, qui deſcendit ſuper montes Sion, quoniam illic mandavit DOMINUS benedictionem, & vitas uſque* ad *ſeculum.*	3. Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit DOMINUS benedictionem, & vitam uſque in ſeculum.

ANNOTATIONES.

Fidelium, & præcipue Levitarum, Sacerdotumque conſenſionem ſuaviſſimam a Deo cumulate benedictam, brevi carmine, ſed elegantiſſimo canit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *David*. Dativi caſus in Hebræo: Davidi. Diximus tamen ſæpius, Lamed tam genitivo, quam dativo deſervire. *Fratres*. Fideles omnes. *In unum*. Idem Hebræus addens particulam adjectivam ad emphaſim: Etiam ſimul. Eſſe concordes, concordiam inter ſe colere, quæ unguento ſuavior, & cæleſti rore eſt utilior.

2. *Unguentum*. Non aliter Hebræus: Oleum bonum, unguentum preciosiſſimum. *In capite*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Super caput. *Quod*. A Noſtris additum, ut ſæpius fit, ex ſermonis conſequentia. *Deſcendit*. Sic Hebræus participio: Deſcendens. *In barbam*. Hebræus: Super barbam. *Aharon*. Patronymice. Pontificis, Sacer-

cerdotis videlicet. *In oram*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Super os. Vulgo Collare dicitur. *Veſtimenti*. Hebræus plurali: Veſtimentorum ejus. De generibus veſtimentorum Sacerdotalium conſule Theſaurum noſtrum.

3. *In montem*. Hebræus pluraliter: Super montes Sion. Plures fuiſſe montes Sioni circumadjacentes, conſtat ex multis Scripturæ ſacræ locis, ſed præcipue ex pſalmo 125. Ibi vide. Mons Hermon eſt editiſſimus prope Jordanem, Libano vicinus, perpetua nive conſperſus. Hinc vaporem emittat perpetuum, roris originem & fontem, neceſſe eſt, quo Sion aſpergatur fecundiſſime, ut hic quam manifeſte vates declarat. Sic concordia ſuavis, & utilis eſt, ut ros e monte in montem, maxime humiliorem, defluens. *Illic*. In loco ubi fratres ſimul habitant. Quidam, in montibus Sion, ubi Levitæ & Sacerdotes in Templo, fideleſque alii concordes conveniunt. Prior ſenſus fidelior. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Vitam*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Vitas. *In*. Ex conſequentia ſermonis additum. Hebræus: Uſque ſeculi, uſque ad ſeculum. Mandare, præcipere benedictionem, & vitas alicubi, eſt, Bonorum omnium copiam, & vitam ſempiternam illic deſtinare.

PSAL. CXXXIV. Lat. CXXXIII.

שיר המעלות הנה ברכו את יהוה כל עבדי יהוה העמדים בבית יהוה בלילות:	1. *Canticum graduum. Ecce benedicite DOMINUM omnes ſervi DOMINI ſtantes in domo DOMINI in noctibus*.	1. Canticum graduum. Ecce *nunc* benedicite DOMINO omnes ſervi DOMINI. Qui ſtatis in domo DOMINI, *in atriis domus Dei noſtri* in noctibus.
שאו ידיכם קדש וברכו את יהוה:	2. *Extollite manus veſtras ſanctitate, & benedicite DOMINUM*.	2. Extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite DOMINO.
יברכך יהוה מציון עשה שמים וארץ:	3. *Benedicet te DOMINUS ex Sion, factor cælorum, & terræ*.	3. Benedicat te DOMINUS ex Sion, qui fecit cælum, & terram.

ANNOTATIONES.

Brevi Sacerdotum, & Levitarum ſpeculo; Dei miniſtros in Templo morantes, eum rite colere, ac pro ſe & pro populo orare, ſatis eleganter inſtruit. Præcedentium gradualium concluſio, & quaſi epilogus. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Nunc*. Ad emphaſim additum, prout addit & Græcus. Niſi malles, olim ſic legiſſe הִנֵּה נָא. Sed hoc parum vel nihil refert. *Domino*. Hebræus accuſativo: Dominum. *Servi*. Cultores, Levitæ, & Sacerdotes, quorum etiam periphraſis ſequitur. *Qui ſtatis*. Idem Hebræus participio: Stantes in domo Domini. Qui ad rem divinam faciendam illic conſiſtitis & moramini. *In atriis domus Dei noſtri*. Totum hoc e pſalmo ſequenti verſ. 2. deſumptum hic a Noſtris additum eſt, ut Laicos etiam

iam intelligeres, qui sacrificiorum tempore consistebant, viri in virorum, & fœminæ in fœminarum atrio. Nostri hic sententiam terminant. Hebræus addit: In noctibus. Qui nocte stationem domus Domini servatis. Non maximi ponderis varietas.

2. *In Sancta*. Idem Hebræus fere: Sanctitate. Sancte, rite; vel ad sanctitatem, Templi partem, quæ sic dicitur; vel tandem in cælum. *Domino.* Hebræus accusativo: Dominum. Dicendo (supple) quod sequitur, per mimesin; nam Hebræis est unicus sensus, quod laudetur etiam Deus, cum invocatur, & usurpatur nomen ipsius ad alterius benedictionem. Nostri in duas partes dividere videntur. Laudate, inquiunt, Deum in noctibus, & populo benedicite, interdiu scilicet, dicendo quod sequitur. Nisi malles, eos etiam pro absenti, & dormiente populo precari debere.

3. *Benedicat*. Idem Hebræus futuro: Benedicet. Mimesis, ut supra diximus. Nisi malles, vatis esse verba, qui bene precetur suo consilio parentibus. Sed prior sensus fidelior. *Qui fecit*. Hebræus participio: Faciens, factor. *Cælum*. Vox hebræa est pluralis numeri natura sua: Cælorum, & terræ.

PSALMUS CXXXV. Lat. CXXXIV.

הללויה הללו את שם יהוה הללו עבדי יהוה :	1. *Hallelujaha. Laudate nomen DOMINI, laudate servi DOMINI.*	1. Hallelujaha. Laudate nomen DOMINI, laudate servi DOMINUM.
שעמדים בבית יהוה ב בחצרות בית אלהינו :	2. *Qui statis in domo DOMINI, in atriis domus Dei nostri.*	2. Qui statis in domo DOMINI, in atriis domus Dei nostri.
הללו יה כי טוב יהוה זמרו לשמו כי נעים :	3. *Laudate Dominum, quia bonus DOMINUS; psallite nomini ejus, quoniam suave.*	3. Laudate Dominum, quia bonus DOMINUS, psallite nomini ejus, quoniam suave *est*.
כי יעקב בחר לו יה ישראל לסגלתו :	4. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel peculio suo.*	4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.
כי אני ידעתי כי גדול יהוה ואדנינו מכל אלהים :	5. *Quia ego cognovi, quod magnus* est *DOMINUS, & Dominus noster ab omnibus Diis.*	5. Quia ego cognovi, quod magnus *est* DOMINUS, & Deus noster præ omnibus diis.
כל אשר חפץ יהוה עשה בשמים ובארץ בימים וכל תהמות :	6. *Omne quod voluit DOMINUS, fecit in cælo, & in terra, in maribus, & omnibus abyssis.*	6. Omnia quæcunque voluit DOMINUS, fecit in cælo, & in terra, in mari, & *in* omnibus abyssis.
מעלה נשאים מקצה הארץ ברקים למטר עשה מוצא רוח מאוצרותיו :	7. *Elevans nubes ab extremo terræ, fulgura pluviæ fecit, educens ventum de thesauris suis.*	7. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de thesauris suis.

 8. Qui

שהכה בכורי מצרים מאדם
עד בהמה:

8. Qui percussit primogenitos Ægypti, ab homine usque pecoris.

8. Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque *ad* pecus.

שלח אותת ומפתים בתוככי
מצרים בפרעה ובכל עבדיו:

9. Misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes servos ejus.

9. Emisit signa, & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes servos ejus.

שהכה גוים רבים והרג
מלכים עצומים:

10. Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.

10. Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.

לסיחון מלך האמרי ולעוג
מלך הבשן ולכל ממלכות
כנען:

11. Sihoni regi Amorræorum, & Ogo regi Basan, & omnibus regnis Chanaan.

11. Sehon regem Amorræorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

ונתן ארצם נחלה נחלה ל
לישראל עמו:

12. Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel populo suo.

12. Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel populo suo.

יהוה שמך לעולם יהוה ז
זכרך לדר ודר:

13. DOMINE nomen tuum seculo, DOMINE memoria tui ætati, & ætati.

13. DOMINE nomen tuum in æternum, DOMINE memoriale tuum in generationem & generationem.

כי ידין יהוה עמו ועל ע
עבדיו יתנחם:

14. Quia judicabit DOMINUS populum suum, & super servos suos consolabitur.

14. Quia judicabit DOMINUS populum suum, & in servis suis deprecabitur.

עצבי הגוים כסף וזהב ם
מעשה ידי אדם:

15. Dolores gentium argentum, & aurum, opera manuum hominis.

15. Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.

פה להם ולא ידברו עינים
להם ולא יראו:

16. Os eis, & non loquentur, oculi eis, & non videbunt.

16. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt.

אזנים להם ולא יאזינו אף
אין יש רוח בפיהם:

17. Aures eis, & non audient, insuper non est spiritus in ore ipsorum.

17. Aures habent, & non audient, neque enim est spiritus in ore ipsorum.

כמו הם יהיו עשיהם כל
אשר בטח בהם:

18. Sicut illi, erunt facientes eorum, omnis qui confidit in eis.

18. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.

בית ישראל ברכו את יהוה
בית אהרן ברכו את יהוה:

19 Domus Israel benedicite DOMINUM, Domus Aharon benedicite DOMINUM.

19. Domus Israel benedicite DOMINO, domus Aaron benedicite DOMINO.

בית הלוי ברכו את יהוה
יראי יהוה ברכו את יהוה:

20. Domus Levi benenedicite DOMINUM, timentes DOMINI benedicite DOMINUM.

20. Domus Levi benedicite DOMINO, qui timetis DOMINUM, benedicite DOMINO.

ברוך יהוה מציון שכן י
ירושלם הללויה:

21. Benedictus DOMINUS ex Sion habitans Jerusalem. Hallelujaha.

21. Benedictus DOMINUS ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

ANNO.

ANNOTATIONES.

IDolorum inutilium comparatione, fideles ad celebrandum Deum, quod Israelem magnis beneficiis cumulaverit, carminibus non ineruditis invitat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Servi*. Cultores. *Dominum*. Hebræus genitivo; nam regitur a præcedenti nomine: O cultores Domini laudate, laudate, inquam, nomen Domini.

2. Stare in domo Domini, & in atriis, idem est; licet quidam distinguant, ut stantes in Domo sint Sacerdotes, in atriis vero Israelitæ ceteri, Laici. *Dei nostri*. Prima ratio, cur Deus laudandus sit, nempe quia bonus, & suavis.

3. *Dominum*. In Hebræo est nomen proprium Dei: Jaha. *Suave*. Jucundum, nomen scilicet. Quidam ad Dominum referunt, quod idem est: Quia suavis. Longius ad Psallere ceteri. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum.

4. *Jacob* Proprie, & successive Jacobæos omnes; sic Israel, & Israelitas. Dictiones patronymicæ. *In possessionem sibi*. Non longe aliter Hebræus: Peculio suo; ut suum esset peculium. Vide Thesaurum. Secunda vero laudandi caussa, quia elegit Ecclesiam.

5. *Et Deus*. Sic transferunt Nostri, ne bis Dominum repetant. In Hebræo distinguuntur hæc nomina. Dominus est nomen proprium Dei, Jehovah; hic autem & Deus appellative dicitur, & Dominus noster; quod notes. *Præ omnibus*. Sic Hebræus suo modo: Ab omnibus. *Diis*. Sive Angelos, sive Idola intelligas. Tertia laudationis ratio, quia magnus virtute & majestate, omnipotens.

6. *Omnia quæcumque*. Idem Hebræus singulari: Omne quod. Propositionem superiorem probat. *In omnibus*. Hebræus non habet præpositionem, quæ tamen subintelligitur.

7. *Educens*. Non longe aliter Hebræus: Elevans, ascendere faciens. *Ab extremo terræ*. E mari. *In pluviam*. Hebræus dativo: Pluviæ. Facere fulgura pluviæ, magnum est miraculum, e nubibus, quæ aqueæ sunt, exsilire flammas. *Qui producit*. Idem Hebræus participio: Educens, exire faciens. *Ventos*. Hebræus singulariter collective: Ventum. *De thesauris suis*. Ipsius venti. Poetice dantur Deo thesauri, promptuaria, cellæ, loca, in quibus recondantur venti, nives, grandines, & aliæ hujusmodi meteororum materiæ. Lege Jobi librum.

8. *Primogenita*. Sic Hebræus masculino: Primogenitos Ægypti. *Ad*. Subintellectum ex sermonis consequentia. Hebræus suo tropo: Usque pecoris; usque (ad) bestiam (collective).

9. *Emisit*. Pro simplici, Misit, positum. *In medio tui*. Apostrophe ad Ægyptum per prosopopœjam. *Servos ejus*. Aulicos omnes.

10. *Fortes*. Viribus, vel numero. Vide Thesaurum, & Josue historiam, ut agnoscas, terram Chanaan abundasse regibus.

11. *Sehon regem, & Og regem*. Hebræus dativo: Sihoni regi, & Ogo regi. Supple, percussit gentes multas. Vel est idiotismus, dativum loco accusativi ponens, ut Nostris placuit. *Et omnia regna*. Hebræus iterum dativo: Et omnibus regnis. Supple, occidit reges fortes, numerosos, & multos. Vel est idiotismus cum Nostris, ut supra, dativum pro accusativo ponens.

12. *Hereditatem*. Possessionem. Anadiplosis. Hereditatem, inquam. *Israel*. Dativi casus in Hebræo: Israelitis populo suo.

13. *In æternum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. Græcus reticet secundum *Domine*, sed addit καί. *Memoriale tuum*. Hebræus:

us: Memoria tui. Nullius momenti varietas. *In generationem & generationem*. Hebræus idem prope dativo: Ætati, & ætati, per fingulas ætates, nunquam interitura.

14. *Judicabit*. Idiotifmus. Ideft, ulcifcetur, vindicabit ab injuria, & illum fuo patrocinio tuebitur, ac defendet. *In fervis fuis deprecabitur*. Sufpicor, Noftros alium habuiffe textum, nec, quid legerint, fatis conjectare valeo. Eorum fenfus eft: A fervis, five propter fervos fuos exorabitur; vel, ut Chryfoftomus, Exorabilis erit eis (paffive). Hebræus nunc legit: Et fuper fuos fe confolabitur; vel pœnitudine, vel commiferatione tandem ducetur. Eft autem idiotifmus non inelegans, Confolari fe fuper aliqua re; hoc eft, eam in gratiam iterum recipere, & illius curam gerere. Græcus etiam habet παρακλη θήσεται, fe confolabitur, confolationem accipiet. Verficulus hic ex Mofe (Deut. XXXII. 36.) defumptus eft, quo in loco Vulgatus habet: Et in fervis fuis miferebitur. Quod ad veritatem Hebraicam accedit propius. Confer locos, & Thefaurum confule.

15. *Simulacra*. Antithefis, qua Deos gentiles extenuat, & per farcafmum deridet. Sunt autem hæc omnia ad verbum fere defumpta ex pfalmo CXV. 4; quo in loco velim, varietatum omnium rationes videas, ne bis eadem fruftra repetamus.

16. *Neque enim*. Idem prope Hebræus: Etiam, infuper non eft fpiritus in ore ipforum, ut ambulare, vel aliud quidvis facere valeant.

19. *Domus*. Genus Ifraelis, Aharonis, & Levi, celebrate Dominum ob tanta erga vos beneficia. *Domino*. Verbum benedicendi fæpius habet accufativum in Hebræo. Confule Thefaurum.

20. *Qui timetis Dominum*. Idem Hebræus participio: Timentes Domini.

21. *Qui habitat*. Sic Hebræus participio: Habitans, habitator Jerufalem. *In*. Non habetur in Hebræo, fed Jerufalem eft genitivi cafus, licet hoc parum vel nihil referat. Hebræus etiam in calce pfalmi addit Hallelujaha; quod ob antedictas rationes Deus femper laudandus & celebrandus fit. Noftri rejiciunt illud in fequentis principium.



PSAL-

PSAL. CXXXVI. Lat. CXXXV.

		Hallelujaha.
הודו ליהוה כי טוב כי ל לעולם חסדו:	1. *Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam seculo pietas ejus.*	1. Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.
הודו לאלהי האלהים כי לעולם חסדו:	2. *Confitemini Deo deorum, quoniam seculo pietas ejus.*	2. Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
הודו לאדני האדנים כי ל לעולם חסדו:	3. *Confitemini Domino dominorum, quoniam seculo pietas ejus.*	3. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
לעשה נפלאות גדלות לבדו כי לעולם חסדו:	4. *Facienti mirabilium magnorum solitudini suæ: quoniam seculo pietas ejus.*	4. Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.
לעשה השמים בתבונה כי לעולם חסדו:	5. *Facienti cælorum in intelligentia: quoniam seculo pietas ejus.*	5. Qui fecit cælos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus.
לרוקע הארץ על המים כי לעולם חסדו:	6. *Expandenti terram super aquas: quoniam seculo pietas ejus.*	6. Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.
לעשה אורים גדלים כי ל לעולם חסדו:	7. *Facienti lucium magnarum: quoniam seculo pietas ejus.*	7. Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus.
את השמש לממשלת ביום כי לעולם חסדו:	8. *Solem potestati in die: quoniam seculo pietas ejus.*	8. Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus.
את הירח וכוכבים לממשלות בלילה כי לעולם חסדו:	9. *Lunam, & stellas potestatibus in nocte: quoniam seculo pietas ejus.*	9. Lunam, & stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia ejus.
למכה מצרים בבכוריהם כי לעולם חסדו:	10. *Percutienti Ægypti in primogenitis eorum: quoniam seculo pietas ejus.*	10. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
ויוצא ישראל מתוכם כי לעולם חסדו:	11. *Et eduxit Israel de medio eorum: quoniam seculo pietas ejus.*	11. Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
ביד חזקה ובזרוע נטויה כי לעולם חסדו:	12. *In manu potenti, & in brachio extento: quoniam seculo pietas ejus.*	12. In manu potenti, & brachio excelso, quoniam in æternum misericordia ejus.

13. Qui

לגזר ים סוף לגזרים כי לעולם חסדו :	13. *Dividenti maris junci divisionibus: quoniam seculo pietas ejus.*	13. Qui divisit mare rubrum in divisiones, quoniam in æternum misericordia ejus.
והעביר ישראל בתוכו כי לעולם חסדו :	14. *Et transire fecit Israel in medio ejus: quoniam seculo pietas ejus.*	14. Et eduxit Israel per medium ejus, quoniam in æternum misericordia ejus.
ונער פרעה וחילו בים סוף כי לעולם חסדו :	15. *Et excussit Pharaonem, & exercitum ejus in mari junci: quoniam seculo pietas ejus.*	15. Et excussit Pharaonem, & virtutem ejus in mari rubro, quoniam in æternum misericordia ejus.
למוליך עמו במדבר כי ל לעולם חסדו :	16. *Deducenti populum suum in deserto: quoniam seculo pietas ejus.*	16. Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in æternum misericordia ejus.
למכה מלכים גדלים כי ל לעולם חסדו :	17. *Percutienti regum magnorum: quoniam seculo pietas ejus.*	17. Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus.
ויהרג מלכים אדירים כי לעולם חסדו :	18. *Et occidit reges fortes: quoniam seculo pietas ejus.*	18. Et occidit reges fortes, quoniam in æternum misericordia ejus.
לסיחון מלך האמרי כי ל לעולם חסדו :	19. *Sihoni regi Amorræorum: quoniam seculo pietas ejus.*	19. Sehon regem Amorræorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
ולעוג מלך הבשן כי לעולם חסדו :	20. *Et Ogo regi Basan: quoniam seculo pietas ejus.*	20. Et Og regem Basan, quoniam in æternum misericordia ejus.
ונתן ארצם לנחלה כי לעולם חסדו :	21. *Et dedit terram eorum hereditati: quoniam seculo pietas ejus.*	21. Et dedit terram eorum hereditatem, quoniam in æternum misericordia ejus.
נחלה לישראל עבדו כי ל לעולם חסדו :	22. *Hereditatem Israel servo suo: quoniam seculo pietas ejus.*	22. Hereditatem Israel servo suo, quoniam in æternum misericordia ejus.
שבשפלנו זכר לנו כי ל לעולם חסדו :	23. *Quia in humilitate nostra memor fuit nobis: quoniam seculo pietas ejus.*	23. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in æternum misericordia ejus.
ויפרקנו מצרינו כי לעולם חסדו :	24. *Et eripuit nos ab affligentibus nos: quoniam seculo pietas ejus.*	24. Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus.
נותן לחם לכל בשר כי לעולם חסדו :	25. *Danti panem omni carni: quoniam seculo pietas ejus.*	25. Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus.

26. Con-

הודו לאל השמים כי לעולם חסדו׃

26. *Confitemini Deo cælorum: quoniam seculo pietas ejus.*

26. Confitemini Deo cæli, quoniam in æternum misericordia ejus. *Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

ANNOTATIONES.

Carmine mellifluo Fideles ad Dei confessionem, propter ipsius in omnia, maxime in populum suum, beneficia, & providentiam excitat.

1. *Hallelujaha*. Ex fine præcedentis psalmi desumptum, hic a Nostris positum est, ne esset *αντί, γραφος*, atque ut hic titulus, psalmum esse de divinis laudibus & beneficiis, ostenderet. *Bonus*. Beneficus, benignus, sola pietate mundum creans, ut essent res, quæ bonitate, & misericordia ipsius fruerentur. Vel, quia bonum & utile est Deum, ob ejus in nos beneficia, laudibus celebrare. *In æternum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. *Misericordia*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietas, benignitas. Hemistichium hoc intercalare, quod singulis repetitur versiculis, misericordiam Domini superare omnia ipsius opera docet; & fortasse cantabatur, & repetebatur a populo, vel a Levitis Sacerdotibus, ut fit in nostris Litaniis.

2. *Deorum*. Cælitum omnium, Sanctorum, Angelorum, quin & Idolorum Deus est.

3. *Dominorum*. Magnatum, & Principum terræ Dominus, & Præses est.

4. *Qui facit mirabilia magna*. Hebræus idem participio: Facienti, factori mirabilium magnorum. Omnia quidem referenda sunt ad verbum Confitemini. *Solus*. Hebræus dativo, & substantive, suo loquendi tropo: Solitudini suæ; ut ita dicam docendi gratia, nempe solus, ut Nostri; nam magorum, & dæmonum mirabilia vel sunt præstigiæ, vel ex rebus naturalibus proficiscuntur. Vel, solitudini suæ, idest, nobis ignorantibus, inscientibus. Quot putas mirabilia nobis operetur Deus, quæ nescimus? Verbi gratia, dormientes a venenatis liberat animalibus, & hujusmodi. Miraculorum igitur verus effector est Deus, quorum caussa est illius pietas & misericordia, ut ejus benignitatem, gloriam, & potestatem æternam agnoscentes, summis eum laudibus celebremus.

5. *Qui fecit cælos*. Hebræus participio: Facienti, factori cælorum. *In intellectu*. Intelligenter, prudenter, summa sapientia, & artificio.

6. *Qui firmavit terram*. Non longe aliter Hebræus participio: Expandenti, extensori terræ. *Super aquas*. Id verum esse fateberis a cælis incipiens enumerare. Genebrardus autumat, Deum terram superiorem aquis extendisse, dum eam supra aquas ad animantium conservationem apparere, & eminere fecit, quod non placet; nam terram tunc non extendit, sed aquas contraxit. Genes. 1.

7. *Qui fecit luminaria magna*. Hebræus participio: Facienti, factori luminarium magnorum, lucium magnarum. Solem, & Lunam innuit, ut mox declarat: siquidem stellæ non sunt in numero luminarium magnorum. Genes. 1. Magna sunt luce, & mole corporis, licet Astronomi hodierni id negent de Luna.

8. *In potestatem diei*. Sic Hebræus dativo, suo loquendi modo: Potestati in die. Ad moderationem, & do-

 mi-

minium diei; motu, lumine, influxu, & calore.

9. *In potestatem noctis*. Hebræus dativo pluraliter: Potestatibus in nocte. In potestates, & moderationes. Nam etiam stellæ, præter lunam, agunt in hæc inferiora motu, lumine, & influxu.

10. *Qui percussit Ægyptum*. Hebræus participio: Percutienti, percussori Ægypti; admirandis plagis Ægyptum afficienti, & præcipue Primogenitorum morte. *Cum primogenitis*. Nostri plagas universas intelligunt, & ob id sic transferunt. Hebræus Primogenitorum mortem, uti insigniorem, & graviorem, tantum refert: In primogenitis. Non magni ponderis varietas.

11. *Qui*. Idem Hebræus sola conjunctione: Et exire fecit, eduxit. Liberatio populi, & defensio misericordiæ Domini tribuenda.

12. *Excelso*. Translatio sensus. Hebræus: Extento, & porrecto, ut cum aliquem ferire volumus. Metaphorice omnipotentiam Dei describit.

13. *Qui divisit mare rubrum*. Hebræus participio: Dividenti, divisori maris junci. Hebræi mare junci nominant, quod Nostri rubrum, ut alibi diximus. *In divisiones*. Hebræus dativo: Divisionibus. In multas partes & sectiones, nempe duodecim, ut Hebræi tradunt, tanquam in muros multos.

14. *Eduxit*. Non longe aliter Hebræus: Transire fecit, traduxit. *Per medium*. Hebræus idem: In medio.

15. *Virtutem*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Exercitum ejus robustum demersit. Vide Thesaurum. *In mari rubro*. Hebræus: Junci; ut supra.

16. *Qui traduxit*. Hebræus idem fere participio: Deducenti, ire facienti, ductori. *Per desertum*. Hebræus idem: In deserto. Per Arabiam desertam, rebus necessariis destitutam.

17. *Qui percussit reges magnos*. Hebræus dativo: Percutienti, percussori regum magnorum. Vide in superiori psalmo vers. 10.

19. *Sehon regem*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Sihoni regi.

20. *Og regem*. Hebræus iterum dativo: Ogo regi.

21. *Hereditatem*. Sic Hebræus dativo, suo tropo: Hereditati, in hereditatem, possessionem, hereditatem, inquam, Israeli cultori suo.

23. *In humilitate nostra*. Cum magnis calamitatibus oppressi jaceremus. Lege librum Exodi. *Nostri*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Nobis. Græcus addit ὁ κύριος.

24. *Redemit*. Non longe aliter Hebræus: Eripuit, vi quadam avulsit. *Ab inimicis nostris*. Hebræus idem prope: Ab affligentibus nos.

25. *Qui dat*. Hebræus participio: Danti; dans, dat. *Escam*. Recte. Sic Hebræus: Panem; quo nomine quicquid ad victum pertinet, appellatur. *Omni carni*. Cunctis animantibus.

26. *Cæli*. Vox hebræa est pluralis numeri natura: Cælorum. Reperiunt vero Nostri tertium psalmi versum hic non incommode, ut contemplemur, Dei beneficia ex eo proficisci, quod omnium sit Dominus, idemque conditor, & conservator.

PSAL-

PSAL. CXXXVII. Lat. CXXXVI.

		Psalmus David per Jeremiam.
על נהרות בבל שם ישבנו גם בכינו בזכרנו את ציון :	1. *Super flumina Babylonis illic sedimus, etiam flevimus, in recordando nos Sion.*	1. Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur *tui* Sion.
על ערבים בתוכה תלינו כנרותינו :	2. *Super salicibus in medio ejus suspendimus citharas nostras.*	2. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.
כי שם שאלונו שובינו דברי שיר ותוללינו שמחה שירו לנו משיר ציון :	3. *Quia illic interrogaverunt nos abducentes nos verba cantici, & ululatus nostri gaudium, Cantate nobis de cantico Sion.*	3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum, & qui abduxerunt nos, hymnum, cantate nobis de canticis Sion.
איך נשיר את שיר יהוה על אדמת נכר :	4. *Quomodo cantabimus canticum DOMINI super terra alienationis?*	4. Quomodo cantabimus canticum DOMINI in terra aliena?
אם אשכחך ירושלם תשכח ימיני :	5. *Si oblivi scar te Jerusalem, oblivi scetur dextera mea.*	5. Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea.
תדבק לשוני לחכי אם לא אזכרכי אם לא אעלה את ירושלם על ראש שמחתי :	6. *Adhærebit lingua mea palato meo, si non meminero te, si non ascendere faciam Jerusalem super capite lætitiæ meæ.*	6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.
זכר יהוה לבני אדום את יום ירושלם האמרים ערו ערו עד היסוד בה :	7. *Memor esto DOMINE filiis Edom diem Jerusalem, qui dicebant evacuate, evacuate usque fundamenti in ea.*	7. Memor esto DOMINE filiorum Edom, *in* die Jerusalem, qui dicunt, exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.
בת בבל השדודה אשרי ש שישלם לך את גמולך שגמלת לנו :	8. *Filia Babylonis devastata, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*	8. Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.
אשרי שיאחז ונפץ את ע עולליך אל הסלע :	9. *Beatus qui apprehendet, & allidet infantes tuos ad petram.*	9. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram.

ANNOTATIONES.

Lacrimabili carmine captivorum restitui desiderantium, pœnasque Idumæis, & Babyloniis precantium, deplorat miserias. Congruit Ecclesiæ inter Infideles exsulanti. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Psalmus David per Jeremiam. Nostri præposuerunt hanc inscriptionem, ex aliqua traditione forsitan, quod hoc argumentum tractatum fuerit, & explicatum a Jeremia, & Baruch.

1. *Super*. Secus, juxta, ad flumina Babyloniæ, regionis Chaldææ, & Babylonicæ, ubi eramus in exsilio, & captivitate barbarica. *Et*. Hebræus habet particulam adjectivam ad emphasim: Etiam. Quasi dicat, large & copiose flevimus. *Dum recordaremur*. Sic Hebræus gerundio, suo loquendi tropo: In recordando nos, in recordari nostro. *Tui*. Ad declarationem additum, & ob id Sion vocandi casu transferunt, quod accusativi est Hebræis. Verum hæc nullam habent varietatem.

2. *In salicibus*. Non aliter Hebræus: Super, ad salices. *In medio ejus*. Babylonicæ regionis, in ipsa Chaldæorum terra. *Organa nostra*. Instrumenta musica. Hebræus per synecdochen: Citharas nostras. Quod nollemus eas pulsare, quin potius flere, ob amissorum recordationem.

3. *Interrogaverunt nos*. Vel serio, curioseque, vel ironice postulaverunt a nobis. *Qui captivos duxerunt nos*. Hebræus unica voce: Abducentes, captivantes nos. *Cantionum*. Hebræus singulariter: Cantici. Verba, quibus utebamur in nostris cantionibus, nempe psalmos, qui pulsando instrumenta ore simul canebantur. *Et qui abduxerunt nos*. Translatio sensus. Hebræus substantivo nomine satis ornate: Et ululat us nostri; idest; ejulationis auctores, abducentes. Supple, interrogaverunt nos, postularunt a nobis, per zeugma. *Hymnum*. Translatio sensus. Hebræus: Lætitiam, gaudium, lætum carmen efflagitarunt, dicentes scilicet id quod sequitur. Conjungendum siquidem τὸ *hymnum* cum superioribus; & non cum sequenti verbo Cantate; quod notes. *De canticis*. Hebræus singulariter collective: De cantico; carmen aliquod.

4. *Aliena*. Hebræus idem substantivo, de more linguæ: Alienationis, extraneitatis, ut ita, docendi gratia, dicam. Captivorum responsio, nolentium in terra extranea, vel impia, & aliena a Dei veri cultu, & religione, res sanctas dare canibus, vel ad hostium Dei voluptatem canere.

5. *Oblitus fuero*. Sic Hebræus: Oblivifcar. *Oblivioni detur*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis תִּשָּׁכַח in Niphal, Obstupescat mihi dextera, fiat paralytica, actionum suarum obliviscatur: Quod nunc Hebræis est Cal תִּשְׁכַּח, obliviscetur, oblivioni dabit. Supple, opus suum, artem psallendi, vel quid simile. Sic & sequentem sententiam restringunt ad certam rem.


6. *Adhæreat*. Hebræus futuro: Adhærebit. *Faucibus meis*. Idem Hebræus singulariter: Palato meo. Ne possim canere videlicet, muta fiat lingua mea. *Tui*. Hebræus accusativo de more linguæ: Te. *Proposuero*. Non longe aliter Hebræus: Ascendere faciam. *In principio*. Idem Hebræus suo loquendi tropo: Super capite. Ascendere facere aliquid super capite lætitiæ, est idiotismus perquam ornatus, pro Quotiescumque lætari contingit, statim rei illius recordari. Caput hebraice pro Principio usurpatur. Quia vero Summam etiam, &

& Præcipuum cujuſcumque rei ſignificat, hinc Genebrardus alium affert ſenſum: quaſi dicat, Si non propoſuero Jeruſalem ſummam lætitiæ, quæcumque mihi illa unquam contingere poterit; Si non eam prætulero omni lætitiæ? Illa erit ſumma & præcipuum gaudii mei. Verum prior ſenſus cum Noſtris eſt purior & fidelior. Idem eſt enim, ac ſi diceret: Nunquam ex animo lætabor; nam cum gaudere & delectari contingit, ſtatim adeſt Jeruſalem devaſtatæ memoria, gaudia turbans, quod mihi tamen pergratum eſt, ita ut malim ſcientiam omnem muſicalem dediſcere, quam illius in ipſo lætitiæ principio non recordari.

7. *Filiorum*. Hebræus dativo: Filiis Edom, Idumæis. *In die*. Hebræus accuſativo: Diem Jeruſalem. Quando capiebatur & vaſtabatur. Recordari alicui aliquid, eſt idiotiſmus, de quo ſupra pſalmo CXXXII. 1. pro In bonum, vel malum ipſius illud vertere. Hic in malum; ut eos punias videlicet, quod Babylonios contra nos incitaverint. *Qui dicunt*. Hebræus participio: Dicentes, qui dicebant, tunc temporis. *Exinanite*. Sic Hebræus: Nudate; hoc eſt, evacuate, nam evacuata, nuda remanent. Conſule Theſaurum. *Uſque ad fundamentum*. Sic Hebræus ſuo tropo: Uſque fundamenti. Eam funditus evertite, ut evacuatis, & dirutis omnibus, fundamenta nuda relinquantur. *In ea*. Ejus, Jeruſalem.

8. *Filia Babylonis*. Idiotiſmus, ut in Theſauro. Chaldæos omnes intellige, quos per apoſtrophen alloquitur. *Miſera*. Ob devaſtationem futuram ſcilicet. Hebræus etiam prophetice præteritum pro præſenti, vel futuro ponit: Devaſtata. Ideſt, quæ devaſtanda es. *Retributionem*. Hebræus addit pronomen, Tuam. Talionem iſtius calamitatis.

9. *Tenebit*. Non longe aliter Hebræus: Apprehendet, corripiet. *Parvulos*. Infantes, lactentes. *Suos*. Ejus. In aliquibus exemplaribus, Tuos. Hebræus etiam perſiſtit in apoſtrophe: Beatus, qui correptos infantes Babyloniorum in lapides illidet, in ultionem calamitatum, quas nobis crudeliter importarunt.



PSAL. CXXXVIII. Lat. CXXXVII.

לדוד אודך בכל לבי נגד אלהים אזמרך:

1. *Davidi. Confitebor te in toto corde meo, coram Diis psallam te.*

1. Ipsi David. Confitebor tibi *Domine* in toto corde meo, *quoniam audisti verba oris mei*. In conspectu Angelorum psallam tibi.

אשתחוה אל היכל קדשך ואודה את שמך על חסדך ועל אמתך כי הגדלת על כל שמך אמרתך:

2. *Adorabo ad templum sanctitatis tuæ, & confitebor nomen tuum, super pietate tua, & super veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen tuum dictum tuum.*

2. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Super misericordia tua, & veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

ביום קראתי ותענני תרהבני בנפשי עז:

3. *In die* qua *vocavi, & respondisti mihi, roborabis me in anima mea robore.*

3. In *quacumque* die invocavero *te*, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem.

יודוך יהוה כל מלכי ארץ כי שמעו אמרי פיך:

4. *Confitebuntur te DOMINE omnes reges terræ, quia audierunt dicta oris tui.*

4. Confiteantur tibi DOMINE omnes reges terræ, quia audierunt *omnia* verba oris tui.

וישירו בדרכי יהוה כי גדול כבוד יהוה:

5. *Et cantabunt in viis DOMINI, quoniam magna gloria DOMINI.*

5. Et cantent in viis DOMINI, quoniam magna *est* gloria DOMINI.

כי רם יהוה ושפל יראה וגבה ממרחק יידע:

6. *Quoniam excelsus DOMINUS, & humilem videbit, & altum a longinquo cognoscet.*

6. Quoniam excelsus DOMINUS, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.

אם אלך בקרב צרה תחייני על אף איבי תשלח ידך ותושיעני ימינך:

7. *Si ambulabo in medio tribulationis, vivificabis me super nasum inimicorum meorum, mittes manum tuam, & salvum me facies dextera tua.*

7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

יהוה יגמר בעדי יהוה חסדך לעולם מעשי ידיך אל תרף:

8. *DOMINUS perficiet pro me, DOMINE pietas tua seculo, opera manuum tuarum ne deseres.*

8. DOMINUS retribuet pro me; DOMINE misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum ne despicias.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Deum fideles ſuos tuentem, & beneficia in æternum duratura conferentem, ſatis ornate celebrat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Ipſi David*. Sic Hebræus: Davidi, vel Davidis; nam Lamed utrique caſui deſervire, ſæpius diximus. Inſcriptio græca eſt amplior, quam, ſi libet, videas. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te. *Domine*. Ad declarationem additum. *Quoniam audiſti verba oris mei*. Hoc hemiſtichium a Noſtris interjectum eſt. Niſi malles, olim etiam in Hebræo ſic lectum eſſe כִּי שָׁמַעְתָּ אִמְרֵי פִי; quod non eſſet abſurdum. *In conſpectu Angelorum*. Sic Hebræus: Coram Diis. Cælitibus omnibus videlicet, ideſt Angelis, vel etiam coram judicibus, & magnatibus; ut alibi, coram regibus. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te pſallam, inſtrumentis muſicis te celebrabo.

2. *Ad templum*. In templo, vel verſus templum. *Sanctum tuum*. Hebræus ſubſtantivo de more linguæ: Sanctitatis tuæ. *Nomini tuo*. Hebræus accuſativo: Nomen tuum celebrabo. *Miſericordiam*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Super pietate. Pro, propter pietatem tuam. *Et veritate*. Hebræus repetit præpoſitionem: Super veritate. Hebraiſmus, ut alibi docuimus; ideſt, propter beneficia, quæ nunquam interitura mihi tribuis. *Nomen*. Hebræus addit pronomen, Tuum. *Sanctum tuum*. Suſpicor, Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus, qui legit, Dictum tuum; licet Genebrardus locum conciliare conetur ſic: Verbum tuum, ideſt, nomen tuum verbo tuo ſanctificatum, & celebratum, vel nomen tuum (quod eſt) verbum tuum ſanctum, nempe Chriſtum. Verum a Noſtris nulla verbi fit mentio. Arbitratur inſuper ille, *Omne*, ſubſtantive recipi debere, non conſtrui cum Nomen, ideſt, ſupra omnem rem, ſupra omnia. At hebraica lectio nunc eſt contraria, quam non attendit Genebrardus. Tunc ſiquidem כָּל deberet Holem habere, & non, Macaph intercedente (Grammaticos agnoſcere hæc nomina, non dubito) per camez hatuph ſcribi. Legendum enim eſſet עַל הַכֹּל, ſupra omne, omnia. Verba hebraica varie accipiuntur ab aliis. Quidam per hyſterologiam: Quia ſuper omne verbum tuum magnificaſti nomen tuum; ideſt, illud celeberrimum reddidiſti, ſupra quam dixeris, & geſſeris. Alii per aſyntheton: Super omnia, nomen tuum (&) verbum tuum; quod cum Noſtris convenire videtur. Alii tandem comparative: Magnificaſti verbum tuum ſuper omne nomen tuum, ideſt, magis quam nomen tuum, majora promittens, quam nominis tui fama commoti exſpectabamus. Hic ſenſus ultimus videtur eſſe genuinus, Quoniam magnificaſti ſuper omne nomen, ſupra omnem famam tuam (nam שֵׁם hoc etiam ſignificat, ut in Theſauro) dictum tuum. Ego tamen potius idiotiſmum ſic interpretarer: Quoniam magnificaſti ſuper omne nomen tuum (univerſam nominis tui famam, & celebritatem immenſam reddis) dicto tuo, beneficia nova promittendo jugiter; vel dictum tuum, ideſt, & nomen, & dictum magnificas hac tua pietate, & veritate. Particula עַל varie accipitur, ut in Theſauro. Hic ſimpliciter, Magnificare ſuper aliquid, eſt, illud magnum reddere. Dictum hoc Noſtri, ſanctum, ut diximus, reddidere; quam varietatem nullius fere ponderis eſſe crederem.

3. *Quacumque*. Ex ſermonis conſequentia ſubintelligendum. Sic Hebræus: In die, qua ſcilicet; alioquin non בְּיוֹם, ſed בַּיּוֹם dicendum erat. *Invocavero*. Hebræus præterito: Vocavi. *Te*. Ad declarationem additum. *Exaudi me*. Hebræus addens conjunctionem Et, iterum præterito dicit: Et reſpondiſti mihi.

Exau-

Exauditionis signum est responsio. *Multi, li abis*. Translatio sensus. Hebræus addens pronomen ait: Roborabis me; in anima mea scilicet. *Virtutem*. Hebræus ablativo: Fortitudine. Quam Nostri virtutem nominant. Quod exaudieris me clamantem, ait, in caussa fuit, ut majorem fortitudinem & virtutem animo conceperim. Idem sensus in Nostris, licet de futuro.

4. *Confiteantur*. Idem Hebræus futuro: Confitebuntur. *Tibi*. Hebræus accusativo: Te celebrabunt. *Omnia*. A Nostris additum ad majorem declarationem. *Verba*. Hebræus: Dicta, promissa oris tui, quæ cultoribus tuis promittens fideliter persolvis.

5. *Cantent*. Hebræus iterum futuro: Cantabunt. *In viis Domini*. Idiotismus. Idest, vias; facta & consilia Domini mirabilia. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum.

6. *Humilia*. Hebræus singulariter, collective: Humilem, vel humile; idest humiles, vel humilia; nam utroque modo exponi potest. *Respicit*. Hebræus idem futuro: Videbit, ut tueatur scilicet. *Et alta, &c.* In eam suspicionem venio, ut arbitrer, Nostros retracto Mem, & paucis aliis immutatis, facillimo vocum transitu sententiam totam sic legisse וּגְבֹהִים מֵרָחוֹק יוֹדֵעַ, & altos, vel alta a longe cognoscit: non prope, non familiariter cognoscit, sed eminus, ut perdat. Hebraica tamen hodierna hunc sensum etiam præ se ferre possunt וְגָבוֹהַ מִמֶּרְחָק יְיֵדָע, & altum e longinquo cognoscet. Hebræis tamen גבוה est epithetum Dei, sicut & רָם præcedens. Quoniam, inquit, excelsus (est) Dominus, & humilem videbit, & altus e longinquo cognoscet. Licet excelsus & altus sit, humilia tamen omnia videt, & perfecte cognoscit. Hic sensus purior, & fidelior esse videtur.

7. *Ambulavero*. Sic Hebræus: Ambulabo, incedam. Ambulare in medio tribulationis, est, Rebus calamitosissimis & deploratissimis involvi. *Vivificabis*. In vita me conservabis. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Super iram*. Idem Hebræus suo idiotismo: Super nasum, quo fumante ira dignoscitur. *Extendisti*. Hebræus futuro: Mittes, extendes. Mittere manum super nasum alicujus, idiotismus; idest, manu furorem ejus compescere. Quidam arbitrantur, אַף non esse nomen hic, sed adjectivam particulam, & sic interpretantur: Super etiam inimicos meos mittes manum tuam; quod non est penitus absurdum, ut sit hysterologia pro אַף עַל, Etiam super inimicos, &c. Sed prior interpretatio securior est. *Salvum me fecit*. Hebræus iterum futuro: Salvum me faciet, vel facies dextera tua, nam vox hebræa tam est secunda masculina, quam tertia fœminina, & dextera tam nominativi, quam ablativi casus esse potest. Sed præstat cum Nostris transferre, Et salvabit me dextera tua.

8. *Retribuet*. Suspicor, Nostros facillimo transitu Resc in Lamed legisse יִגְמֹל, Retribuet, rependet hostibus pro me, me ulciscetur; quod nunc Hebræis est יִגְמֹר, Perficiet pro me; idest, rem meam peraget; absolvet, quod cœpit in me. Vel est idiotismus; Pro me, idest me perficiet beneficiis perpetuis; perfectum & absolutum reddet. *Misericordia*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietas, benignitas, officium. *In seculum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo, æterno. *Despicias*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Ne deseres, ne dimittes opera manuum tuarum (idest beneficia, auxilium tuum, gratiam tuam): quasi despiceres ea, si nolles in posterum me tuorum donorum esse participem.

PSAL-

PSAL. CXXXIX. Lat. CXXXVIII.

למנצח לדוד מזמור יהוה חקרתני ותדע:	*1. Præfecto Davidi psalmus. DOMINE explorasti me, & cognovisti.*	1. In finem psalmus David. DOMINE probasti me, & cognovisti *me.*
אתה ידעת שבתי וקומי בנתה לרעי מרחוק:	*2. Tu cognovisti sedere meum, & surgere meum, intellexisti cogitationi meæ de longe.*	2. Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe,
ארחי ורבעי זרית וכל דרכי הסכנתה:	*3. Semitam meam, & accubitum meum circuisti, & omnibus viis meis consuevisti.*	3. semitam meam, & funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas prævidisti,
כי אין מלה בלשוני הן יהוה ידעת כלה:	*4. Quia non dictio in lingua mea: ecce DOMINE cognovisti totam ipsam.*	4. quia non *est* sermo in lingua mea. Ecce DOMINE *tu* cognovisti omnia
אחור וקדם צרתני ותשת עלי כפכה:	*5. Retro & ante formasti me, & posuisti super me palmam tuam.*	5. novissima & antiqua, *tu* formasti me, & posuisti super me manum tuam.
פלאיה דעת ממני נשגבה לא אוכל לה:	*6. Mirabilis scientia a me, elevata est, non potero ei.*	6. Mirabilis *facta est* scientia *tua* ex me, confortata est, & non potero ad eam.
אנה אלך מרוחך ואנה מפניך אברח:	*7. Quo ibo a spiritu tuo? & quo a faciebus tuis fugiam?*	7. Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam?
אם אסק שמים שם אתה ואציעה שאול הנך:	*8. Si scandam cælos, illic tu, & sternam infernum, ecce tu.*	8. Si ascendero *in* cælum, tu illic *es, si* descendero in infernum, ades.
אשא כנפי שחר אשכנה באחרית ים:	*9. Levabo pennas auroræ, habitabo in extremo maris.*	9. *Si* sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero *in* extremis maris.
גם שם ידך תנחני ותאחזני ימינך:	*10. Etiam illuc manus tua deducet me, & apprehendet me dextera tua.*	10. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.
ואמר אך חשך ישופני ולילה אור בעדני:	*11. Et dicam, tamen obscuritas conteret me, & nox lux* erit *pro me.*	11. Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio *mea* in deliciis meis.

גם חשך לא יחשיך ממך ולילה כיום יאיר כחשכה כאורה :	12. *Etiam obſcuritas non obſcurabit a te, & nox ſicut dies lucebit, ſicut obſcuritas, ſicut lux.*	12. Quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.
כי אתה קנית בליתי תסכני בבטן אמי :	13. *Quia tu poſſediſti renes meos, obteges me in utero matris meæ.*	13. Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ.
אודך על כי נוראות נפליתי נפלאים מעשיך ונפשי ידעת מאד :	14. *Confitebor te ſuper quod timendis mirabilis effectus ſum, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit valde.*	14. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.
לא נכחד עצמי ממך אשר עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ :	15. *Non eſt occultatum os meum a te, qui factus fui in occulto, contextus fui in inferioribus terræ.*	15. Non eſt occultatum os meum a te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.
גלמי ראו עיניך ועל ספרך כלם יכתבו ימים יצרו ולא אחד בהם :	16. *Glomum meum viderunt oculi tui, & ſuper libro tuo omnes ipſi ſcribentur, diebus formati fuerunt, & non unus in eis.*	16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.
ולי מה יקרו רעיך אל מה עצמו ראשיהם :	17. *Et mihi quantum caræ fuerunt cogitationes tuæ, Deus! quantum roborata ſunt capita earum!*	17. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.
אספרם מחול ירבון הקיצתי ועודי עמך :	18. *Dinumerabo eas, ab arena multiplicabuntur, expergefactus ſum, & adhuc ego tecum.*	18. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur, exſurrexi, & adhuc *ſum* tecum.
אם תקטל אלוה רשע ואנשי דמים סורו מני :	19. *Si occides Deus injuſtum? & viri ſanguinum recedite a me.*	19. Si occideris, Deus, peccatores, viri ſanguinum declinate a me.
אשר ימרוך למזמה נשוא לשוא עריך :	20. *Qui dicent* de *te cogitationi peſſimæ, elevarunt vanitati hoſtes tui.*	20. Quia dicitis in cogitatione : accipient in vanitate civitates ſuas.
הלוא משנאיך יהוה אשנא ובתקוממיך אתקוטט :	21. *Si non oſores tuos DOMINE odio habebo? & in inſurgentes tuos diſſecabor?*	21. Nonne qui oderunt te DOMINE, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?
תכלית שנאה שנאתים ל לאויבים היו לי :	22. *Conſummatione odii odi illos, inimicis fuerunt mihi.*	22. Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.
חקרני אל ודע לבבי בחנני ודע שרעפי :	23. *Explora me Deus, & cognoſce cor meum, proba me, & cognoſce cogitationes meas.*	23. Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

וראה אם דרך עצב בי ו
ונחני בדרך עולם:

24. *Et vide, si via doloris in me, & deduc me in via seculi.*

24. Et vide, si via iniquitatis in me *est*, & deduc me in via æterna.

ANNOTATIONES.

INsigni carmine mirabilem Dei scientiam, nec non providentiam erga singulos decantans, impios, qui eam non satis credunt, auferri de medio bonorum desiderat. Mirum est, quam maxima sit in hoc psalmo ab Hebraica veritate discrepantia, cujus varietatis caussas, Deo favente, nos afferre conabimur. Distinctionum vero varietates ex temet ipso recognoscas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto; de qua voce superius dictum est. *Psalmus David*. Sic Hebræus ordine inverso: Davidi, vel Davidis psalmus. *Probasti*. Probe me nosti, quasi facto periculo. Hebræus: Explorasti, investigasti, ut me cognosceres. Minimi momenti varietas. *Me*. Ad declarationem additum.

2. *Sessionem*, *&c.* Idem Hebræus infinitivo: Sedere meum, & surgere meum. Idiotismus. Idest, omnes actiones meas; ea quæ sedens, stans, ambulans, cubans cogito, atque gero, intellexisti. *Cogitationes meas*. Quasi legerint punctis immutatis לְרֵעַי, quod nunc Hebræis est singulare לְרֵעִי, Cogitationi meæ. Deum intelligere cogitationi de longe, est idiotismus pulcherrimus; idest, longo tempore antequam cogites, cum adhuc sint in potentia cogitationes, ac antequam in actum exeant, eas Deus perspectas & cognitas habet.

3. *Semitam meam*. Incessus meos, & iter meum. *Funiculum*. Hebræus: Et accubationem meam. Græcus etiam habet σχοῖνον, quod funiculum mensorium, & stoream, sive cubile e storeis factum significat. Vulgatus primam significationem retinet, cum tamen secunda ad Hebraicam veritatem propius accederet. *Investigasti*. Translatio sensus. Hebræus: Coronasti, corona posita circuisti. Coronare semitam, & accubitum alicujus, est idiotismus pulcherrimus; idest, observare incessum, & cubationem ejus, motus corporis tam nocturnos, quam diurnos habere perspectos, ac comprehensos. *Et omnes vias meas prævidisti*. Translatio sensus. Hebræus: Et omnibus viis meis (actionibus, operibus, & studiis) consuevisti, assuetus es; incaluisti ad semitas meas, ut eas prævideas, & penitius cognitas habeas. Assuescere viis alicujus, alter idiotismus; idest, Eas quam maxime observare.

4. *Est*. Ex consequentia sermonis additum. Nostri jungunt hæc cum superioribus, per aposiopesin: Quia non est sermo in lingua mea (quem, supple, tu non cognoveris); vel sine aposiopesi, Quia (pro *cum*) non est eloquium in lingua mea; licet non eloquar, consuevisti viis meis. Hebræus sequentibus connectit. *Sermo*. Hebræus: Dictio. Dictionem non esse in lingua, idiotismus; idest, adhuc esse in cogitatione, in mente, nondum proferri. *Tu*. Additum ad emphasim. *Omnia*. Suspicor, Nostros mutato He in Mem legisse כֻּלָּם, & ob id sequentibus addidisse sic: Tu cognovisti omnia ipsa (ipsa omnia) retro & ante; idest, præterita antiquis & æternis seculis, & futura omnia ad extrema usque tempora. Quod nunc Hebræis (qui sententiam hic terminant) est כֻּלָּהּ, totam ipsam (dictionem scilicet), tametsi adhuc in potentia sit.

5. *Novissima & antiqua*. Hebræus: Retro, & ante. Nostri conjungentes præcedentibus de tempore intelligunt; quæ retro, novissima; & antiqua appellantes,

quæ ante dicuntur in Hebræo, non penitus incommode. Hebræus tamen hic sententiam incipiens, de corpore potius accipit. Retro, ait, & ante formasti me; ideſt, anteriora mea & poſteriora, totum me, quantus quantus ſum, & a tergo, & a fronte. *Tu*. Ad emphaſim additum. *Manum*. Idem Hebræus: Palmam, volam admoviſti ſuper me, ad me fingendum, & forma hac afficiendum. Ex omnibus creaturis ſolus homo divinis manibus formatus eſt. Lege ſacram Geneſim.

6. *Facta eſt*. Additum ex ſermonis conſequentia, quamvis & ſine eo ſatis eleganter admirative proferri poſſit: O mirabilem ſcientiam! *Tua*. Non habetur in Hebræo, quod additum a Noſtris, eſt in cauſſa, ut ſententia in alium paulo diverſum ab Hebraico hodierno trahatur ſenſum. Scientia, cognitio tui eſt mirabilis. Cognoſcere, quid ſit Deus, quam mirabilis & potens, ardua res eſt, & fere impoſſibilis. *Ex me*. Proprie. Ex mei opificio, & ſtructura, mirabilem tui cognitionem excipio. Vel comparative de more linguæ; ideſt, præ me, ſupra me, ſupra intelligentiam meam tui cognitio mirabilis eſt, mirabilior, quam ut eam conſequar. Hæc Noſtri. Hebræus eundem ſenſum quidem agnoſcit; ſed ad ſcientiam humanæ creationis tantummodo refert. O mirabilem, ait, ſcientiam & cognitionem ex me ipſo, ex mei opificio; vel præ me, ſupra me, quod tam mirabiliter opera divina creatus ſim, neque tamen ullus vel minimus actionum & cogitationum mearum motus Deum latere poſſit. Is, ſupra quam dici poteſt, omnia mea etiam intima quam exactiſſime cognoſcit; quibus vero modis id fiat, non poſſum conſequi, ſed hoc unum ſcio, quod Divinos ejus oculos nulla ratione poſſum effugere. Comparationem ſenſum reddere crederem puriorem, & fideliorem. Quibus modis Deus inveſtiget me, & omnes motus, cogitationes, ſermones etiam meos, antequam eos proferam, cognoſcat, cur etiam me totum, quantus ſum, & ante & retro divinis ſuis manibus creare dignatus ſit, hoc me latet, extra meum captum eſt. *Confortata*. Translatio ſenſus. Ideſt, in loco forti & munito eſt. Hebræus eodem idiotiſmo dicit: Elevata eſt, in alto, & tuto loco ſe collocavit, ut eam aſſequi non poſſim. Per Epexegeſin idem dicit aliis verbis. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Ad eam*. Idem Hebræus dativo: Ei. Poſſe alicui, eſt idiotiſmus, pro Ei prævalere. Summa eſt, creationis humanæ ſcientiam & cognitionem ingenii noſtri captum omnem ſuperare.

7. *A facie tua*. Vox hebræa eſt pluralis natura: A faciebus tuis, a conſpectu tuo. Docet, Deum probe cognoſcere poſſe omnia illa, quæ ſupra dixit, quod ubique ſit eſſentialiter, & actu; non tantum in cælo, ut vulgus exiſtimat, neque per ſolam præſentiam, qua pervenit ad omnia clariſſime, neque tandem per ſolam potentiam, qua nullus eſt locus, cujus providentia, actione, vi, efficacitate, & operatione vacet, prout nullus fere dubitat; ſed etiam per eſſentiam, quod ſoli fideles intelligunt, quoniam ejus ſubſtantia eſt immenſa, cuncta replens, per omnia infinite patens, atque ſe diffundens exactius & abſolutius, ſe totam per omnia actu, & reipſa infundens, & quaſi miſcens; ut non penitus inſulſe dicant Hebræorum Doctores, Deum eſſe locum mundi, non e converſo. Verum in tantis myſteriis dumtaxat balbutimus, deficientibus propriis vocabulis. Spiritus & facies Dei metaphorice Deum ipſum innuunt.

8. *Aſcendero*. Sic Hebræus futuro: Scandam; ex hebræa voce deductum ſcilicet. *In*. Non habetur in Hebræo, licet ex ſermonis conſequentia ſubintelligatur, ut etiam paulo poſt, In infernum. *Cælum*. Hebræum nomen eſt pluralis numeri natura ſua: Cælos. *Tu illic*. Idem Hebræus ordine inverſo: Illic tu. *Es*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Si*. Hebræus conjunctione, &. Sed ex ſermonis conſequentia etiam particula *Si* ſubintelligenda eſt.

De-

Descendero. Translatio sensus. Hebræus idiotismo satis pulcherrimo dicit: Sternam infernum, inferorum sede strati vice utar. *Ades*. Idem Hebræus suo loquendi tropo: Ecce tu. In his duobus locis, qui maxime distant inter se, in Cælo, & in Inferno, si nemo valet conspectum Dei effugere, multo minus ullum alium invenies locum, in quo præsentiam Dei non incurras.

9. *Si*. Ex sermonis consequentia subintelligendum. *Sumpsero*. Non aliter Hebræus suo tropo: Levabo. *Pennas meas*. Nostri punctis immutatis legerunt כְּנָפַי cum affixo, & ob id sequens nomen adverbialiter transtulerunt, *diluculo*, (in) aurora. Nunc Hebræis est in regimine, כַּנְפֵי שָׁחַר, pennas, alas auroræ. Idiotismo satis ornato poetice dat alas auroræ, quibus sumptis celeriter se evolaturum in extremum occidentem usque dicit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Habitavero*. Sic Hebræus: Habitabo. *In extremis*. Hebræus singulariter: In extremo; in extrema maris ora.

10. *Etenim*, Sic vertere solent Nostri. Hebræus antedicta confirmans habet, Etiam. *Tenebit*. Idem Hebræus fere: Apprehendet, firmiter tenebit. Ita ego instar feræ a venatoribus pressæ, quo me vertam, nescio: adeo obsessum & constrictum me tenes.

11. *Et dixi*. Hebræus futuro: Et (si) dicam. Proponit alterum oculos divinos effugiendi modum, idest, tenebras, propter quas posset sibi aliquis persuadere, ita non videre Deum in tenebris, sicut non vident mortales, ut hanc etiam opinionem stultissimam submoveat. *Forsitan*. Hebræus non dubitative, sed asseveranter ait: Verumtamen, tamen, saltem: quasi dicat, Si locorum distantiæ non prosunt, tenebræ saltem a divinis oculis me occultabunt. *Tenebræ*. Idem fere Hebræus singulariter: Obscuritas. *Conculcabunt*. Idem fere Hebræus singulariter: Conteret, quassabit, conculcabit; quasi diceret, obruet. Obscuritatem conterere aliquem, est idiotismus elegans; idest, eum obruere & obscurare penitus. *Illuminatio*. Non aliter Hebræus fere: Lux. *Mea*. Ad declarationem additum. *In deliciis meis*. Nostri procul dubio punctis vocalibus immutatis legerunt בְּעֶדְנָי, In voluptatibus, delectationibus, deliciis meis; quod nunc Hebræis est בַּעֲדֵנִי, propter, pro me. Idiotismus pulcherrimus, vel cum Nostris, noctem esse lucem in deliciis, hoc est, frui deliciis nocte tamquam die, pro deliciis habere noctem lucis vice; vel cum Hebræo, noctem esse lucem pro aliquo, idest, uti nocte tamquam die, noctis usuram lucis vice percipere: quasi diceres, versari semper in tenebris. Eamdem sententiam diversis inculcat verbis. Nam idem est, obscuritatem conterere aliquem, & noctem esse lucem pro eo. Genebrardus hunc idiotismum non advertens arbitratur, conjunctionem, Et, adversative sumi debere: Et nox, at nox, atqui nox lucida est circa me, clarum & perspicuum exhibebit me tibi cum meis deliciis & voluptatibus; quibus tuto in tenebris me frui putabo. Sed huic expositioni obstant sequentia. Quin Ecclesia noctem resurrectionis Christi celebrans ait: Hæc est illa nox, de qua scriptum est, Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Prior igitur interpretatio purior & fidelior est.

12. *Quia*. Non longe aliter Hebræus antedictam opinionem summovere volens: Etiam. Quasi dicat, Neque hoc mihi proderit. *Tenebræ*. Sic Hebræus singulariter: Obscuritas, caligo. *Non obscurabuntur*. Nostri ad tenebras ipsas verbum referunt, quas non obscurari Deo dicunt. Tenebras quippe ipsas clare cernit, & multo magis quæcunque fiunt in tenebris. Hebræus ad easdem quidem, sed active refert: Etiam obscuritas, caligo non obscurabit a te; non obscurum reddet aliquid a te, nihil tibi occultabit, quin omnia videas in tenebris etiam densissimis. Nullius momenti varietas. *Illumi-*

luminabitur. Idem Hebræus active: Illuminabit, lucebit. Nox tibi tam est luminosa & lucida, quam dies ipse. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Nostri punctis nonnullis immutatis legerunt hæc duo nomina cum Mapic, idest relativo, sic כַּחֲשֵׁכָתָהּ כָּאוֹרָתָהּ, sicut obscuritas ejus, sicut lumen ejus. Idiotismus. Caph reperitum in hac lingua, absolutam & perfectam dicit similitudinem: quasi diceret, apud te tenebræ & lux pares sunt. In Hebræo hodierno relativa, *Ejus*, non sunt, sed formæ nominum per se femininæ, כַּחֲשֵׁיכָה כָּאוֹרָה, Sicut obscuritas, sicut lux. Nullum discrimen tibi est, inter tenebras & lucem. Idest, nox ipsa etiam obscurissima, tibi æque manifesta est, ac si lucidissima esset. Genebrardus non attendens, vocabulum noctis quidem esse feminini generis, sed diei, masculini, relativa vero illa esse feminina, sic interpretatur, Sicut tenebræ ejus (noctis), ita & lumen ejus (diei) tibi est; quod regulis grammaticalibus adversatur. Ego potius ad noctem ipsam utrumque relativum referri crederem.

13. *Possedisti*. Habes in potestate, & ob id etiam optime pernosti renes meos, qui sunt principium creationis, & cogitationum. *Suscepisti me de utero*. Translatio sensus. Idest, adjuvisti, protexisti a prima mei origine. Hebræus futuro: Obteges, obumbrabis (ne suffocarer) in utero matris meæ. Consule Thesaurum in hoc verbo. Mirum est, fœtum in visceribus maternis non suffocari, & perspicacitatem Dei clare demonstrat artificium illud mirabile, quo in utero compingimur.

14. *Tibi*. Hebræus accusativo: Te. *Quia*. Hebræus tropo satis ornato, addit præpositionem: Super quia, super eo quod. *Terribiliter*. Hebræus idem plurali nomine: Timendis, rebus admirabilibus, mirifice, admirando artificio, eo usque ut animus considerando exterreatur, ac quasi stupescat attonitus. *Magnificatus es*. Videntur Nostri facillimo vocis transitu legisse נִפְלֵיתָ, mirabilis effectus es, in mea formatione scilicet. Nunc Hebræis est נִפְלֵיתִי, Mirabilis fui, mirificatus sum, mirifice formatus sum. *Cognoscet*. Hebræus præsenti participio: Cognoscens, cognoscit. *Nimis*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Valde, vehementer, quod satis quidem sit ad cognoscendam providentiam Divinam, & aliis commonstrandam. Cognosco me esse admirabilem, & artificio constructum admirando. Quamvis hujus opificii mei creationis modum, prout superius dixisse commemini, ullo modo alloqui non valeam, quod totum admirabiliorem me reddit. Admirabilis factus ob sapientiam, quam in me constituendo adhibuisti, te celebrabo, & indefessa voce prædicabo.

15. *Os meum*. Collective per synecdochen. Ossium meorum compactio non te latet. *Quod*. Nostri referunt ad os, Hebræus autem ad vatem ipsum: Qui. *Fecisti*. Nostri detracto Jod, & punctis immutatis videntur legisse in Cal, facillimo vocis transitu עָשִׂיתָ, quod nunc Hebræis est prima persona Puhal עֻשֵּׂיתִי, factus fui, licet idem sensus sit. *In occulto*. In abdito, in matrice, in loco obscurissimo, quo nulli unquam oculi penetrare potuerunt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Substantia mea*. Translatio sensus. Supple, non est occultata (per zeugma) a te. Arbitror quidem, Nostros punctis immutatis legisse רִקְמָתִי, variegatio mea, varietas, phrygium opus, quod vulgo ricamo etiam dicitur ab hebraice voce, idest, structura mei corporis, poetice satis eleganter, quam Nostri substantiam dicunt. Hebræis nunc eodem sensu verbum est, רֻקַּמְתִּי, variegatus fui, varie, & opere phrygionico, ut ita dicam, contextus fui in inferioribus terræ; qui locus solet esse obscurissimus; idest in visceribus materni uteri, tamquam antro abdito terræ. Ossium, nervorum, cartila-

tilaginum, humorumque omnium compagem, quasi quoddam opus phrygium, eleganter appellat, quæ omnia solus Deus habet nota, cum nihil incertius, nihil obscurius sit membris, structuraque humana, ut incredibilis labor offeratur singulo quoque tempore medicis, semper hæc vestigantibus, & ad arcana ac prima penetrare non valentibus. Inexplicabile artificium, quo humanum corpus e tam diversarum rationum membris mirabiliter componitur instar phrygionicæ, significatur.

16. *Imperfectum meum*. Hebræus: Glomum meum. Sic vocant Embryonem, quod in eo ossa, nervi, cartilagines, & alia hujusmodi, tamquam glomo quodam convoluta sunt inextricabilia posita. Nostri Imperfectum dicunt; idest, informe, massam informem, indigestamque. Mirabiliora proponit. Mirum quidem est, membrorum, & præcipue tam diversarum rationum compagem optime dignoscere, sed longe mirabilius est fœtum ipsum nudum, nondum in materno utero cunctis suis membris & forma ultima absolutum, sed impolitum adhuc & incultum pernoscere, quod Dei solius est. Me, ait, in utero dumtaxat inchoatum oculis tuis vidisti. *In libro*. Hebræus suo loquendi modo: Super libro. Sic Dei notitiam & memoriam ornate vocat. *Omnes*. Homines, mortales Non aliter Hebræus fere, qui pronomen addit emphatice: Omnes ipsi; Embryones scilicet, ex quibus homines procreantur. Qui neutro genere interpretantur, *Omnia*, idest membra, linguæ puritatem corrumpunt. *Dies*. Videtur, Nostrorum esse sensus, dies formari, idest multiplicari, produci, augeri, & multos fieri, postquam de potentia ad actum redactus sit embryo, antequam formetur creatura, quod est, & nemo in eis, diebus scilicet; actu formatus est, sed informis tantummodo, licet Genebrardus in alium detorqueat sensum, de productione dierum videlicet usque ad finem mundi. Omnes quidem, ait, in tua notitia scribentur, & quantumvis dies multiplicentur, augeantur, formentur, nemo in eis (diebus), in tanta dierum multitudine. Supple, deficiet e tuo libro. Id quod Hebraicæ linguæ simplicitatem non redolet. Prior sensus purior. Vulgo etiam creditur, quadraginta dies masculis, fœminis autem sexaginta dari, antequam ex embryone informi creatura, mediante anima intellectuali, formentur, & distinctionem membrorum accipiant. Hebræus eundem fere sensum habet, non ad dies quidem, sed ad embryonem ipsum formationem referens, & ob id interpretatur, Diebus, in, per dies. *Formabuntur*. Hebræus præterito: Formati fuerunt, embryones scilicet. Formatur fœtus per se informis non statim, sed temporis progressu. *Nemo*. Sic Hebræus: Non unus, ne unus quidem. *In eis* Embryonibus exstat actu. Et nihilominus per totum illud temporis spatium videtur, & cognoscitur a Deo, quæ pars in ossa, quæ in nervos, quæ in cartilagines, & sic in ceteras partes corporis converti debeat. Hinc igitur præscientiam, & providentiam Dei infinitam agnoscas licet.

17. *Nimis*. Non longe aliter Hebræus: Quam, quantum. Quid si Nostri legerint מאד? Altera pars psalmi Nostris, de singulari & præcipua Dei providentia erga probos, ultra illam generalem hactenus explicatam, agit. Hebræus perstat in providentia Dei erga humanam creationem. *Honorificati sunt*. Hebræus: Pretiosi, cari sunt. Minimi ponderis varietas. *Amici tui*. Vox hebræa est amphibola designans cogitationem, & amicum. Nostri in hoc ultimo sensu accipiunt. Omnes, inquit, nosti, sed non omnes æquali benevolentia & honore prosequeris, nam amici tui peculiariter notitia & memoria tua honorantur. Hebræus in primo sensu: Cogitatus tui, cogitationes tuæ pretiosæ, & caræ mihi sunt. Idiotismus, juxta illud, Omne pretiosum rarum. Non possum, ait, attingere has creationis humanæ cogitatio-

nes

nes tuas, quam pretiosæ; quam gloriosæ mihi sunt. Tam excellentes, inquam, ut meum superent sensum. Immensa, inaudita, incommemorabilis est formationis humanæ sapientia, admirabiles cogitationes, sive excogitata ac reperta in opificio corporis humani. O pelagus infinitum! *Nimis*. Hebræus ut supra: Quantum! *Confortatus est*. Sic Hebræus pluraliter: Confortata, roborata sunt. Verbum hoc dicitur de quacunque corroboratione, ut puta virium, numeri, divitiarum, & hujusmodi, prout in Thesauro. Hic de numero. *Principatus*. Excellentia & dignitas. Hebræus pluraliter: Capita eorum cogitatuum, earum cogitationum. Innumeræ sunt cogitationes, quæ circa opificium corporis humani versantur, infinita habent capita incomprehensibilia, impenetrabilia; quot partes corporis, tot cogitationum capita, quæ a nobis adiri non possunt & cognosci. Vox hebræa caput, cacumen, principem, principatum, principium, præcipuum, summam, & hujusmodi significat. Consule Thesaurum. Nostri ad amicos Dei, H bræus simpliciter ad cogitationes refe t.

18. *Dinumerabo*. Per concessionem rhetoricam. *Eos*. Amicos tuos, juxta Nostros; juxta Hebræum autem, eos cogitatus, eas cogitationes tuas. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Super arenam*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Ab arena, præ arena multiplicabuntur, ut numerare nequeam. *Exsurrexi*. Non aliter Hebræus fere: Evigilavi, expergefactus sum; præveni diem, ad eos, sive amicos, sive cogitatus dinumerandos. *Sum*. Sic Hebræus pronomine: Et adhuc ego tecum. Idiotismus. Idest, Adhuc versor in tui, vel rerum tuarum contemplatione; nondum eas comprehendo. Si vigilem semper, atque iterum semper tecum verser, ut tuas hasce structuræ corporis humani dinumerem cogitationes, perinde fecerim ac si numerare conarer arenam maris, sunt enim innumerabiles.

19. *Occideris*. Idem Hebræus futuro: Occides. *Peccatores*. Ut Nostri transferunt. Hebræus singulariter collective: Injustum. Hebræus legit interrogative: Si, num occides Deus injustum, qui hæc omnia de tua providentia non credit? Quasi dicat; Sane occides, & ad æternam damnationem eum remittes. Invehitur in eos, qui Deum universalia tantum curare credunt, de qua re superius etiam psalmo 36. dictum est. Hos vocat injustos, & merito, qui non hanc tantam opificii corporis humani majestatem, & Dei sapientiam in eo condendo, suspiciant, ac venerentur. *Viri*. Apostrophe ad homicidas, qui tantum Dei opificium, quod tanta arte conditum est, destruunt. Hebræus addit emphatice conjunctionem: Et. *Viri sanguinum*. Idiotismus. Sanguinarii, homicidæ.

20. *Quia*. Hebræus: Qui; injusti, vel homicidæ. Vox hebræa Qui, quæ, quod, & quia significat. *Dicitis*. Ad perspicuitatem Nostri personas immutarunt, ut sententia continuaretur planius cum proxima apostrophe. Hebræus addens pronomen revertitur ad Deum, ut supra: Dicent te; dicunt de te. *In cogitatione*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Cogitationi pessimæ, malignæ. Dicere aliquem cogitationi malignæ, est idiotismus; idest secundum cogitationem, perversissimasque opiniones ejus. Recedite, ait, o profani, quorum cogitationes blasphemiæ sunt, ac divinæ tum providentiæ, tum sapientiæ vituperatrices. *Accipient*. Non longe aliter Hebræus: Elevarunt, extulerunt Verbum hebræum plura significat. Consule Thesaurum. *In vanitate*. Idem Hebræus dativo, suo loquendi modo: Vanitati; frustra, vane. *Civitates*. Vox hebræa est amphibola, urbes, & hostes designans, ut in Thesauro. Nostri in primo sensu accipiunt, Hebræus in secundo: Hostes. *Suas*. Ejus (Dei). Hebræus perstat in secunda persona. Sic Græcus, σου. In aliquibus etiam exemplaribus latinis habetur, Tuas; civitates tuas, vel hostes tui. Nostris verba sunt iniquorum, qui dicant pessime cogitantes: Elevarunt, acceperunt, o Deus, amici tui in vanum civitates tuas, nam illas eis

eri-


eripiemus. Hebræis autem Psalmographi verba sunt, qui de impiis illis dicat: Elevarunt (supple, te, tuam providentiam) vane hostes tui. Te siquidem cogitant extollere, & evehere, dicentes, tuam providentiam infra cælos non demitti, quod imperfectio potius, quam exaltatio tuæ majestatis esset: Sed frustra; nam certum est (prout superius docui) te omnia, quæ ad formationem humanam, & ad motus ejus omnes extrinsecos, & intrinsecos pertinent, optime cognoscere. Neutrum sensum respuerem.

21. *Nonne*. Idem Hebræus: Si non. *Qui oderunt te*. Hebræus participio: Odientes, osores tuos, tam active, quam passive. Divinam providentiam negantes sic appellat. Videntur enim hujusmodi odio habere Deum, dum curare hæc inferiora nolunt. Eos autem procul dubio versa vice Deus odit, & exsecratur. *Oderam*. Hebræus futuro: Odio habebo. *Super inimicos tuos*. Non longe aliter Hebræus suo loquendi modo: In insurgentes tuos; in eos, qui contra te gigantomachiam hanc instruunt, tuam in inferioribus providentiam destruentes. *Tabescebam*. Hebræus fere idem futuro: Dissecabor, rixabor. Consule Thesaurum. Infensus ero, ait, iis, qui in te insurgunt.

22. *Perfecto odio*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Perfectione, consummatione odii. Extremo odio, consummato, supremo, & quo non detur majus. *Oderam*. Hebræus præterito: Odi illos. Non possem magis eos odisse. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Inimici*, *&c*. Idem Hebræus suo loquendi tropo: Inimicis fuerunt mihi. Eos inimicorum loco habeo, sempiternas cum illis inimicitias suscipio, qui tuam providentiam negantes te oderunt.

23. *Proba*. Hebræus: Investiga, explora. Idem verbum, de quo primo versu diximus. *Scito*. Sic Hebræus: Cognosce. *Interroga*. Hebræus: Proba, experimentum fac. Græcus etiam ἔτασον, inquire, discute. Non magni ponderis varietas. *Semitas*. Translatio sensus. Hebræus: Cogitationes meas. A cogitationibus semitæ exsistunt, perindeque incedimus, ut cogitamus, ac sentimus.

24. *Iniquitatis*. Translatio sensus. Hebræus: Doloris (active). Via doloris, Idiotismus; idest, mos vivendi pravus & iniquus, quasi afflictionem, irritationem, tristitiam afferens. Consule Thesaurum. Hoc præsertim de hæresi providentiam Divinam in hæc inferiora negante, de qua agitur toto Psalmo, intellige. *Est*. Ex consequentia sermonis subintellectum. *In via æterna*. Hebræus substantivo, suo loquendi modo: In via seculi; idest, æterna, cum Nostris; quæ ducit ad æternitatem: vel in viam seculo congruentem: vel tandem in viam mundi, idest in mortem, viam, ad quam totus mundus contendit. Si talis, ait, fuerim, ut sunt hujusmodi injusti, tuam providentiam negantes, patiar æquo animo, ut more eorum me occidas.



PSAL. CXL. Lat. CXXXIX.

למנצח מִזמור לדוד:

חלצני יהוה מארם רע ט
מאיש חמסים תנצרני:

אשר חשבו רעות בלב כל
יום יגורו מלחמות:

שננו לשונם כמו נחש חמת
עכשוב תחת שפתימו סלה:

שמרני יהוה מידי רשע מאיש
חמסים תנצרני אשר חשבו
לדחות פעמי:

טמנו גאים פח לי וחבלים
פרשו רשת ליד מעגל מקשים
שתו לי סלה:

אמרתי ליהוה אלי אתה ת
האזינה יהוה קול תחנוני:

יהוה ארני עז ישועתי סכותה
לראשי ביום נשק:

אל תתן יהוה מאויי רשע
זממו אל תפק ירומו סלה:

ראש מסבי עמל שפתימו
יכסומו:

ימיטו עליהם גחלים באש
יפילם במהמרות בל יקומו:

1. *Præfecto, psalmus Davidi.*

2. *Eripe me DOMINE ab homine malo, a viro injuriarum custodies me.*

3. *Qui cogitaverunt mala in corde, tota die incolent prælia.*

4. *Acuerunt linguam suam sicut serpens, venenum aspidis sub labiis eorum. Sélah.*

5. *Custodi me DOMINE de manibus injusti, a viro injuriarum custodies me, qui cogitaverunt ad impellendum gressus meos.*

6. *Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes, extenderunt rete manus semitæ, laqueos posuerunt mihi. Sélah.*

7. *Dixi DOMINO, Deus meus tu, audi DOMINE vocem supplicationum mearum.*

8. *DOMINE Domine robur salutis meæ, obtexisti capiti meo in die armorum.*

9. *Ne dabis DOMINE desideria injusti, cogitationem ejus ne educes, exaltabuntur. Sélah.*

10. *Caput circuituum meorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.*

11. *Movebuntur super eos carbones, in ignem cadere faciet eos, in foveas: ne resurgent.*

1. In finem, Psalmus David.

2. Eripe me, DOMINE, ab homine malo, a viro iniquo eripe me.

3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia.

4. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.

5. Custodi me DOMINE de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.

6. Absconderunt superbi laqueum mihi. Et funes extenderunt *in* laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi.

7. Dixi DOMINO, Deus meus *es* tu, exaudi DOMINE vocem deprecationis meæ.

8. DOMINE Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.

9. Ne tradas *me* DOMINE a desiderio meo peccatori, cogitaverunt *contra me*, ne derelinquas *me*, *ne forte* exaltentur.

10. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.

11. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.

12. Vir

איש לשון בל יכון בארץ איש חמס רע יצודנו למדחפת :	12. *Vir linguæ non aptabitur in terra, virum injurię malum venabitur eum impulsionibus.*	12. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu.
ידעתי כי יעשה יהוה דין עני משפט אביונים :	13. *Cognovi, quia faciet DOMINUS judicium afflicti, judicium pauperum.*	13. Cognovi, quia faciet DOMINUS judicium inopis, & vindictam pauperum.
אך צדיקים יודו לשמך ישבו ישרים את פניך :	14. *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, sedebunt recti cum faciebus tuis.*	14. Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

ANNOTATIONES.

Ab improbis & maledicis se defendi, illosque puniri, carmine satis ornato deprecans, justis omnibus tandem salutem prædicit. Distinctionum varietates ex temetipso recognoscas, velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, præposito; de qua voce superius dictum est. *David*. Dativi casus, vel genitivi, prout Lamed utrique servire, sæpius ostensum est.

2. *Iniquo*. Translatio sensus. Hebræus substantivo nomine, suo loquendi modo: Injuriarum. Vir injuriarum est violentus & inhumanus. Consule Thesaurum. *Eripe*. Ne me penitus opprimat. Non longe aliter Hebræus, sed futuro: Custodies me. Ne me invadat.

3. *Iniquitates*. Hebræus: Mala. Nullius momenti varietas. *Constituebant*. Verbum hebraicum est futuri temporis amphibolum, timere, colligere, vel congregare, & habitare significans. Nostri videntur Congregandi significationem retinere. Colligunt, ait, congregant turmatim prælia. Ego eodem sensu Habitandi significationem retineo, idiotismo satis pulcherrimo. Incolere prælia, idest, semper in litibus & præliis versari. Quidam tandem timendi significationem retinentes, de maledicis exponunt, qui palam congredi metuentes, in cordibus suis mala continue machinantur. Tota die, ait, colligent, incolent, timebunt prælia. Nullum horum sensuum respuerem.

4. *Serpentes*. Hebræus idem singulariter: Serpens. *Venenum*. Sic Hebræus: Furor, calor, indignatio. *Aspidum*. Hebræus singulariter: Aspidis. Acuere linguam, ut serpentem, & Furorem aspidis esse sub labiis, sunt idiotismi pulcherrimi satis noti. De Selah, quod ter legitur in hoc psalmo, dictum est alibi.

5. *De manu*. Hebræus pluraliter: De manibus. *Peccatoris*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Injusti. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Ab hominibus*. Hebræus singulariter: A viro. *Iniquis eripe*. Hebræus: Injuriarum custodies. Eadem scilicet verba, quæ habentur superius versu 2. Ibi vide. *Supplantare*. Sub plantis ponere, conculcare, subvertere. Non longe aliter Hebræus gerundio: Ad impellendum, propellendum gressus meos, ad lapsum, ut laberer.

6. *Mibi*. Ut caperent; in meam perniciem. Græcus autem habet διάψαλμα, quod in Hebræo est in fine versus. *Et funes*, &c. Videntur Nostri sententiam hebræam sic intellexisse: Et funibus extenderunt rete; quam resolventes dixerunt, Et funes extenderunt (in) la-

 que-

queum. Hebræus Funes superioribus connectit: Absconderunt laqueum & funes; dein sequitur, expanderunt rete. Non enim habetur In præpositio in Hebræo, nec in Græco, sed additur postea *τοῖς ποσί μου*. Nullius momenti varietas. *Juxta iter*. Idem prope Hebræus suo loquendi tropo: Manui semitæ; quà iturus eram. *Scandalum*. Offendiculum, tendiculam. Hebræus pluraliter: Laqueos, aucupia, & diversas insidias, ut caperer. Minima varietas.

7. *Es*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Exaudi*. Pro simplici Audi positum. *Deprecationis meæ*. Hebræus pluraliter: Deprecationum, supplicationum mearum.

8. *Virtus*. Hebræus: Robur, fortitudo salutis, auxilii mei. Hanc fortitudinem Nostri virtutem appellant. *Obumbrasti*. Non longe aliter Hebræus: Obtexisti; tamquam umbraculo, gratia tua texisti. Vide Thesaurum. *Belli*. Vox hebræa est omnium armorum collectiva, licet singulariter: In die armorum; quandocumque exercentur arma; cum pugnatur.

9. *Tradas*. Idem Hebræus futuro: Trades, dabis. *Me*. Non habetur in Hebræo, quod addiderunt Nostri legentes sequentia, prout videbimus. *A desiderio meo*. Nostri punctis immutatis legerunt מֵאַוַּי, A desideriis meis, post mea desideria; idest, postquam te desideravi, vel propter meum desiderium, quia te desidero & expeto. Et ob id supra *me* de suo addiderunt. Nunc Hebræis Mem non est præpositio, sed heemantica litera, ut dicunt Grammatici, leguntque מַאֲוַיֵּי, Desideria, optata. *Peccatori*. Ut Nostri transferunt, qui dativo reddiderunt propter lectionem antedictam. Nunc Hebræis est genitivus: Injusti. Ne des, ait, injusti desideria, ne eum reddas voti compotem. *Cogitaverunt*. Et hic punctis immutatis legerunt Nostri זָמְמוּ verbaliter, quod nunc Hebræis nomen est cum affixo זְמָמוֹ, Cogitationem ejus, injusti scilicet. *Contra me*. A Nostris additum ad declarationem. *Derelinquas*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum, nec, quid legerint, satis conjectare valeo. Fortasse vero legerunt תָּפֵג, mutato Coph in Gimel, facillimo vocis transitu; idest, Remittes, debilitabis, quod ipsi verbo derelinquendi commode reddiderunt, ob id addentes de suo *Me*, ad declarationem. Nunc Hebræus habet, Cogitationem ejus ne תָּפֵק, educes, extrahes, idiotismo satis ornato; idest, ne sinas, quæ cogitaverit, perficere. *Ne forte*. Additum a Nostris ad declarationem. *Exaltentur*. Idem Hebræus futuro: Exaltabuntur. Omnes isti, qui me conantur opprimere, si impetrabunt a te, quæ desiderant, superbient, & gloriabuntur de me oppresso. Vel est deprecatio, idiotismo perquam pulcherrimo. Exaltentur horum desideria, & cogitationes, ne possint eas assequi, & perficere. Huic tamen expositioni illud *Ne forte* obstat, sicut & priori mutatio numeri nonnihil officit.

10. *Circuitus*. Hebræus pluraliter: Circuituum meorum. Verba difficilia, quæ duobus explicantur modis; nam vel Caput est nominativi casus cum Nostris, ut sit appositio, vel accusativi cum aliis, ut sit antecedens, & relativum in eadem sententia, prout linguæ hebraicæ mos est sæpius agere. Caput & principium circuituum meorum; idest, ornato satis idiotismo, eorum, qui me circumdant, opprimendi gratia, nempe labor labiorum ipsorum operiet eos. Vel caput, ducem, & principem circuituum meorum, nempe Saulem, vel Doegum potius; labor labiorum eorum operiet (eos). In hoc sensu latine vacat, Eos. Neutrum respuerem sensum. *Labor*. In malum frequenter sumitur. Consule Thesaurum. Labor labiorum sunt calumniæ, maledicta magno labore structa & composita, criminationes; nam plus laboris solet esse in mentiendo, quam in veris dicendis. *Operiet*. Duplicem habet sensum. Vel contegendi gratia sim-

ſimpliciter, vel obruendi, idiotiſmo non obſcuro, de quo in Theſauro. In prima ſignificatione eſt narratio ſimplex, in ſecunda deprecatio; quaſi diceret, mendaciis conteguntur, ſtipantur calumniis; vel obruantur, perdantur a ſuis criminationibus. Hic ſenſus ultimus videtur eſſe purior.

11. *Cadent*. Translatio ſenſus. Hebræus: Movebuntur, ita ut cadant. *Carbones*. Igniti; prunæ. Graviſſima ſupplicia metaphorice pingit. *Dejicies*. Noſtri continuant locutionem ad Deum in ſecunda perſona, quam Hebræus mutat in tertiam: Cadere faciet, dejiciet, Deus ſcilicet. *In miſeriis*. Vox hebræa non legitur alibi, & quid ſignificet proprie, ignoratur, licet communiori ſententia foveas interpretentur fere omnes. *Non ſubſiſtent*. Hebræus idem prope: Surgent, ſtabunt. Miſeria intolerabili afficientur, in qua durare, vel certe ex qua ſurgere non poterunt. Vel tandem cum Hebræis hodiernis, Cadere faciet eos in foveas, ne reſurgere poſſint. Græcus addit conjunctionem *καὶ*.

12. *Vir linguoſus*. Idem Hebræus ſubſtantivo, ſuo tropo: Vir linguæ, linguax, qui lingua abutitur ad mala. *Dirigetur*. Hebræus: Stabilietur, firmabitur, aptabitur; quaſi dicat, Non proſperabitur. *Virum injuſtum*. Non longe aliter Hebræus ſubſtantivo, de more linguæ: Virum injuriæ, violentum. Vide ſupra verſ. 2, ubi eadem vox habetur. *Mala*. Hebræus ſingulariter: Malum, nominativo caſu, quod Noſtri verterunt pluraliter, ne accuſativum ad virum per appoſitionem additum crederemus. *Capiens*. Translatio ſenſus a fine. Hebræus: Venabitur eum. Pronomen latine vacat, qui Hebraiſmus frequens eſt. *In interitu*. Donec intereat. Translatio ſenſus. Hebræus dativo: Impulſionibus; in propulſiones, in ruinas. Malum venari aliquem impulſionibus, eſt idiotiſmus pulcherrimus non obſcurus. Poſſemus nihilominus per appoſitionem interpretari ſic: Virum injuriæ malum, improbum venabitur (quivis ſcilicet) eum impulſionibus. Sed prior interpretatio purior.

13. *Inopis*. Hebræus: Afflicti, vel paupertate, vel alia quavis miſeria. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Vindictam*. Translatio ſenſus. Hebræus: Judicium. Sunt tamen duo vocabula hebraica דִּין, & מִשְׁפָּט, quorum alterum cauſſam, alterum vero cauſſæ diffinitionem ſignificat. Facere דִּין, judicium, eſt cauſſam agere; at facere מִשְׁפָּט, judicium, eſt, ſententiam ferre. Conſule Theſaurum. Deus cauſſam inopum tuebitur, vindicabitque eos ſuo tempore, impiis graviſſime punitis.

14. *Verumtamen*. Antitheſis. Verum, at, aſt, contra juſti nomen tuum celebrabunt, quod eos vindicaveris, & tuo favore dignos feceris. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Habitabunt*. Sic Hebræus: Sedebunt, manebunt. *Cum vultu tuo*. Hebræus pluraliter: Cum faciebus tuis; ut te perfruantur. Tuo favore, & gratia digni fient.



GRADUS DECIMUS QUINTUS.

PSALMUS CXLI. Latinis CXL.

מזמור לדוד יהוה קראתיך חושה לי האזינה קולי בקראי לך :	1. *Psalmus Davidi. DOMINE vocavi te, propera mihi, ausculta vocem meam in clamare meo tibi.*	1. Psalmus David. DOMINE clamavi *ad* te, exaudi me, intende voci meæ, cum clamavero ad te.
תכון תפלתי קטרת לפניך משאת כפי מנחת ערב :	2. *Aptabitur oratio mea suffitus faciebus tuis, elevatio palmarum mearum oblatio vesperæ.*	2. Dirigatur oratio mea *sicut* incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.
שיתה יהוה שמרה לפי נצרה על דל שפתי:	3. *Pone DOMINE custodiam ori meo, custodiam super tenuitate labiorum meorum.*	3. Pone DOMINE custodiam ori meo, *&* ostium circumstantiæ labiis meis.
אל תט לבי לדבר רע ל להתעולל עלילות ברשע את אישים פעלי און ובל אלחם במנעמיהם :	4. *Ne inclinabis cor meum verbo malo, ad inique agendum actiones in injustitia cum viris operatoribus iniquitatis, & ne comedam in deliciis eorum.*	4. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.
יהלמני צדיק חסד ויוכיחני שמן ראש אל יני ראשי כי עוד ותפלתי ברעותיהם :	5. *Quassabit me justus, pietas, & increpabit me: oleum capitis non infringet caput meum; quoniam adhuc & oratio mea in malis eorum.*	5. Corripiet me justus *in* misericordia, & increpabit me: oleum *autem* peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.
נשמטו בידי סלע שפטיהם ושמעו אמרי כי נעמו :	6. *Præcipitati fuerunt in manus petræ judices eorum, & audierunt dicta mea, quoniam jucunda fuerunt.*	6. Absorpti sunt juncti petræ judices eorum. Audient verba mea, quoniam potuerunt.
כמו פלח ובקע בארץ נפזרו עצמינו לפי שאול:	7. *Sicut findens & scindens in terra, dissipata sunt ossa nostra ori sepulcri.*	7. Sicut crassitudo *terræ* erupta est super terram. Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

8. Quia

כי אליך יהוה אדני עיני בכה חסיתי אל תער נפשי׃	8. *Quia ad te DOMINE Domine oculi mei, in te confugi, ne evacuabis animam meam.*	8. Quia ad te DOMINE Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.
שמרני מידי פח יקשו לי ומקשות פעלי און׃	9. *Custodi me a manibus laquei,* quem *illaquearunt mihi, & laqueorum operatorum iniquitatis.*	9. Custodi me a laqueo, *quem* statuerunt mihi, & a scandalis operantium iniquitatem.
יפלו במכמריו רשעים יחד אנכי עד אעבור׃	10. *Cadent in retia ejus injusti, simul ego donec transeam.*	10. Cadent in retiaculo ejus peccatores, singulariter *sum* ego, donec transeam.

ANNOTATIONES.

Artificioso, & eleganti carmine prosperitatem iniquorum detestatus, ne rationibus eorum decipiatur, efflagitat. Psalmus est satis difficilis; quam etiam difficultatem auget Nostrorum varietas, cujus caussas, Deo favente, quoad poterimus, in medium afferemus. At distinctionum varietates ex temetipso recognoscas velim.

1. *David.* Dativi, vel genitivi casus, prout Lamed utrique servit. *Ad.* Non habetur in Hebræo, sed tantum, Vocavi te; quod nihil refert. *Exaudi me.* Translatio sensus. Hebræus poetice: Propera mihi; festina ad me, exaudiendum scilicet. *Intende voci meæ.* Sic Hebræus: Ausculta vocem meam. *Cum clamavero ad te.* Idem Hebræus gerundio: In vocando, clamando me, in clamare meo tibi.

2. *Dirigatur.* Ut interpretantur Nostri. Nec longe aliter Hebræus: Stabilietur, aptabitur, firmabitur, fixa, stabilis & apta fit precatio mea. *Sicut.* Non habetur in Hebræo; subintelligendum nihilominus. *Incensum.* Hebræus: Suffitus, thymiama singulis diebus incensum. Minima varietas. Consule Thesaurum. *In conspectu tuo.* Idem Hebræus dativo & plurali: Faciebus tuis, ante te. *Manuum.* Sic Hebræus: Palmarum, volarum. Modus orandi manuum elevatione. *Sacrificium.* Idem Hebræus prope: Oblatio, vel fertum farinaceum. Vide Thesaurum. Supple vero, Sit ut oblatio. *Vespertinum.* Idem Hebræus substantivo, suo loquendi more: Vesperæ. Oblatum vesperi. Quidam ex significatione jucunditatis & amœnitatis interpretantur, quasi diceres, Sit oblatio grata & accepta.

3. *Pone.* Vel compone, ordina, apta, nam utrumque significat verbum hoc, ut in Thesauro. *Custodiam.* Vel Custodi (imperative); nam est vox ambigua. Ponere custodiam ori; vel componere, custodire ori, idest os, idem prope sunt. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Ostium.* Translatio sensus. Ostium custodiis munitum. Hebræus: Custodiam, vel Custodi, imperative, ut supra, licet hic alterum sit verbum, quoad vocem. *Circumstantiæ.* Iterum translatio sensus pulcherrima. Hebræus: Super tenuitate; quæ labiis circumstat scilicet. Genebrardus cum sua apocope poetica linguæ puritatem minime servat. Arbitratur siquidem דל positum esse loco דָּלֶת, quod an verum sit, alii dijudicent. Certe nescio quod ostium tandem labiorum esse dicam, cum potius ipsa labia sint oris ostium. Hebraicæ voces satis patent, nec indigent hac apocope.

4. *Declines.* Idem Hebræus futuro: Declinabis, inclinabis. *In verba malitiæ.* Sic Hebræus dativo: Verbo ma-

malo, vel rei malæ; nam דָּבָר utrumque designat. Inclinare cor alicui rei, idiotismus satis notus. *Ad excusandas*. Vox hebræa semel legitur in Bibliis, & dubitatur, ex qua radice sit, & quid proprie significet, ut diximus in Thesauro. Qui derivant ab עָלַל, Et ad operandum, non satis mihi faciunt. Ego potius vel ab עָוֶל, iniquitate, vel ab עוֹלֵל, Infante deducerem, pro, Se injustum reddere, prave agere, puerorum more, qui pravas actiones a bonis discernere nesciunt, & fortassis huc Nostri respexerunt dicentes, Ad excusandas, ut sunt infantes proni erratuum suorum excusationes quærere: quasi diceres, Agere, quæ excusatione opus habent. *Excusationes*. Eo modo, quo in superiori verbo diximus; idest, ea quæ excusatione indigent. Hebræus: Actiones, operationes. *In peccatis*. Ut transferunt Nostri. Hebræus singulariter: In injustitia. Ut actiones pravas & injustas agam. *Hominibus*. Idem Hebræus prope: Cum viris, nobilioribus scilicet, qui fruuntur hac mundi felicitate. *Iniquitatem*. Operantibus, operatoribus iniquitatis. Ne una in actionibus pravis eis associer, divitiarum & dignitatum felicitate fretus. *Non communicabo*. Translatio sensus. Hebræus: Ne comedam, vescar. Qui mensa utuntur communi, recte communicare simul dici possunt. Verbum hebræum significat etiam præliari, pugnare. *Cum electis*. Neutrius generis. Nec longe aliter Hebræus: Ne comedam in deliciis eorum. Idiotismus. Idest, ne fruar voluptatibus, quibus hi fruuntur, neque indulgeam deliciis, quas isti studiose persequuntur. Vel ne pugnem, digladier de felicitate eorum, an vere felices beatique dicendi sint, cum eorum actiones pravæ id pernegent.

5. *Corripiet*. Translatio sensus. Hebræus: Quassabit, feriet; corripiendi gratia; feriat. Concessio. *In*. Non habetur in Hebræo, quod tamen subintelligi commode potest. *Misericordia*. Ut Nostri transferunt. Hebræus idiotismo satis ornato profert nominativo: Pietas. Supple, est. Verbera justi pietatem benignitatemque reputabo. *Autem*. Non habetur in Hebræo, quod additum a Nostris aliam reddit sententiam. *Peccatoris*. Suspicor, Nostros facillimo vocis transitu legisse רָשָׁע, quam dictionem fere semper sic transferunt. Hebræus nunc habet רֹאשׁ, Caput. Est autem oleum capitis simpliciter, unguentum, quo antiquitus caput aspergebant, vel oleum primum, præcipuum, pretiosissimum; quod notes. Nec desunt, qui interpretentur, oleum veneni, toxici, quod proprie inest serpentis capiti, monentque, Nostros per translationem Peccatorem venenatis moribus transtulisse. *Non impinguet*. Translatio sensus pulcherrima. Hebræus: Non franget, non infringet caput meum. Idiotismus. Idest, largiter & copiose non effundetur super caput meum, ut obruere, & infringere illud videatur, quam obruitionem Nostri pro Impinguare, sive inungere, & oblinire repræsentarunt. Nostrorum sensus est per antithesin: Castiger potius a justis, quam a sceleratis unguento quantumvis precioso deliniar: Gratior mihi futura est justorum castigatio, quam injustorum blanditiæ. Hebræus idem prope dicit utroque hemistichio, vel posterius est prioris exaggeratio. Feriat, ait, me justus, (est hæc) benignitas, & castiget me, (est hoc) oleum capitis, (quod) non infringet (sane) caput meum. Verbum infringendi retinent in propria significatione. *Adbuc*. Amplius, præter justorum castigationes. *In beneplacitis*. Videntur Nostri punctis immutatis legisse בִּרְעוּתֵיהֶם, In voluntatibus, beneplacitis eorum; quod nunc Hebræis est בְּרָעוֹתֵיהֶם, In malis eorum, quæ dictio varie potest exponi, quod *in* varie hic accipiatur, & pronomen ad justos & injustos referri possit. Orationem esse in beneplacitis, vel in malis aliquorum, est idiotismus; idest, precari inter mala, vel pro malis, active vel passive, ut ita dicam, ut scilicet convertantur ab ope-

operibus malis, vel ut eis mala eveniant, vel tandem ne incidas in eorum mala. Ego simpliciorem sensum hunc esse credo, quod præter antedicta, precaturum se dicit in malis propter malas actiones, & verba non bona, idest rationes falsas, quas proponunt injusti de felicitate mundana disputantes, veræ felicitati eam præponentes: ut ab eis videlicet liberetur.

6. *Absorpti sunt*. Translatio sensus. Hebræus: Præcipitati fuerunt, dimissi sunt, tam libere scilicet, ut absorberi videantur. *Juncti petræ*. Iterum translatio sensus. Hebræus suo loquendi tropo: In manus petræ, rupis. Quæ habes in manu, tibi juncta sunt. Præcipitari in manus rupis, idiotismus; idest, in locum periculis maximis expositum dejici. *Judices*. Principes, magnates, nedum plebs. *Audient*. Hebræus addens conjunctionem Et, emphatice dicit præterito: Et audierunt. *Potuerunt*. Suspicor, Nostros alium habuisse textum, nec, quid legerint, conjicere valeo. Eorum sensus est: Audierunt, quod preces meæ exauditæ sunt, vim magnam habuerunt, plurimum valuerunt apud Deum, vindictam istam, & judicium impetrando. Hebræus nunc habet: Quoniam dulcia, jucunda fuerunt. Etiamsi audierint, inquit, & intellexerint verba mea fuisse suavia, & jucunda, quum de vera felicitate post hanc vitam ventura cum illis dissererem, illi nihilominus in manus rupis se dimiserunt; maximis se tradunt periculis, asserentes, felicitatem extra mundum hunc non inveniri.

7. *Crassitudo, &c.* Suspicor, Nostros Vav in Jod converso, & punctis vocalibus immutatis legisse כְּמוֹ גֶּלַח יִבָּקַע בָּאָרֶץ, Sicut fragmen scindetur in terra. Hoc fragmen Crassitudinem terræ, idest crassam molem, crassam glebam, illi nominant. Quid porro si error sit in Græco *γῆς*, pro *καί*? Sicut crassa moles terræ, ait, scinditur aratro, vel alia magna violentia, sic dissipata sunt &c. Nostris Justorum verba sunt, qui de persecutionibus hostium conqueruntur. Hebræus autem Injustorum aliam vitam post mortem negantium credit esse verba, & legit hoc pacto, Sicut scindens, & findens in terra, qui nullum dolorem in eam immittit, sic sunt ossa nostra dissipata prope sepulcrum, quæ nullum patiuntur dolorem, post mortem videlicet. Græcus legit *αὐτῶν*. *Secus*. Idem Hebræus suo idiotismo: Ori. *Infernum*. Vox hebræa Sepulcrum, & Infernum denotat.

8. Oculos esse ad Deum, est idiotismus; ut auxilium ab eo reportes, videlicet. *Speravi*. Sic Nostri transferunt. Hebræus: Confugi, me recepi. *Non auferas*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Ne evacuabis, effundes animam, vitam meam, quasi aquam. Effunderetur autem proprie, si opinionibus horum stultissime crederem.

9. *A laqueo*. Idem Hebræus suo loquendi tropo: A manibus laquei. Poetice dat manus laqueo, satis eleganter. *Quem*. Ex orationis consequentia subintelligitur. *Statuerunt*. Translatio sensus. Hebræus: Illaquearunt, in laqueum tetenderunt. *A scandalis*. Hebræus aliud laquei synonymum plurale, & genitivo casu ponit: Et laqueorum. Supple, a manibus, per zeugma. *Iniquitatem*. Hebræus genitivo: Operantium, operatorum iniquitatis. Ne me sinas insidiosis horum opinionibus, & consiliis opprimi.

10. *In retiaculo*. Hebræus pluraliter: Cadent; vel cadant in retia. *Ejus*. Genebrardus exponit *Suo*, ut sit singulare pro plurali, vel iniquitatis, idest, reti iniquo; vel ei tandem. Ego potius ad laqueum referrem, idiotismo non inornato. Cadant, inquit, in retia ejus laquei, quem mihi tetenderant, gladio suo jugulentur, sordescant adhuc, postquam nolunt resipiscere. *Peccatores*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Injusti, qui Dei justitiam verbis, & actioni-

nibus negant. *Singulariter.* Sufpicor, Noftros facillimo vocis tranfitu, mutato Jod in Aleph, legiffe אֶחָד, Unus ego; ideft cum Græco *κατὰ μόνας*, folitarie, folus, donec tranfeam illorum retia. Nunc Hebræis eft יַחַד, fimul, una, pariter. Quam particulam quidam fuperioribus conjungunt fic: Cadant injufti fimul in ejus retia. Alii disjungunt, & hic reponentes exponunt varie, nam quidam ad injuftos, ad juftos alii referunt. Cadant in fuos caffes, ait, dum fimul fum cum ipfis, ut majorem excipiant animi dolorem, quod a me capi videantur, & me itidem cernant evadentem. Vel, fim una cum illis juftis, qui me corrigentes frenent, donec horum infidias tranfeam. *Sum.* Subintellectum ex fermonis confequentia. *Tranfeam.* Horum laqueos, vel vitam hanc; donec obiero. Verbum hebræum eft futuri temporis. *Ego donec tranfeam.* Hyfterologia, metri cauffa forfitan: Donec ego tranfeam.

PSALMUS CXLII. Lat. CXLI.

משכיל לדוד בהיותו במערה תפלה:	1. *Intellectus Davidi, in effendo eum in fpelunca, oratio.*	1. Intellectus David, cum effet in fpelunca, oratio.
קולי אל יהוה אזעק קולי אל יהוה אתחנן:	2. *Voce mea ad DOMINUM clamabo, voce mea ad DOMINUM fupplicabo.*	2. Voce mea ad DOMINUM clamavi, voce mea ad DOMINUM deprecatus fum.
אשפך לפניו שיחי צרתי לפניו אגיד:	3. *Effundam faciebus ejus eloquium meum, tribulationem meam faciebus ejus indicabo.*	3. Effundo in confpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipfum pronuncio.
בהתעטף עלי רוחי ואתה ידעת נתיבתי בארח זו אהלך טמנו פח לי:	4. *In deficiendo fuper me fpiritum meum, & tu cognovifti femitam meam; in via hac,* qua *ambulabo, abfconderunt laqueum mihi.*	4. In deficiendo ex me fpiritum meum, & tu cognovifti femitas meus. In via hac *qua* ambulabam, abfconderunt laqueum mihi.
הביט ימין וראה ואין לי מכיר אבד מנוס ממני אין דורש לנפשי:	5. *Afpice dexteram, & vide, & non* eft *mihi cognofcens, periit fuga a me, non* eft *requirens animæ meæ.*	5. Confiderabam *ad* dexteram, & videbam, & non *erat*, qui cognofceret me. Periit fuga a me, & non *eft*, qui requirat animam meam.
זעקתי אליך יהוה אמרתי אתה מחסי חלקי בארץ החיים:	6. *Clamavi ad te DOMINE, dixi, tu confugium meum, portio mea in terra viventium.*	6. Clamavi ad te DOMINE, dixi, Tu *es* fpes mea, portio mea in terra viventium.

7. In-

הקשיבה אל רנתי כי דלותי מאד הצילני מרדפי כי אמצו ממני׃

7. *Ausculta ad ovationem meam, quia attenuatus sum valde, libera me a persequentibus me, quia fortes fuerunt a me.*

7. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.

הוציאה ממסגר נפשי להודות את שמך בי יכתרו צדיקים כי תגמל עלי׃

8. *Educ e clausura animam meam, ad confitendum nomen tuum, in me coronabunt justi, quoniam retribues super me.*

8. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me exspectant justi, donec retribuas mihi.

ANNOTATIONES.

Elegantissimum carmen in media animorum ob adversam fortunam perturbatione canens, humana ope destitutos docet, unde nam auxilium contra insectatores sit exspectandum. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Intellectus*. De hac voce diximus alibi, & præsertim in Thesauro. Hic vero quam maxime quadrat, ut alludat ad illud, Vexatio dat intellectum; quod notes. *David*. Dativi, vel genitivi casus, prout Lamed utrique deservire, sæpius diximus. *Cum esset*. Sic Hebræus gerundio, suo loquendi modo: In essendo eum. Historiam hanc leges 1. Sam. 24, seu 1. Reg. 24.

2. *Clamavi*. Sic Hebræus futuro: Clamabo. *Deprecatus sum*. Idem Hebræus prope futuro: Supplicabo; precabor. Nullius momenti varietas.

3. *Effundo*. Hebræus futuro: Effundam, versabo. *In conspectu*. Sic Hebræus dativo plurali, suo loquendi modo: Faciebus ejus. *Orationem meam*. Non longe aliter Hebræus: Eloquium meum. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Ante ipsum*. Hebræus: Faciebus ejus; ut supra. *Pronuncio*. Idem fere Hebræus futuro: Indicabo; apud ipsum hanc meam calamitatem. Minimi ponderis varietates. Effundere eloquium ante aliquem, idiotismus satis notus.

4. *In deficiendo*. Cum deficeret, syncopen pateretur. Vide Thesaurum. *Ex me*. Hebræus: Super me; in me. *Semitas meas*. Quasi legerint Nostri punctis immutatis נְתִיבוֹתַי, quod nunc Hebræis est singulare נְתִיבָתִי, semitam meam, proprie, vel vitam, vitæ rationes, studia, & hujusmodi. Prior sensus simplicior. *Qua*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Ambulabam*. Idem Hebræus futuro: Ambulabo. *Laqueum*. Insidias exitiales.


5. *Considerabam*. Vox hebræa est amphibola infinitivi temporis, & imperativi. Nostris est infinitum pro præterito, de more linguæ: Aspiciendo, aspiciebam, considerabam mente & oculis. Hebræus imperativum esse credit: Aspice, considera. Absentem quemlibet alloquitur. Vulgo etiam aliquando sic loquimur: Vedi come son afflitto. *Ad*. Non habetur in Hebræo, sed a Nostris additum est ex sermonis consequentia de more linguæ. *Dexteram*. Vel proprie dexterum latus, ut gestum hominis sollicitî & anxii in omnem partem se vertentis exprimat; vel metonymice denotat auxilium. *Videbam*. Nostri forsitan punctis immutatis legerunt וְרָאֹה in infinitivo, Et videndo, & videbam, diligenter observabam; quod nunc Hebræis est in imperativo וּרְאֵה, Et vide; quamvis non desint, qui putent hanc formam etiam esse communem imperativo & infinitivo, ut הַבִּיט superius. *Erat*. Vel,

eſt, additum ex ſermonis conſequentia. *Qui cognoſceret me*. Idem Hebræus dativo, & præſenti participio: Mihi agnoſcens, me cognoſcens. Fugam perire ab aliquo, idiotiſmus, pro Nullum habere effugium, fugæ locum non eſſe. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Eſt*. Additum ex ſermonis conſequentia. *Qui requirat animam meam*. Idem Hebræus præſenti participio, & dativo: Requirens animæ meæ. Quærere animæ alicujus, eſt Salutem, & liberationem illius inquirere, vitam & ſalutem illius curare. Aſt quærere animam, aliud eſt, nempe ad perniciem & exitium. Conſule Theſaurum in vocibus בִּקֵּשׁ, & דָּרַשׁ, ac נֶפֶשׁ.

6. Es. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Spes mea*. Ut Noſtri tranſferunt. Hebræus: Confugium meum, quod non eſt ſine ſpe. Vide Theſaurum. *Viventium*. Vel Vitarum, vitæ. In hoc mundo, vel Hieroſolymis, in patria, vel tandem in altero ſeculo, quod viventium eſt proprie.

7. *Intende*. Idem prope Hebræus: Auſculta. *Deprecationem*. Non longe aliter Hebræus: Ovationem; vociferationem; quaſi dicas querimoniam, quam orando fundo. *Humiliatus*. Hebræus: Attenuatus, exhauſtus ſum. Non maxima varietas. *Nimis*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Valde, vehementer; *Confortati ſunt*. Idem Hebræus: Fortes, potentes fuerunt. *Super me*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: A me, præ me; quia ſunt me fortiores, & potentiores.

8. *De cuſtodia*. Non longe aliter Hebræus: De clauſura, de hac ſpelunca, & obſidione. *Animam*. Metonymice: Me. *Nomini tuo*. Hebræus accuſativo: Nomen tuum. Ut liberatus illud celebrem. *Me exſpectant*. Ex ſignificatione Chaldaica Noſtri verbum derivarunt. Vide Theſaurum in radice כָּתַר. Hebræus futuro: In me coronabunt, coronam facient juſti. Quaſi coronam capiti ſuo me imponent, glöriantes inter ſe de mea ſalute, & liberatione. Vel eſt antitheſis. Expulſis inimicis, in me (me ipſum) coronabunt, cingent, ſtipabunt juſti, non ut perdant, quemadmodum illi, ſed ut celebrent nomen tuum mecum. *Donec*. Videntur Noſtri alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt עַד, nam Hebræis nunc eſt particula cauſſativa כִּי, Quia, quoniam, cum. *Retribuas*. Hebræus futuro: Retribues, benefacies. Vide Theſaurum de hoc verbo. *Mihi*. Hebræus ſuo loquendi modo: Super me. Cum dederis mihi hoc beneficium, juſti me gratulabundi coronabunt undique.



PSALMUS CXLIII. Lat. CXLII.

מזמור לדוד יהוה שמע תפלתי האזינה אל תחנוני באמנתך ענני בצדקתך :

1. Psalmus Davidi. DOMINE audi orationem meam, ausculta ad supplicationes meas in veritate tua, responde me in tua justitia.

1. Psalmus David, *quando persequebatur eum Absalon filius eius.* DOMINE exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.

ואל תבוא במשפט את עבדך כי לא יצדק לפניך כל חי :

2. Et ne venies in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur faciebus tuis omnis vivens.

2. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

כי רדף אויב נפשי דכא לארץ חיתי הושיבני במחשכים כמתי עולם :

3. Quia persecutus est inimicus animam meam, attrivit terræ vitam meam, collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi.

4. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi,

ותתעטף עלי רוחי בתוכי ישתומם לבי :

4. Et syncopin passus est super me spiritus meus, in medio mei obstupesces cor meum.

4. Et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

זכרתי ימים מקדם הגיתי בכל פעלך במעשה ידיך אשוחח :

5. Memini dies ab antiquo, meditatus sum in omni opere tuo, in facto manuum tuarum loquar.

5. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.

פרשתי ידי אליך נפשי כארץ עיפה לך סלה :

6. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra defessa tibi. Sélah.

6. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

מהר ענני יהוה כלתה רוחי אל תסתר פניך ממני ונמשלתי עם ירדי בור :

7. Accelera, responde me DOMINE, defecit spiritus meus, ne abscondes facies tuas a me, & similis ero cum descensoribus laci.

7. Velociter exaudi me DOMINE, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum.

השמיעני בבקר חסדך כי בך בטחתי הודיעני דרך זו אלך כי אליך נשאתי נפשי :

8. Audire fac me in mane pietatem tuam, quia in te confisus sum, fac me cognoscere viam hanc, in *qua ambulabo, quia ad te levavi animam meam.*

8. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Notam fac mihi viam, *in qua* ambulem, quia ad te levavi animam meam.

9. E-

הצילני מאויבי יהוה אליך כסיתי :	9. *Eripere meum de inimicis meis DOMINE ad te occultavi.*	9. Eripe me de inimicis meis DOMINE, ad te confugi :
למדני לעשות רצונך כי אתה אלוהי רוחך טובה תנחני ב בארץ מישור :	10. *Doce me ad faciendum voluntatem tuam, quia tu Deus meus: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectitudinis.*	10. doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus *es* tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.
למען שמך יהוה תחיוני ב בצדקתך תוציא מצרה נפשי:	11. *Propter nomen tuum DOMINE vivificabis me, in æquitate tua educes de tribulatione animam meam.*	11. Propter nomen tuum DOMINE vivificabis me in æquitate tua. Educes de ttibulatione animam meam,
ובחסדך תצמית אויבי והאבדת כל צררי נפשי כי אני עבדך:	12. *Et in pietate tua exscindes inimicos meos, & perdes omnes tribulantes animæ meæ, quia ego servus tuus.*	12. Et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos. Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus *sum.*

ANNOTATIONES.

Maximis inimicorum persecutionibus, & calamitatibus pene oppressus, elegantissimo carmine, & ad impetrandum Divinum auxilium satis accommodato, fideles, quid agendum sit in rebus adversis instruit. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *David*. Dativi, vel genitivi casus, uti sæpius dictum est. *Quando persequebatur, &c.* Hæc omnia sunt a Nostris adjecta. Et quidem argumentum videtur esse generalius. *Exaudi.* Pro simplici Audi positum. *Auribus percipe*. Ausculta, attende. *Obsecrationem meam*. Hebræus addens præpositionem Ad, de more linguæ, idem fere plurali profert: Ad supplicationes, obsecrationes meas. *In veritate*. Pro tua fide, secundum promissionum tuarum veritatem. *Exaudi*. Hebræus: Responde; quod exauditionis signum est. *In tua justitia*. Per tuam justitiam, quæ postulat, ut fidem præstes.

2. *Intres*. Hebræus futuro: Ne venies. Venire in judicium cum aliquo, est, Cum eo jure agere. *In conspectu tuo*. Hebræus dativo plurali, suo loquendi modo: Faciebus tuis. *Non omnis*. Idest, Nullus vivens. Non meritis, sed gratia salvari postulat ab inimicis. Quasi dicat, Ne perpendas, quæso, an eripi merear, cum nullus sit, qui non aliqua macula peccati vel fuerit, vel sit inquinatus, vel saltem sibi relictus, non possit inquinari, quod meam salutem impedire posset. Verum non peccatorum vitatione sola justus quis efficitur, sed bonorum operum adjectione, ut justificari mereatur. Est autem meritum, non opus bonum simpliciter, sed cum gratia, & per gratiam Dei factum, & acceptatum, quod gratuitum dicimus ex parte gratiæ prævenientis & comitantis, nostrum vero tantum ratione liberi arbitrii & obedientiæ.

3. *Animam meam*. Ut eam eriperet. Vel metonymice, me ipsum. *Humiliavit*. Depressit, dejecit. Hebræus nescio quid gravius: Attrivit. *In terra*. Hebræus dativo: Terræ; humi.

Col-

Collocavit. Habitare, sedere, manere fecit in obscuris locis, in speluncis, & latebris proprie, vel sic vocat calamitates & mala, quibus mens ipsius obtenebrabatur. Est enim poetica hypotyposis hominis extreme afflicti. Mortui seculi sunt, qui morte naturali passim occumbunt, & sepulti jacent in tenebris, ad differentiam crucifixorum, trucidatorum, & hujusmodi, qui jacent insepulti; Vel sunt jamdudum mortui, & a seculo degentes in tenebris; Vel tandem in seculum, sive in perpetuum mortui.

4. *Anxiatus est*. Non longe aliter Hebræus: Syncopin passus est; ob anxietatem. Idem verbum habetur in superiori psalmo vers. 4. *In me*. Sic Hebræus: In medio mei. *Turbatum est*. Translatio sensus. Hebræus futuro: Obstupescet, desolabitur. Spiritum syncopin pati, &, Cor obstupescere, sunt idiotismi satis noti, anxietatem maximam, & extremam afflictionem denotantes.

5. *Dierum antiquorum*. Idem Hebræus suo loquendi modo: Dies ab antiquo, ab ante; ante acti temporis. *Meditatus sum*. Mente & lingua recensui. *In omnibus, &c.* Hebræus singulariter: In omni opere tuo. *In factis*. Hebræus iterum singulariter: In facto, opere. *Meditabar*. Hebræus futuro: Loquar. Nullius momenti varietas. Meditari, & loqui in opere Dei, est Divinorum factorum cogitatione se consolari.

6. Expandere manus ad Deum, idiotismus satis notus; supplicandi & auxilium postulandi gratia scilicet. *Sine aqua*. Translatio sensus. Hebræus poetice satis eleganter: Defessa; nimio æstu videlicet avidissime aquam expetens. *Tibi*. Ad te est, languet, vel aliud quid hujusmodi. De Selah diximus alibi.

7. *Velociter*. Vox hebræa est ambigua: vel nomen, quod etiam adverbialiter usurpatur, ut Nostri fecerunt; vel verbum imperativum: Accelera, festina. Idem semper sensus. *Exaudi*. Hebræus: Responde; quod exauditionis est signum. *Defecit*. Ærumnis exstinctus periit prope, nisi succurras; vel desiderio & exspectatione tui auxilii fere conficitur. Hic sensus ultimus est purior. Consule Thesaurum. *Avertas*. Idem Hebræus fere, futuro: Abscondes, celabis. *Faciem tuam*. Hebræus pluraliter: Facies tuas. Ut indignabundi solent, qui visum avertunt. *Et similis ero*. Tunc siquidem essem similis. *Descendentibus*. Hebræus addit præpositionem: Cum descensoribus. *In lacum*. Sic Hebræus genitivo: Laci, putei, sepulcri. Descensores laci, seu descendentes in lacum, sunt mortui.

8. *Auditam fac mihi*. Sic Hebræus: Audire fac me, fac audiam. *Mane*. Hebræus addit præpositionem In; nam est nomen: In mane. Mature, cito, quam primum. *Misericordiam*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Pietatem, benignitatem tuam fac experiar tempestive; nam hoc significat Audire facere, pietatem in mane. *Speravi*. Idem Hebræus prope: Fisus sum; quod spe salutis fit. *Notam fac mihi*. Idem Hebræus: Fac me cognoscere, fac agnoscam. Græcus addit Κύριε. *Viam*. Hebræus addit emphatice, Hanc. *In qua*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Ambulem*. Hebræus futuro: Ambulabo, incedere debeo. Idiotismus. Id est, viam bonam & rectam, per quam ad te recte perveniam, mihi demonstra. Levare animam ad Deum, idiotismus satis notus; meditatione scilicet, & precibus animum, & mentem ad Deum attollere.

9. *Eripe me*. Vox hebræa est amphibola, imperativi scilicet, & infinitivi modi. Hebræus infinitivo: Eripere meum, liberare me; quod me erepturus sis. *Confugi*. Suspicor, Nostros facillimo Caph in Nun transitu legisse נסתי, quamvis Genebrardus au-

tu-

tumet, eos potius obſcuritatem archetyſpi perſpicue expreſſiſſe. Fugi; ut ſcilicet apud te abſconderer ab hoſtibus meis. Nunc Hebræus habet כִסִּתִי, Texi, occultavi ad te, tibi, apud te: liberationem meam, quod me de manibus Saulis, & omnium inimicorum ereptum, tandem ad regnum evecturus ſis, non promulgavi; apud te, ex quo totum id exſpecto, repoſui. Quidam ſic explicant: Occultavi (ſupple me); ideſt, ad te latitaturus confugi, te poſui pro meo operimento. Prior ſenſus ſimplicior, & purior.

10. *Facere*. Idem Hebræus gerundio: Ad faciendum. *Es*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Bonus*. Nam malum etiam ſpiritum in Scripturis legimus. Hic de Spiritu Sancto eſſentialiter bono ſermo eſt. *Rectam*. Hebræus ſubſtantivo, ſuo loquendi modo: Rectitudinis. In ſolum planum, in quo non impingam. Idiotiſmus notus. Ideſt, in viam virtutis, in conſilia, & actiones tibi gratas.

11. *Vivificabis*. Vivere facies, in vita conſervabis, vel juſtificabis, vita ſpirituali ſcilicet. *In æquitate*. Propter juſtitiam tuam. Hoc Noſtri conjungunt ſuperioribus, Hebræus ſequenti verbo, ut ex te videre potes. Sed hæc minima. *Educes*. Exire facies animam meam de afflictione.

12. *Miſericordia*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: In, pro tua pietate, propter tuam benignitatem. *Diſperdes*. Idem fere Hebræus: Exſcindes. *Omnes*. Ad declarationem additum. *Qui tribulant animam meam*. Sic Hebræus participio: Tribulantes animæ meæ, animam meam affligentes. *Sum*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum.

PSALMUS CXLIV. Lat. CXLIII.

לדוד ברוך יהוה צורי המלמד ידי לקרב אצבעותי למלחמה :	1. *Davidi. Benedictus DOMINUS petra mea, docens manus meas prælio, digitos meos bello.*	1. *Pſalmus* David *adverſus Goliath*. Benedictus DOMINUS Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, *&* digitos meos ad bellum.
הםדי ומצודתי משגבי ומפלטי לי מגני ובו חסיתי הרודד עמי תחתי :	2. *Pietas mea, & arx mea, exaltatio mea, & liberator meus mihi, ſcutum meum, & in ipſum confugi, ſubdens populum meum ſub me.*	2. Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus. Protector meus, & in ipſo ſperavi, qui ſubdit populum meum ſub me.
יהוה מה אדם ותדעהו בן אנוש ותחשבהו :	3. *DOMINE quid homo, & cognoſces eum? filius hominis, & reputabis eum?*	3. DOMINE quid *eſt* homo, quia innotuiſti ei? *aut* filius hominis, quia reputas eum?
אדם להבל דמה ימיו כצל עובר :	4. *Homo vanitati ſimilis fuit, dies ejus ſicut umbra tranſeuntis.*	4. Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt.

5. DO-

יהוה הט שמיך ותרד גע בהרים ויעשנו :	5. *DOMINE inclina cælos tuos, & descendes, tange in montes, & fumigabunt.*	5. DOMINE inclina cælos tuos, & descende, tange montes, & fumigabunt.
ברוק ברק ותפיצם שלח הציך ותהמם :	*6. Fulgura coruscationem, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.*	6. Fulgura coruscationem, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.
שלח ידיך ממרום פצני ו והצילני ממים רבים מיד בני נכר :	7. *Mitte manus tuas de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienationis.*	7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.
אשר פיהם דבר שוא וימינם ימין שקר :	8. *Quorum os eorum locutum est vanum, & dextera eorum dextera mendacii.*	8. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.
אלהים שיר חדש אשירה לך בנבל עשור אזמרה לך :	9. *Deus canticum novum cantabo tibi in nablo, decachordo psallam tibi.*	9. Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.
הנותן תשועה למלכים ה הפוצה את דוד עבדו מחרב רעה :	10. *Dans salutem regibus, eripiens David servum suum de gladio malo.*	10. Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum, de gladio maligno
פצנו והצילני מיר בני נכר אשר פיהם דבר שוא וימינם ימין שקר :	11. *Eripe me, & libera me de manu filiorum alienationis, quorum os eorum locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera mendacii.*	11. eripe me. Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.
אשר בנינו כנטעים מגדלים בנעוריהם בנותינו כזוית ם מחטבות תבנית היכל :	12. *Quod filii nostri sicut plantæ auctæ in juventutibus suis, filiæ nostræ ut anguli excisi ædificio templi.*	12. Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi.
מזוינו מלאים מפיקים מזן אל זן צאננו מאליפות מרבבות בחוצותינו :	13. *Anguli nostri pleni educentes de specie ad speciem, ovis nostra mille producentes, millionatæ in plateis nostris.*	13. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis,
אלופינו מסבלים אין פרץ ואין יוצאת ואין צוחה ב ברחבתינו :	14. *Boves nostri onerati, non fractura, neque egrediens, neque clamor in plateis nostris.*	14. boves eorum crassæ. Non *est* ruina *maceriæ*, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

אשרי העם שככה לו אשרי העם שיהוה אלהיו :

15. *Beatus populus, quòd sic ei, beatus populus, quòd DOMINUS Deus ejus.*

15. Beatum *dixerunt* populum, cui hæc sunt; beatus populus, cujus DOMINUS Deus ejus.

ANNOTATIONES.

DEo, qui suos tuetur a malis omnibus, fidendum esse magis, quam in augmento prolis, divitiis, vel alia quavis mundana felicitate, carmine satis ornato docet. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Psalmus*. Non habetur in Hebræo, quamvis hoc parum, vel nihil referat. *David*. Dativi, vel genitivi casus; ut sæpius diximus. *Adversus Goliath*. Additum a Nostris, nec incommode penitus; nam vers. 10. videtur ad illud duellum alludere. *Benedictus*. Laudatus sit, laudetur, celebretur, qui me in bellis non deserit. *Deus meus*. Hebræus: Petra mea. Epithetum Dei, ad quem, tanquam ad arcem, confugimus. *Qui docet*. Sic Hebræus participio: Docens. *Ad prælium*, *ad bellum*. Hebræus idem dativo: Prælio, bello. *Et*. Non habetur in Hebræo, neque in Græco.

2. *Misericordia*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Pietas mea; Deus, qui benignitate maxima semper erga me utitur. *Refugium meum*. Translatio sensus. Hebræus: Arx mea, in quam refugio. *Susceptor meus*. Iterum translatio sensus. Qui me defendendum suscipit. Hebræus: Exaltatio, elevatio mea, locus altus, & munitus, in quo securus dego. *Liberator meus*. Hebræus addit emphatice, Mihi. *Protector*. Translatio sensus. Hebræus: Clypeus, scutum meum, quo protegor. *Speravi*. Idem Hebræus fere: Confugi; quod non fit sine spe. *Qui subdit*. Non longe aliter Hebræus participio: Sternens, subdens, & subigens, ac obedientes reddens.

3. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Quia innotuisti ei*. Translatio sensus. Hebræus conjunctione, & futuro: Et cognosces eum. Ei te cognoscendum offers, eum curas. *Aut*. Non habetur in Hebræo. *Quia reputas*. Hebræus iterum conjunctione, & futuro: Et reputabis eum; tanti facis. Nullius momenti varietates.

4. *Vanitati*. Inanitati, ipsi nihilo. *Similis factus est*. Similis fuit, assimilatur. *Prætereunt*. Nostri ad dies verbum referunt, quasi literis transpositis legerint עָבְרוּ, transierunt, transeunt; quod nunc Hebræis est participium præsens עוֹבֵר, Sicut umbra præteriens, vel certe transeuntis. Umbra nullam habet subsistentiam vel minimam, at prætereuntis statim evanescit perinde ac si nunquam exstitisset.

5. *Descende*. Sic Hebræus futuro: Descendes. Inclinare cælos, poetice. *Montes* Proprie; vel hostes. Hebræus addit præpositionem *In*, de more linguæ. Deum tangere in montes, est fulmine, tonitru, & aliis cælestibus telis percutere. *Fumigabunt*. Fumabunt, vertentur in fumum.

6. *Fulgura coruscationem*. Proprie; ad terrendum hostes. Divinas ultiones. *Sagittas*. Ut puta, fulmina, grandines, & similia ignita meteora. *Conturbabis*. Disturbabis, dissipabis.

7. *Manum tuam*. Hebræus pluraliter: Manus tuas. *De alto*. De cælo. *De aquis multis*. De periculis ingentibus, & ab hostibus. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Alienorum*. Idem Hebræus substantivo, de more linguæ: Alienationis, extraneitatis, ut ita dicam; Extraneorum, barbarorum.

8. *Os*.

8. *Os*. Hebræus addit pronomen de more linguæ, quod latine vacat: Eorum. *Vanitatem*. Vanum, potentiam ſuam, & temporariam proſperitatem jactantes. *Dextera*. Proprie. Potentia, robur, poteſtas. *Iniquitatis*. Non longe aliter Hebræus: Mendacii; mendax, fallax, quæ vel deficit in actionibus, vel tractat iniqua, & flagitia.

9. *Canticum novum*. Ratione materiæ novæ ſalutis. *Pſalterio*. Nablo. Inſtrumenti muſici nomen. *Decachordo*. Aliud decem chordarum inſtrumentum.

10. *Qui das*. Hebræus participio: Dans, qui dat, nam in tertiam perſonam ſermonem vertit. Noſtri perſiſtunt in ſecunda. Dare ſalutem, eſt auxiliari, opem ferre. *Qui redemiſti*. Translatio ſenſus, niſi Noſtris ſit הַפּוֹדֶה. Hebræus non longe aliter, præſenti participio poetice, loco præteriti: Eripiens, qui eripit. *Servum tuum*. Hebræus: Suum. *De gladio maligno*. Inimicorum omnium. Hebræus hic terminat ſententiam. Noſtri extendunt ad ſequentia. Sed hæc parum vel nihil referunt.

11. *Erue*. Libera me. *Alienorum*, *&c.* Ut ſupra verſ. 7. & 8. Ibi vide.

12. *Quorum filii*, *&c.* Noſtri μίμησιν ad perſpicuitatem immutarunt. Hebræus narrat verba impiorum felicitatem ſuam temporariam effuſe jactantium, quos ob id ſuperius dixerat, vanitatem loqui; nam quid dici poteſt vanius, amabo te, cum affluentia bonorum omnium iſtius mundi ſit fluxiſſima, duratio brevis, & poſſeſſio fallaciſſima? Quòd, inquiunt, filii noſtri, &c. Particula אֲשֶׁר varie ſumitur. Conſule Theſaurum. Hic continuativa, non cauſſalis, vel finalis eſt; vel certe protenditur ſermo ad calcem pſalmi. Quòd ſimus affluentes bonis hiſce, beatum dicimus eſſe populum, cui talia contingunt. Qui putant fidelium eſſe verba de felicitate mundana gloriantium, hebraicæ linguæ puritatem, & ſimplicitatem corrumpunt, nec ſacras intelligunt Scripturas, quæ nunquam in his rebus corporeis beatitudinem proprie collocant, ſed potius in paupertate, patientia, crucibus, perſecutionibus, & hujuſmodi. An vero tandem ſatis arguta, & ad flectendum Deum accommoda videretur tibi eſse hæc oratio: Erue me de manibus alienorum, quoniam externis bonis omnibus abundamus? Verum tam ineptam & ridiculam rationem pluribus confutare nolumus. *Novellæ plantationes*. Germina pullulantia ſemperque florentia. Hebræus: Sicut plantæ auctæ, quæ augmentum acceperunt, quibus nihil ad augmentum pertinens defuit. *In juventute ſua*. Vox hebræa eſt pluralis natura: In juventutibus ſuis. *Filiæ eorum*. Hebræus: Filiæ noſtræ. *Compoſitæ*, *circumornatæ*. Translatio ſenſus. Hebræus: Ut anguli exciſi, ſive dolati, ideſt affabre compoſiti & conſtructi, ne ullus ſequatur hiatus, vel deformitas proportionis & conjunctionis. *Ut ſimilitudo*. Non longe aliter Hebræus ablativo: Ædificio templi. Ut exemplar templi, palatii. Primam felicitatem in numeroſa & eleganti ſobole ponunt.


13. *Promptuaria*. Conclavia, penaria, quæ ſolent collocari in angulis ædium. Hebræus: Anguli. At ſuperius erant exteriores, hic interiores. Secunda felicitas, rerum domeſticarum copia. *Eorum*. Hebræus: Noſtri pleni. *Eructantia*. Satis eleganter. Hebræus: Educentes, extrahentes. *Ex hoc in illud*. Quaſi legerint Noſtri facillimo vocum tranſitu מִזוּ. אֶל זוּ, Ex hoc ad illud; quod nunc Hebræis eſt מִזַּן אֶל זַן, De ſpecie ad ſpeciem. Niſi malles, eos ſenſum dumtaxat tranſtuliſſe; ideſt, ex hac re in aliam. Eſt enim idiotiſmus

 pul-

pulcherrimus; pro, Tanta eſt proventuum copia, ut in horreis confundantur omnia, ut puta tritici acervus miſceatur acervo milii, & ſic in ceteris. Undique redundant & diffluunt. Vulgo etiam dicitur: Ogni canton è pieno. *Oves eorum*. Hebræus ſingulariter, collective: Ovis noſtra; oves noſtræ. *Fœtoſæ*. Fœcundæ, multiparæ. Hebræus poetice: Millenariæ, mille fœtus parientes, & gignentes. Felicitas tertia, pecorum multitudo & fecunditas. *Abundantes*. Translatio ſenſus. Hebræus: Millionatæ, ut ita dicam, docendi gratia; ideſt in myriadas auctæ, myriadum replentes numerum. *In egreſſibus ſuis*. In viis, in locis in quos exeunt, in viarum exitibus eorum. Sic Hebræus: In plateis, in vicis, compitis noſtris.

14. *Boves eorum*. Hebræus: Boves noſtri. *Craſſæ*. Translatio ſenſus. Hebræus: Onerati, onuſti pinguedine & carne, & ſic validi, fortes in oneribus ferendis. *Eſt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintelligendum. *Ruina*. Non longe aliter Hebræus: Ruptura, fractura, rima. Quarta felicitas, loci omnes ab irruptione & hoſtilitate muniti. *Maceriæ*. Ad declarationem additum. *Tranſitus*. Tranſmigratio in captivitatem. Idem fere Hebræus, ſed participio fœminino: Neque egrediens. Nulla ovis, vel nulla res egreditur, ut veniat in alterius poteſtatem & ſervitutem. *Clamor*. Ejulatus, ululatus ob adverſa quæque. Ultima felicitas incolumitatis. *In plateis eorum*. Hebræus; Noſtris. In compitis noſtris nulla audiuntur lamenta, vel jurgia.

15. *Dixerunt*. A Noſtris additum, ut Hebraiſmum explicarent. Hebræus pergit narrare verba impiorum: Beatus populus. *Cui hæc ſunt*. Non aliter Hebræus ſuo loquendi modo: Quod ita ei. Supple, eſt. *Beatus populus*. Verba pſalmographi, qui hanc impiorum opinionem refellit, quaſi diceret: Vos beatos & felices prædicatis eos, qui bonorum omnium copia referti ſunt; atqui potius beatos dicerem eos, qui Deum norunt, colunt, & amant, ſive iſta copioſe adſint, aut mediocriter, ſive omnino etiam deſint. *Cujus*. Hebræus: Quòd Dominus. *Deus ejus*. Supple, eſt.



PSAL-

PSAL. CXLV. Lat. CXLIV.

תהלה לדוד ארוממך אלוהי המלך ואברכה שמך לעולם ועד :	1. *Laudatio Davidi. Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomen tuum seculo & æterno.*	1. Laudatio ipsi David. Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.
בכל יום אברכך ואהללה שמך לעולך ועד :	2. *In omni die benedicam te, & laudabo nomen tuum seculo & æterno.*	2. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.
גדול יהוה ומהלל מאד ז ולגדלתו אין חקר :	3. *Magnus DOMINUS, & laudatus valde, & magnitudini ejus non* eſt *investigatio.*	3. Magnus DOMINUS, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non *est* finis.
דור לדור ישבח מעשיך וגבורתיך יגידו :	4. *Ætas ætati laudabit opera tua, & potentias tuas annunciabunt.*	4. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.
הדר כבוד הודך ודברי כ נפלאתיך אשיחה:	5. *Decorem gloriæ majestatis tuæ, & verba mirabilium tuorum loquar.*	5. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.
ועזוז נוראותיך יאמרו ו וגדלותיך אספרנה :	6. *Et robur terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabo eam.*	6. Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.
זכר רב טובך יביעו וצדקתך ירננו :	7. *Memoriam multitudinis boni tui eructabunt, & justitiam tuam ovabunt.*	7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exsultabunt.
חנון ורחום יהוה ארך א אפים וגדול חסד :	8. *Gratiosus, & misericors DOMINUS, longus narium, & magnus pietate.*	8. Miserator, & misericors DOMINUS, patiens, & multum misericors.
טוב יהוה לכל ורחמיו על כל מעשיו :	9. *Bonus DOMINUS universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.*	9. Suavis DOMINUS universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.
יודוך יהוה כל מעשיך ו וחסידיך יברכוכה :	10. *Confitebuntur te DOMINE omnia opera tua, & pii tui benedicent te.*	10. Confiteantur tibi DOMINE omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.
כבוד מלכותך יאמרו וגבורתך ידברו :	11. *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.*	11. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

12. Ut

להודיע לבני האדם גבורותיו וכבוד הדר מלכותו :

12. *Ad ſcire faciendum filijs hominum potentias ejus, & gloriam decoris regni ejus.*

12. Ut notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

מלכותך מלכות כל עלמים וממשלתך בכל דור ודר :

13. *Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni ætate & ætate.*

13. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

סומך יהוה לכל הנפלים וזוקף לכל הכפופים :

14. *Suſtentans DOMINUS omnibus cadentibus, & erigens omnibus incurvatis.*

14. Allevat DOMINUS omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos.

עיני כל אליך ישברו ואתה נותן להם את אכלם בעתו :

15. *Oculi omnium ad te exſpectabunt, & tu das eis eſcam illorum in tempore eorum.*

15. Oculi omnium in te ſperant, *Domine*, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

פותח את ידיך ומשביע לכל חי רצון :

16. *Aperiens manum tuam, & ſatians omni viventi voluntate.*

16. Aperis *tu* manum tuam, & imples omne animal benedictione.

צדיק יהוה בכל דרכיו וחסיד בכל מעשיו :

17. *Juſtus DOMINUS in omnibus viis ſuis, & pius in omnibus operibus ſuis.*

17. Juſtus DOMINUS in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

קרוב יהוה לכל קראיו לכל אשר יקראהו באמת :

18. *Proximus DOMINUS omnibus invocantibus eum, omnibus qui vocabunt eum in veritate.*

18. Prope *eſt* DOMINUS omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.

רצון יראיו יעשה ואת ש שועתם ישמע ויושיעם :

19. *Voluntatem timentium ſe faciet, & clamorem eorum audiet, & ſalvabit eos.*

19. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos.

שומר יהוה את כל אהביו ואת כל הרשעים ישמיד :

20. *Cuſtodiens DOMINUS omnes diligentes ſe, & omnes injuſtos devaſtabit.*

20. Cuſtodit DOMINUS omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.

תהלת יהוה ידבר פי ויברך כל בשר שם קדשו לעולם ועד :

21. *Laudationem DOMINI loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomen ſanctitatis ejus, ſeculo & æterno.*

21. Laudationem DOMINI loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Elegantissimo carmine Deum diversis titulis ornat, & extollit. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

Psalmus est artificiosus, ob argumenti dignitatem alphabetico descriptus ordine., suppresso solum Nun elemento, ob aliquod mysterium forsitan, licet Hebræi satis tenuem afferant rationem, Davidem noluisse Nun interponere, mali ominis vitandi caussa, quod נְפִילָה, idest ruina, elementum hoc habeat in capite, & hac etiam de caussa statim addidisse, fulcit Dominus omnes הַנֹּפְלִים, corruentes. Nostri meliorem vocem reposuerunt, ut suo dicemus loco.

1. *Ipsi David*. Sic Hebræus: Davidi, vel Davidis; ut sæpius diximus. *Nomini tuo*. Hebræus accusativo: Nomen tuum. *In seculum*. Hebræus dativo, suo loquendi modo: Seculo. *Et in seculum seculi*. Hebræus: Et æterno. Nullius momenti varietates.

2. *Per singulos dies*. Hebræus singulariter collective: In omni die. *Tibi*. Hebræus accusativo: Te. *In seculum*, *&c*. Hebræus ut in superiori versiculo.

3. *Laudabilis*. Hebræus: Laudatus, dignus laude, laudandus. *Nimis*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Valde, vehementer. *Magnitudinis*. Hebræus dativo: Magnitudini. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Finis*. Translatio sensus. Investigandi scilicet. Hebræus: Investigatio. Inexplicabilis, & impervestigabilis est ejus magnitudo.

4. *Generatio & generatio*. Singulæ generationes, & ætates. Hebræus: Ætas ætati laudabit opera tua. Creationem, redemptionem, gratiam, & gloriam. *Potentiam tuam*. Hebræus pluraliter: Potentias, fortitudines tuas, fortia tua facta. *Pronunciabunt*. Annunciabunt, indicabunt.

5. *Magnificentiam*. Idem Hebræus fere: Decorem, honorem, respectum. *Sanctitatis*. Hebræus: Majestatis tuæ. Minima varietas. *Loquentur*. Suspicor, Nostros literis transpositis legisse יְדַבְּרוּ, quod nunc Hebræis est וְדִבְרֵי, Et verba, res. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Mirabilia tua*. Ob ante dictam mutationem sic transtulerunt. Hebræus genitivo: Mirabilium tuorum, res tuas mirabiles, mira tua facta. *Narrabunt*. Ut locutionem continuarent, sic transtulerunt. Hebræus prima persona: Loquar. Vates hoc de se dicit. Minimi momenti varietas.

6. *Virtutem*. Sic transferunt Nostri sæpius. Hebræus: Robur, potentiam, fortitudinem tuorum operum mirificorum, quæ terrorem & stuporem incutiant. *Magnitudinem tuam*. Sic etiam Hebræi, licet scriptura sit pluralis numeri. *Narrabunt*. Hebræus prima persona, ut in superiori versiculo, & pronomen addit de more linguæ, quod Latine vacat: Narrabo eam; magnitudinem.

7. *Abundantia*. Idem Hebræus fere: Multitudinis. *Suavitatis tuæ*. Hebræus: Boni tui, tuæ bonitatis. *Eructabunt*. Eleganter poetice. Copiose loquentur. *Justitia tua*. Hebræus accusativo: Justitiam tuam. *Exsultabunt*. Hebræus: Ovabunt, jubilabunt, jubilantes decantabunt.

8. *Miserator*. Hebræus: Gratiosus, gratiam largiter conferens. *Patiens*. Sic Hebræus suo loquendi tropo: Longus narium, longus ira, furore, longanimis, ad iram tardus. *Et multum misericors*. Ut transferunt Nostri. Hebræus suo dicendi modo: Et magnus pietate; officiosissimus.

9. *Suavis*. Hebræus: Bonus, benignus. *Super*. In omnia opera sua.

10. *Confiteantur*. Hebræus idem futuro: Confitebuntur, celebrabunt, laudabunt. *Tibi*. Hebræus accusativo: Te. *Sancti*. Hebræus: Pii. Active;

&

& passive, in quos gratiam confers. *Benedicant*. Sic Hebræus futuro: Benedicent, laudabunt. *Tibi*. Hebræus accusativo: Te.

11. *Regni tui*. Ecclesiæ, sed præcipue triumphantis & cælestis.

12. *Ut notas faciant*. Sic Hebræus gerundio: Ad faciendum scire, cognoscere. *Potentiam tuam*. Hebræus pluraliter, & tertia persona, de more linguæ, quæ nunc secunda, nunc tertia persona alloquitur aliquem: Potentias ejus; fortia facta. *Magnificentiæ*. Hebræus ut supra vers. 5: Decoris, honoris. *Tui*. Hebræus tertia persona: Ejus. Nullius momenti varietates.

13. *Generatione*. Hebræus: Ætate, & ætate, per singulas ætates. Sequitur apud Nostros versiculus, qui deest in Hebræo, & e versu 17. infra repetitus videtur ad verbum fere. Olim fortassis sic legebatur: נֶאֱמָן יְהוָה בְּכָל דְּבָרָיו וְחָסִיד בְּכָל מַעֲשָׂיו ; Fidelis Dominus (idest verus, certus, fidus, & firmus) in omnibus verbis suis, & pius, officiosus in omnibus operibus suis. Pietatem illius cuncta ejus opera palam ostentant, vel erga opera sua extenditur illius pietas & misericordia.

14. *Allevat*. A malis. Hebræus participio: Sustentans, fulciens. *Omnes qui corruunt*. Hebræus dativo, & participio: Omnibus cadentibus, corruentibus. *Erigit*. Hebræus iterum participio: Erigens. *Omnes elisos*. Confractos, disruptos. Non longe aliter Hebræus dativo: Omnibus incurvatis. Sustentare cadentes, & erigere incurvatos, sunt idiotismi pulcherrimi; idest, miseros & afflictos reficere.

15. *In*. Hebræus: Ad te. *Sperant*. Idem Hebræus fere, sed futuro: Exspectabunt; mente & corpore; sperabunt. *Domine*. Additum ad majorem declarationem. *Das*. Hebræus participio, & pronomen addit: Dans eis. *Escam*. Cibum congruum. *Opportuno*. Translatio sensus. Hebræus: In tempore suo, eorum; cum edendi tempus adest.

16. *Aperis*. Hebræus: Aperiens. *Tu*. Ad declarationem additum. Aperire manum est aperta manu largiri liberaliter. *Imples*. Idem prope Hebræus participio: Satians, saturans. *Omne animal*. Hebræus dativo: Omni viventi, omni animanti. *Benedictione*. Hebræus: Bona voluntate, beneplacito; vel accusativo, voluntatem. Prout unum quodque eorum vult, & expetit.

17. *Sanctus*. Hebræus: Pius (active) beneficus, officiosus, omnia agens ex sola benignitate.

18. *Prope*. Idem Hebræus nomine: Propinquus, proximus. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Invocantibus*. Sic Hebræus futuro: Qui vocabunt eum. *In veritate*. Serio, ex animo, recte.

19. Facere voluntatem alicujus, idiotismus notus. *Deprecationem*. Hebræus: Clamorem, quem efficit orando. Minima varietas. *Exaudiet*. Pro simplici, Audiet, positum. *Salvos faciet*. Salvabit, opem feret.

20. *Custodit*. Idem Hebræus participio: Custodiens. Supple, est. *Peccatores*. Ut transferunt Nostri. Hebræus: Injustos. *Disperdet*. Sic Hebræus prope: Devastabit, dissipabit.

21. Os loqui laudationem alicujus, idiotismus notus. *Benedicat*. Sic Hebræus futuro: Benedicet, laudabit. *Omnis caro*. Proprie; vel omnes homines. *Nomini*. Hebræus accusativo: Nomen. *Sancto*. Hebræus substantivo nomine de more linguæ: Sanctitatis ejus. *In seculum, &c.* Idem Hebræus dativo, suo loquendi more: Seculo, & æterno. Græcus addit Hallelujaha.

PSAL-

PSAL: CXLVI. Latinis CXLV.

הללויה הללי נפשי את יהוה:	1. *Hallelujaha. Lauda anima mea DOMINUM.*	1. Hallelujaha, *Aggæi, & Zachariæ*. Lauda anima mea DOMINUM.
אהללה יהוה בחיי אזמרה לאלהי בעודי:	2. *Laudabo* DOMINUM *in vita mea, psallam Deo meo in adbuc ego.*	2. Laudabo DOMINUM in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero.
אל תבטחו בנדיבים בבן אדם שאין לו תשועה:	3. *Ne confidetis in principibus, in filio hominis, quia non ei salus.*	3. Nolite confidere in principibus, *nec* in filiis hominum, in quibus non est salus.
תצא רוחו ישוב לאדמתו ביום ההוא אבדו עשתנתיו:	4. *Exibit spiritus ejus, revertetur telluri suæ, in die illa perierunt cogitationes ejus.*	4. Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, in illa die peribunt *omnes* cogitationes eorum.
אשרי שאל יעקב בעזרו שברו על יהוה אלהיו:	5. *Beatus quod Deus Jacob in auxilium ejus, exspectatio ejus super DOMINO Deo ipsius.*	5. Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in DOMINO Deo ipsius.
עשה שמים וארץ את הים ואת כל אשר בם השמר אמת לעולם:	6. *Faciente cælos, & terram, mare, & omnia quæ in eis, custodiente veritatem seculo.*	6. Qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis *sunt*. Qui custodit veritatem in seculum,
עשה משפט לעשוקים נתן לחם לרעבים יהוה מתיר אסורים:	7. *Faciens judicium oppressis, dans panem esurientibus, DOMINUS solvens vinctos.*	7. Facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus. DOMINUS solvit compeditos.
יהוה פקח עורים יהוה זקף כפופים יהוה אהב צדיקים:	8. *DOMINUS aperiens cæcos, DOMINUS erigens incurvatos, DOMINUS diligens justos.*	8. DOMINUS illuminat cæcos. DOMINUS erigit elisos, DOMINUS diligit justos.
יהוה שמר את גרים יתום ואלמנה יעודד ודרך רשעים יעות:	9. *DOMINUS custodiens advenas, pupillum, & viduam ad ulteriora provehet, & viam injustorum deflectet.*	9. DOMINUS custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.
ימלך יהוה לעולם אלהיך ציון לדר ודר הללויה:	10. *Regnabit DOMINUS seculo, Deus tuus Sion ætati & ætati. Hallelujaha.*	10. Regnabit DOMINUS in secula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Soli Deo fidendum esse, carminibus decantat elegantissimis. Distinctionum varietates ex temetipso recognoscas velim.

1. *Aggæi, & Zachariæ.* A Nostris additum ex aliqua antiquorum traditione forsitan. In Hebræo titulus est simplex Hallelujaha, quod Dei laudes in eo tractentur.

2. *Quamdiu fuero.* Sic Hebræus suo loquendi tropo: In adhuc ego; dum vivo.

3. *Nolite confidere.* Idem Hebræus futuro: Ne confidetis, ne confidatis. *Nec.* Non habetur in Hebræo, subintelligendum nihilominus. *In filiis hominum.* Hebræus singulariter collective: In filio Adam, hominis. *In quibus non est.* Hebræus singulariter, & caussativa particula: Quia non ei (supple, est.) *Salus.* Salvatio, potestas, & facultas salvandi semetipsum, nedum alios.

4. Spiritum exire, est Hominem mori. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Revertetur.* Filius hominis scilicet, secundum corpus; ne referres ad spiritum, quod aperte dignoscitur in Hebraico, nam verbum hoc est generis masculini, & Spiritus nomen fœmininum. *In terram suam.* Hebræus dativo: Telluri, humo suæ, e qua sumptus est. Idiotismus pro, Vertetur in cinerem. *Peribunt.* Hebræus præterito: Perierunt. Idem sensus. *Omnes.* Additum ad declarationem. *Cogitationes.* Consilia, præludia omnia evanescent, & fient irrita.

5. *Cujus.* Caussativa, vel continuativa particula: Quod. *Adjutor.* Quasi legerint Nostri, detracto Beth, & punctis immutatis, עֶזְרוֹ, quod nunc Hebræis est בְּעֶזְרוֹ, in auxilium ejus. Nisi malles, eos sensum tantummodo transtulisse; nam Esse in auxilium alicujus, est idiotismus, pro Adjutorem illius esse. *Spes.* Exspectatio, mentis & corporis. *In.* Hebræus idem suo loquendi modo: Super.

6. *Qui fecit.* Hebræus præsenti participio: Faciente, factore. *Cælum.* Vox hebræa est pluralis natura sua: Cælos. *Sunt.* Ex sermonis consequentia subintellectum. *Qui custodit.* Hebræus iterum participio: Custodiente, servante fidem in promissis. *In seculum.* Hebræus dativo, suo modo: Seculo.

7. *Facit.* Hebræus participio: Faciens judicium, vindicans. *Injuriam patientibus.* Idem Hebræus: Defraudatis; vi, vel fraude oppressis. *Dat.* Hebræus participio: Dans. *Escam.* Sic Hebræus: Panem, cibum, victum. *Solvit.* Hebræus participio: Solvens. *Compeditos.* Vinctos, in carcerem conjectos.

8. *Illuminat.* Translatio sensus. Hebræus participio, suo loquendi tropo: Aperiens, apertos, videntes faciens cæcos, proprie; vel etiam miseros, calamitatibus oppressos; vel tandem insipientes, mentem habentes obcæcatam. Aperire cæcum, est idiotismus, pro Illuminare, quasi claudatur cæcitate, quo eundum sit, ignorans. *Erigit elisos.* Hebræus participio: Erigens incurvatos. Vide in psalmo præcedenti vers. 14. ubi leguntur eadem verba. *Diligit.* Hebræus participio: Diligens.

9. *Custodit.* Hebræus participio: Custodiens, servans advenas, proselytos, ad fidem catholicam venientes. *Suscipiet.* Translatio sensus. Adjuvandos & defendendos scilicet. Hebræus habet verbum eleganter a particula עוֹד, idest adhuc, effictum. Faciet, ut adhuc sint, ad ulteriora provehet, superstites eos conservabit. Consule Thesaurum. *Vias.* Hebræus singulariter: Viam. *Peccatorum.* Ut transferunt Nostri. Hebræus: Injustorum. *Disperdet.* Non longe aliter Hebræus: Pervertet, deficiet consilia, & actiones iniquorum; est

enim

enim idiotismus non inornatus, sed notus, ut in Thesauro.

10. *In secula*. Hebræus dativo singulari: Seculo. *In generationem*. Hebræus iterum dativo: Ætati, & ætati. In perpetuas ætates, & secula. Additur in Hebræo iterum hic in psalmi calce Hallelujaha; quod ob prædicta Dei erga homines beneficia, is a nobis semper laudandus & benedicendus sit. Nostri in sequentem psalmum illud rejecisse videntur.

PSALMUS CXLVII. Lat. CXLVI. & CXLVII.

הללויה כי טוב זמרה אלהינו כי נעים נאוה תהלה :	1. *Laudate Dominum, quoniam bonum* est *psallere Deum nostrum, quia jucundum decora laudatio.*	1. *Hallelujaha*. Laudate Dominum, quoniam bonus *est* psalmus: Deo nostro *sit* jucunda, decoraque laudatio.
בונה ירושלם יהוה נדחי ישראל יכנס :	2. *Ædificans Jerusalem DOMINUS, profugos Israelis congregabit.*	2. Ædificans Jerusalem DOMINUS, dispersiones Israelis congregabit.
הרופא לשבורי לב ומחבש לעצבותם :	3. *Medens fractis corde, & alligans doloribus eorum.*	3. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.
מונה מספר לכוכבים לכלם שמות יקרא :	4. *Numerans numerum stellis, omnibus eis nomina vocabit.*	4. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.
גדול אדונינו ורב כח ל לתבונתו אין מספר:	5. *Magnus Dominus noster, & multus vi; intelligentiæ ejus non numerus.*	5. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non *est* numerus.
מעודד ענוים יהוה משפיל רשעים עדי ארץ :	6. *Ad ulteriora provehens mansuetos DOMINUS, humilians injustos usque terræ.*	6. Suscipiens mansuetos DOMINUS, humilians *autem* peccatores usque *ad* terram.
ענו ליהוה בתודה זמרו לאלהינו בכנור:	7. *Respondete DOMINO in confessione, psallite Deo nostro in cithara.*	7. Præcinite DOMINO in confessione, psallite Deo nostro in cithara.
המכסה שמים בעבים המכין לארץ מטר המצמיח הרים חציר:	8. *Operiens cælos in nubibus, parans terræ pluviam, pullulare faciens montes gramine.*	8. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam. Qui producit in montibus fœnum, & *herbam servituti hominum.*
נתן לבהמה לחמה לבני ערב אשר יקראו :	9. *Dans bestiæ panem ejus, filiis corvi, qui vocabunt.*	9. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus *eum.*

10.

לא בגבורת הסוס יחפץ לא בשוקי האיש ירצה:	10. *Non in fortitudine equi volet, non in coxis viri volet.*	10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.
רוצה יהוה את יראיו את המיחלים לחסדו:	11. *Vult DOMINUS timentes se, exspectantes pietati suæ.*	11. Beneplacitum est DOMINO *super* timentes eum, & in eis, qui sperant *super* misericordia ejus.
שבחי ירושלם את יהוה הללי אלהיך ציון:	12. *Lauda Jerusalem DOMINUM, lauda Deum tuum Sion.*	12. Lauda, Jerusalem, DOMINUM, lauda Deum tuum Sion.
כי חזק בריחי שעריך ברך בניך בקרבך:	13. *Quoniam confortavit vectes portarum tuarum, benedixit filios tuos in medio tui.*	13. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.
השם גבולך שלום חלב חטים ישביעך:	14. *Ponens terminum tuum pacem, adipe frumentorum satiabit te.*	14. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.
השולח אמרתו ארץ עד ם מהרה ירוץ דברו:	15. *Mittens eloquium suum terræ, usque velociter curret verbum ejus.*	15. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus.
הנתן שלג כצמר כפור כ כאפר יפזר:	16. *Dans nivem sicut lanam, pruinam sicut cinerem sparget.*	16. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.
משליך קרחו כפתים לפני קרתו מי יעמד:	17. *Projiciens glaciem suam sicut buccellas, faciebus frigoris ejus quis stabit?*	17. Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?
ישלח דברו וימסם ישב ר רוחו יזלו מים:	18. *Mittet verbum suum, & liquefaciet ea, flare faciet spiritum suum, fluent aquæ.*	18. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.
מגיר דברו ליעקב חקיו ו ומשפטיו לישראל:	19. *Annuncians verba sua Jacobo, statuta sua, & judicia sua Israeli.*	19 Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias, & judicia sua Israel.
לא עשה כן לכל גוי ו ומשפטים בל ידעום הללויה:	20. *Non fecit taliter omni genti, & judicia non agnoverunt ea. Hallelujaha.*	20. Non fecit taliter omni nationi, & judicia *sua* non manifestavit eis. Hallelujaha.

ANNOTATIONES.

Dei beneficia, præsertimque in populum suum providentiam elegantissimis extollens carminibus, Fideles ad eum laudandum excitat, invitat, hortaturque. Nobis psalmus dividitur in duos, & secundus incipit a versiculo 12. sicque numerandi diversitas terminatur, quam parum vel nihil referre crederem. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Hal-*

1. *Hallelujaha*. Ex fine præcedentis psalmi desumptum hic a Nostris additur, licet etiam *Laudate Dominum* mox sequens in Hebræo sit Halleluja-ha. Porro Jaha est unum e Divinis nominibus proprium, quamvis communi nomine Dominum Nostri reddant. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Bonus psalmus*. Idem Hebræus infinitivo: Bonum est psallere. Potest nihilominus cum Nostris esse nomen: Bonum est: bona res est pulsatio. *Deo nostro*. Quasi legerint Nostri לֵאלֹהֵינוּ, & ob id subintellexerunt verbum *Sit*. Hebræus cum præcedentibus construit, quasi dicat: Quoniam bonum est psallere Deum nostrum. *Jucunda*. Vox hebræa est masculini generis, quod genus etiam pro neutro usurpatur, ut superius, Bonus, bonum; & sic nostri videntur hic accepisse, Jucundum est, jucunda res est decora laudatio. Hebræus addens particulam caussativam, eodem modo profert: Quoniam jucundum, suave, delectabile. Supple, est. *Decora*. Decens, desiderabilis. Græcus hoc nomen reticet. *Que*. Hæc conjunctio non habetur in Hebræo.

2. *Dispersiones*. Idem Hebræus fere, sed concreto: Expulsos, profugos, dispersos, exsules ex Israel colliget.

3. *Qui sanat*. Hebræus præsenti participio: Sanans, medens. *Contritos*. Hebræus dativo: Fractis, contritis corde. *Alligat*. Hebræus iterum participio: Alligans. Metaphora a Chirurgis. *Contritiones*. Confractiones, vulnera, & metaphorice peccata. Non longe aliter Hebræus dativo: Doloribus eorum, ex contritionibus & vulneribus effectis.

4. *Qui numerat*. Hebræus participio: Numerans; in numerato habens. *Multitudinem*. Hebræus: Numerum; nobis videlicet innumerabilem, quem ob id Nostri dixerunt multitudinem. *Stellarum*. Hebræus dativo: Stellis. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Vocat*. Hebræus: Vocabit. Numerare numerum stellis, & eis vocare nomina, id est, Distincte, & singillatim earum naturas, vires, & influxus pernoscere, ut possit appellare nominatim, Dei infinitam sapientiam arguit.

5. *Magna*. Nostri ad sequentem dictionem addunt. Hebræis autem Dei est epithetum: Magnus, & multus. *Virtus*. Sic transferunt Nostri. Hebræus ablativo: Vi, potentia. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Sapientiæ*. Hebræus: Intelligentiæ, prudentiæ. *Est*. Ex sermonis consequentia subintellectum. *Numerus*. Mensura, modus. Idiotismi. Idest, omnipotens, & sapientissimus est.

6. *Suscipiens*. Adjuvandos videlicet. Translatio sensus. Hebræus: Ad ulteriora provehens. Vide in præcedenti psalmo vers. 9, ubi idem habetur verbum. *Humilians*. Antithesis. Deprimens, humi prosternens. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Peccatores*. Ut Nostri transferunt. Hebræus: Injustos. *Usque ad terram*. Hebræus suo loquendi tropo: Usque terræ. Est autem particula, Usque, pluralis numeri in Hebræo.

7. *Præcinite*. Incipite hymnorum canticum. Idem Hebræus: Respondete. Quod verbum Respondere, & incipere loqui significat. Consule Thesaurum. Respondere alicui in confessione, est idiotismus, pro Laudes ejus incipere, vel etiam alternatim canere.

8. *Qui operit*. Hebræus participio: Operiens, obducens. *Cælum*. Vox hebræa est pluralis numeri natura sua: Cælos. *Nubibus*. Hebræus addit præpositionem In, ritu linguæ. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Parat*. Hebræus iterum participio: Parans, præparans, aptans. *Qui producit*. Hebræus participio: Pullulare, germinare faciens. *In montibus*. Idem sensus in Hebræo, licet constructione diversa: Montes. Nam Nostri Pullulandi verbum ad fœnum referunt, Hebræus ad montes. *Fœnum*. A fine. Hebræus: Gramine. *Et herbam servituti hominum*. Additum a Nostris ex psalmo CIV. vers. 14. Ibi vide.

9. *Qui*

9. *Qui dat*. Hebræus participio: Dans. *Jumentis*. Hebræus singulariter collective: Bestiæ, jumento. *Escam ipsorum*. Hebræus idem poetice satis ornate: Panem ejus. Quidquid ad victum pertinet, & sufficit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Pullis*. Sic Hebræus: Filiis. *Corvorum*. Hebræus singulariter collective: Corvi. *Invocantibus*. Hebræus futuro: Qui vocabunt, clamare solent. *Eum*. Ad declarationem additum. Ferunt corvorum pullos a parentibus destitui, vel ob ingenitam crudelitatem, vel quod eos albicantes suspicentur adulterinos, quos Deus enutrit, quemadmodum hic testatur vates, vel aura quadam roscida (ut quidam ajunt) vel immittens muscas in eorum fauces, a quibus alantur, vel dum hiando, & crocitando animalcula ex aere venantur in cibum, vel tandem dum pascuntur animalculis, quæ procreantur ex illorum stercoribus, ut Hebræi volunt, donec plumis succrescentibus iterum alantur a parentibus.

10. *Voluntatem habebit*. Idem Hebræus: Volet. *Nec*. Hebræus negativa sola: Non. *In tibiis*. Vox hebræa coxas, & tibias comprehendit: In coxis. Celeritate, vel robore valentibus. *Beneplacitum erit ei*. Hebræus alio synonymo: Volet. Quasi dicat, Deum non juvare suis viribus confidentes, sed in se sperantes, quod ad solam interiorem animi pietatem attendat. Non velle in fortitudine equi, non in coxis viri, sunt idiotismi satis noti. Græcus præsenti tempore dicit εὐδοκεῖ.

11. *Beneplacitum est Domino*. Sic Hebræus verbum superius repetens: Vult Dominus, amat, caros habet. *Super*. Non habetur in Hebræo. *Eum*. Vel: Se. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In eis qui sperant*. Non aliter Hebræus participio, sed accusativo: Exspectantes; et corpore, & animo. *Super*. Non habetur in Hebræo. *Misericordia*. Sic Nostri transferunt. Hebræus dativo: Pietati. *Ejus*. Suæ.

13. *Confortavit*. Roboravit, robustos fecit. *Seras*. Hebræus: Vectes portarum tuarum. Ne possit hostis perrumpere. Nullius fere momenti varietas. *Filiis tuis*. Hebræus accusativo: Filios tuos prosperavit, bonis omnibus locupletavit. *In te*. Hebræus: In medio tui. Minima variatio.

14. *Qui posuit*. Hebræus participio: Ponens. *Fines tuos*. Hebræus singulariter: Terminum tuum; agri tui finem. Ponere terminum alicujus pacem, idiotismus elegans, pro Munire pace, & bella arcere undique. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Adipe*. Vel Adeps, nam verbum Satiabit tam ad Deum, quam ad adipem referri potest. *Frumenti*. Hebræus pluraliter: Frumentorum, triticorum. *Satiat*. Hebræus idem futuro: Satiabit te. Adipem, seu adipe tritici satiare, est idiotismus, idest polline, similagine, sive flore tritici, pane ex tritico optimo & lectissimo confecto.

15. *Qui emittit*. Hebræus participio: Mittens eloquium, mandatum suum terræ, ut aliquid exsequatur. Quidam eloquium, pluviam verbo Dei descendentem interpretantur. Ego generalius exponerem de omni mandato in Fidelium utilitatem a Deo procedente. *Velociter*. Hebræus addit emphatice particulam, Usque. *Currit*. Hebræus futuro: Curret. *Sermo*. Non aliter Hebræus fere: Verbum ejus. Parent ei subito omnia in tuum usum, & commoda. Verbum currere usque velociter, est idiotismus, pro Statim jussa fieri.

16. *Qui dat*. Hebræus participio: Dans nivem sicut lanam. Albam, frequentem, & calefacientem ad instar lanæ. Nix enim etsi frigidissima, terræ tamen halitus & exspirationes cohibens, calorem internum ei conciliat, & ad fecunditatem præparat. *Nebulam*. Hebræus: Pruinam. Varietas non magni ponderis, nam & nebula frigida & humida fere in pruinam resolvitur. *Spargit*. Hebræus futuro: Sparget; ad adurendam & exsic-


exſiccandam terram nimio humore diffluentem.

17. *Mittit*. Idem Hebræus fere participio: Projiciens. *Cryſtallum*. Glaciem, glacialem grandinem. Cryſtallus etiam a glacie fit, nam, ut ſentit Plinius lib. 39. cap. 2, ex gelu vehementiore concreto naſcitur. *Sicut buccellas*. Sicut fragmenta, fruſtulatim, ut hyems ſit acrior, & vehementior. *Ante faciem*. Sic Hebræus dativo plurali, ſuo idiotiſmo: Faciebus frigoris. Ante aſperitatem & vim frigoris. *Suſtinebit*. Idem Hebræus: Stabit, ſtare poterit. Quaſi dicat: ejus frigus eſt intolerabile.

18. *Verbum ſuum*. Decretum, juſſionem ſuam; ideſt, ardorem ſolis, vel pluviam. *Ea*. Nivem, pruinam, glaciem, & frigus, quæ nutu ipſius liqueſcunt, & ſolvuntur. *Flabit ſpiritus ejus*. Noſtri ſenſum retinentes mutarunt verbi ſignificationem, ne putes, eos credidiſſe verbum activum ſolum eſſe, & non tranſitivum, quia tunc diſcordaret a nomine רוּחַ, quod fœmininum eſt, hoc autem maſculinum. Hebræus igitur habet: Flare faciet ſpiritum ſuum. Ventum, quo diſpergente, & diſtrahente, vel etiam pluviam afferente, liqueſcunt illa omnia. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Fluent aquæ*. Nive, & aliis prædictis liquefactis.

19. *Qui annunciat*. Hebræus participio: Annuncians, indicans. *Verbum ſuum*. Scriptura quidem Hebraica etiam nunc ſcribitur ſingulariter דְּבָרוֹ, licet Hebræi leganr pluraliter דְּבָרָיו, Verba ſua. Beneficia ſpiritualia tangit. Per verbum intellige, promiſſiones de Chriſto factas, & ea omnia, quæ legis ſunt moralia. *Juſtitias*. Suſpicor; Noſtros alium habuiſſe textum, vel certe, quod nunc Hebræus addens etiam pronomen dicit, Statuta ſua, decreta; Noſtri Juſtitias Dei appellant, quod per ea manifeſtetur Divina juſtitia, & cuſtodientibus conferatur. Per ſtatuta Dei intellige Legem Moſis in univerſum, vel ea præcepta, quæ de religione & ritibus tractant, quorum ratio neſcitur. *Judicia*. Euangelium, vel illam partem legis, quæ ad judicialia pertinet. *Jacob, Iſrael*. Sunt dativi caſus.

20. *Nationi*. Idem Hebræus: Genti. Non omni, Idiotiſmus; ideſt, nulli nationi ſic fecit, ut illis hujuſmodi dona concederet. Eſt enim epiphonema. *Sua*. Ad declarationem additum. *Manifeſtavit eis*. Suſpicor, Noſtros literis tranſpoſitis legiſſe יוֹדִיעֵם ex Hiphil, ſcire, cognoſcere faciet eos; quod nunc Hebræis eſt ex Cal יְדָעוּם, cognoverunt ea; judicia. Hebræus ponit antecedens, & relativum in eadem ſententia. Latine vacat Ea. Non cognoſcere judicia, eſt ritus Divinos ignorare. Idem ſenſus in Noſtris. Additur in calce Hallelujaha, quod ob prædicta Deus ſemper laudandus ſit.



PAL-

PSALMUS CXLVIII.

הללויה הללו את יהוה מן השמים הללוהו במרומים:	1. *Hallelujaha. Laudate DOMINUM de cælis, laudate eum in excelsis.*	1. Hallelujaha. Laudate DOMINUM de cælis, laudate eum in excelsis.
הללוהו כל מלאכיו הללוהו כל צבאו:	2. *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus.*	2. Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.
הללוהו שמש וירח הללוהו כל כוכבי אור:	3. *Laudate eum sol, & luna, laudate eum omnes stellæ lucis.*	3. Laudate eum sol, & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen.
הללוהו שמי השמים והמים אשר מעל השמים:	4. *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ, quæ desuper cælos.*	4. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ, quæ super cælos *sunt*,
יהללו את שם יהוה כי הוא צוה ונבראו:	5. *Laudabunt nomen DOMINI, quia ipse mandavit, & creata sunt.*	5. Laudent nomen DOMINI. Quia *ipse dixit*, & *facta sunt*, ipse mandavit, & creata sunt.
ויעמידם לעד לעולם חק נתן ולא יעבור:	6. *Et statuit ea æterno, seculo, statutum dedit, & non præteribit.*	6. Statuit ea in æternum, & in seculum *seculi*, præceptum posuit, & non præteribit.
הללו את יהוה מן הארץ תנינים וכל תהמות:	7. *Laudate DOMINUM de terra, dracones, & omnes abyssi.*	7. Laudate DOMINUM de terra, dracones, & omnes, abyssi.
אש וברד שלג וקיטור רוח סערה עשה דברו:	8. *Ignis, & grando, nix, & exhalatio, spiritus procellæ faciens verbum ejus.*	8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.
ההרים וכל גבעות עץ פרי וכל ארזים:	9. *Montes, & omnes colles, lignum fructus, & omnes cedri.*	9. Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.
החיה וכל בהמה רמש ו וצפור כנף:	10. *Fera, & omnis bestia, reptile, & avis alæ.*	10. Bestiæ, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.
מלכי ארץ וכל לאמים שרים וכל שפטי ארץ:	11. *Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes judices terræ.*	11. Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes judices terræ.
בחורים וגם בתולות זקנים עם נערים:	12. *Juvenes, & etiam virgines, senes cum pueris.*	12. Juvenes, & virgines, senes cum junioribus
יהללו את שם יהוה כי נשגב שמו לבדו הודו על ארץ ושמים:	13. *Laudabunt nomen DOMINI, quia exaltatum est nomen ejus solitudini suæ, majestas ejus super terram, & cælos.*	13. Laudent nomen DOMINI, quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cælum, & terram.

14.

וירם קרן לעמו תהלה לכל חסידיו לבני ישראל עם קרבו הללויה׃

14. *Et exaltavit cornu populo suo, laus omnibus piis ejus, filiis Israel populo propinquo illius. Halelujaha.*

14. Et exaltavit cornu populi sui. Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Hallelujaha.

ANNOTATIONES.

Carminibus ornatis cæleſtia, terreſtriaque omnia ad Deum laudibus afficiendum adhortatur. Diſtinctionum varietates ex re recognoſcito.

1. *De cælis*. Cælites, qui eſtis de cælis, Angeli, & cetera cæleſtia, uti mox explicat. *In excelſis*. Qui eſtis, degitis in excelſis, ibi laudate Deum.

2. *Virtutes*. Sic transferunt Noſtri, ut ſæpius vidimus. Hebræus: Exercitus ejus. Sic appellantur hic omnia cæleſtia ſive ſpiritualia, ſive corporalia. Conſule Theſaurum.

3. *Stellæ*. Noſtri videntur legiſſe in ſtatu abſoluto כּוֹכָבִים, & ob id addentes conjunctionem, in duo diſtinxerunt, ut fortaſſis mentes noſtras ad illam primam lucem creatam, fulgore ſuo ſuperantem lucem Solis, Lunæ, & Stellarum omnium attollerent, ut oſtenderent non omnem qualitatem lucidam ab hujuſmodi ſtellis fluere. Hebræus nude legit in ſtatu ſyntactico: Stellæ lucis, lucidæ, luminoſæ, in firmamento lucentes; quæ motu, luce, & influentia Deum celebrant, alioquin mente vacantes, & intelligentia. Proſopopœiis utitur.

4. *Cæli cælorum*. Cæli præſtantiſſimi, cælum animarum, empyreum, Beatorum locus, vel cæli omnes. *Super cælos*. Hebræus addit aliam præpoſitionem: Deſuper cælorum, cælos. *Sunt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. Has cæleſtes aquas nonnulli putant eſſe cælum aqueum, cryſtallinum, primum mobile. Quidam aquas intelligunt motu cælorum ſurſum elevatas, ſed abſurde forſitan. Verum de his alibi diſputabimus.

5. *Laudent*. Noſtri referunt ad aquas. Hebræus ad cælos, aquas, & alia cæleſtia, & futuro: Laudabunt. *Quia*. Laudis ratio, quia Deus eſt eorum omnium conditor, & conſervator. *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Additum a Noſtris e pſalmo 33. verſ. 9. perſpicuitatis cauſſa.

6. *Statuit*. Hebræus addit conjunctionem: Et ſtare fecit, collocavit. *Ea*. Omnia prædicta. *In æternum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Æterno; ut æterna ſint, & incorrupta. Angeli quidem ſunt incorrupti, & corpora cæleſtia ſecundum qualitates tantum mutabuntur, ſive renovabuntur igne conflagrationis. Quidam legunt: In ſeculum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In ſeculum ſeculi*. Hebræus unico dativo tantum: Seculo, vel certe mundo; ut ſit idiotiſmus, Stare facere mundo, in gratiam mundi; quem notes. *Præceptum*. Hebræus: Decretum, ſtatutum, ordinationem. Nullius momenti varietas. *Poſuit*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Dedit, & non præteribit, decretum illud ſcilicet. Decretum præterire eſt irritum fieri, non impleri. Legem ſibi præſcriptam non violabunt cæleſtia.

7. *De terra*. O terreſtres creaturæ, ſublunares, quæ eſtis de terra. Pergit proſopopœiis uti, ut ſuperius etiam. *Dracones*. Immanes piſces, ceti. *Abyſſi*. Aquarum profunditates, & voragines.

8. *Ignis*. Proprie, & ignita omnia meteora. *Grando*. Hebræus addit conjunctionem, Et. *Glacies*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & for-

taſſe legerunt non admodum difficili vocis tranſitu קִטֹר, quod nunc Hebræis addentibus inſuper conjunctionem, eſt וְקִיטוֹר & exhalatio. Materia omnium meteororum. *Procellarum*. Hebræus ſingulariter: Procellæ, tempeſtatis. *Quæ faciunt*. Noſtri referunt ad prædicta omnia: niſi malles, eos ad procellas reſpicere. Hebræus participio ſingulariter ad ſpiritum refert: Faciens. Spiritus procellæ, eſt Ventus procelloſus, turbinis. Spiritum autem facere verbum Dei, eſt idiotiſmus, pro Mandatum ejus exſequi, terram varie afficiendo, arbores dejiciendo, & hujuſmodi ad hominum utilitatem, præmia, vel ſupplicia afferendo.

9. *Montes*. Maximi. *Colles*. Monticuli, voluptatem, & copiam rerum afferentes. *Ligna fructifera*. Hebræus ſingulariter, & ſubſtantivo collective: Lignum fructus; arbor fructuoſa. *Cedri*. Arbores infructuoſæ & ſteriles per ſynecdochen.

10. *Beſtiæ, &c.* Hebræus ponit omnia ſingulariter collective, & quod Noſtri dicunt Beſtiæ, in Hebræo eſt, Fera. *Univerſa pecora*. Hebræus: Omnis beſtia. Domeſtica, & cicur. *Serpentes*. Hebræus: Serpens, reptile, tam aquatile, quam terreſtre. *Volucres pennatæ*. Hebræus ſuo idiotiſmo: Avis alæ; volatile.

11. *Judices*. Rectores, gubernatores. Idolorum tandem labefactandorum tacita vaticinatio, ut unus omnibus colatur Deus omnium creator.

12. *Et*. Hebræus addit particulam emphaticam: Et etiam virgines. Quæ in ſe ornandis, & comendis totæ ſolent occupari, relictis illis, cultum Dei amplectantur.

13. *Laudent*. Idem Hebræus futuro: Laudabunt. *Solius*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Solitudini ſuæ. Solum nomen ejus exaltabitur, nam vera Religio alias omnes abolebit. *Confeſſio ejus*. Laus, celebritas ejus; nam noſtri nomen deducunt ab הוֹדָה, Confeſſus eſt, celebravit. Hebræis eſt aliud nomen Majeſtatem ſignificans. Conſule Theſaurum. *Super cælum, & terram.* Hebræus ordine inverſo: Super terram, & cælos; nam hæc vox eſt pluralis numeri natura ſua. Ideſt, ſuper omnia, quæ ſunt in cælo & in terra, magnificentia ejus ubique relucet.

14. *Populi ſui*. Hebræus dativo: Populo ſuo. Exaltare cornu alicui, eſt idiotiſmus ſatis ornatus, pro Gloriam, robur, potentiam, & hujuſmodi tribuere, inexpugnabilem, & illuſtrem reddere. Vel certe reſpicit ad regnum Chriſti. Conſule Theſaurum. *Hymnus*. Sic Hebræus: Laus. Supple, eſt, vel erit, vel ſit. *Sanctis*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Piis. Active, & paſſive. Vide Theſaurum. *Filiis Iſrael*. Iſraelitis ſecundum ſpiritum. *Appropinquanti ſibi*. Non aliter Hebræus: Propinquo ſuo; vicino, & cognato, vel affini; nam ſic vocantur fideles, coheredes Chriſti, quos fratrum nomine ille dignatus eſt. Laudem eſſe alicui, duplicem habet ſenſum; ideſt illum laudare & celebrare, vel laudari, & celebrationem ei tribui, & hic poſterior ſenſus eſt ſimplicior, & purior, quamvis Genebrardus indoctum eum reputet. Laudant, ait, vel laudabunt, vel tandem laudent (nam eclipſis verbi ſubſtantivi has omnes parit interpretationes) pii Deum, quod fideles ſuos innumeris ornaverit beneficiis, vel certe ob hoc tam ingens beneficium, exaltationem cornu videlicet, laus non minima erit ipſis in perpetuum. Merito igitur in fine pſalmi repetitur Hallelujaha, quod Deus ab omnibus, & ſemper laudandus ſit. Græcus illud reticet.

PSALMUS CIL.

הללויה שירו ליהוה שיר חדש תהלתו בקהל חסידים :	1. *Hallelujaha. Cantate DOMINO canticum novum, laus ejus in ecclesia piorum.*	1. Hallelujaha. Cantate DOMINO canticum novum, laus ejus in ecclesia Sanctorum.
ישמח ישראל בעשיו בני ציון יגילו במלכם:	2. *Lætabitur Israel in factoribus suis, filii Sion exsultabunt in rege suo.*	2. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, & filiæ Sion exsultent in rege suo.
יהללו שמו במחול בתף וכנור יזמרו לו :	3. *Laudabunt nomen ejus in tibia, in tympano, & cithara psallent ei.*	3. Laudent nomen ejus in choro, in tympano, & psalterio psallant ei.
כי רוצה יהוה בעמו יפאר ענוים בישועה :	4. *Quia vult DOMINUS in populo suo, decorabit mansuetos in salute.*	4. Quia beneplacitum est DOMINO in populo suo, & exaltavit mansuetos in salutem.
יעלזו חסידים בכבוד ירננו על משכבותם :	5. *Exsultabunt pii in gloria, ovabunt super cubilibus suis.*	5. Exsultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.
רוממות אל בגרונם וחרב פיפיות בידם :	6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladius orium in manu eorum.*	6. Exsultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.
לעשות נקמה בגוים ת תוכחות בלאמים :	7. *Ad faciendum vindictam in gentibus; increpationes in populis.*	7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.
לאסר מלכיהם בזקים ו ונכבדיהם בכבלי ברזל :	8. *Ad vinciendum reges eorum in catenis, & honoratos eorum in pedicis ferri.*	8. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.
לעשות בהם משפט כתוב הדר הוא לכל חסידיו הללויה:	9. *Ad faciendum in eis judicium scriptum, honor ipse omnibus piis ejus. Hallelujaha.*	9. Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc *est* omnibus Sanctis ejus. Hallelujaha.

ANNOTATIONES.

Ecclesiæ victorias ex gentibus prædicens, carmine consolationum pleno, eam propter hujusmodi beneficia per Christum sibi collata, ad Deum celebrandum excitat.

1. *Canticum novum*. Propter novam laudandi materiam, vel frequenter renovate cantica. Ne canere desistatis. *Laus*. Supple, est, vel erit, vel sit, ut in superiori psalmo. *Sanctorum*. Sic transferunt Nostri. Hebræus: Piorum, active, & passive. Laudem Dei esse in cœtu aliquorum, duplicem habet sensum etiam hic; idest, Laudatur Deus, vel laudabitur, vel laudetur ab Ecclesia, vel certe, sanctorum congregatio laude illius afficitur, dum maximis ornatur beneficiis, & ideo celebrandus est. Vi-

Vide in præcedenti pſalmo verſ. 14.

2. *Lætetur*. Hebræus idem futuro: Lætabitur. Nam in cultu Dei requiritur lætitia, ut pſal. 100. verſ. 2. *In eo qui fecit eum*. Hebræus præſenti participio, & plurali, ut hic aperte myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis videri poſſit: In factoribus ſuis. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Filiæ*. Hebræus: Filii. Sic etiam Græcus, & idem eſt ſenſus; nam filii, vel filiæ Sion cives, membraque Eccleſiæ, & domeſticos Dei denotant. *Exſultent*. Hebræus iterum futuro: Exſultabunt in rege ſuo; Chriſto.

3. *Laudent*. Hebræus futuro: Laudabunt. *In choro*. In publico concentu. Hebræus: In tibia, & ſic Chorus etiam apud Divum Hieronymum eſt muſicum inſtrumentum. *Pſalterio*. Hebræus: Cithara. Minimi momenti varietas. Organa autem hæc muſica ad Dei laudem uſitata nos monent, omnibus viribus & membris ad Dei glorificationem utendum eſſe. *Pſallant*. Hebræus futuro: Pſallent, pulſabunt.

4. *Beneplacitum eſt Domino*. Non aliter Hebræus: Vult Dominus in populo ſuo, amat, & multa eum dignatur benignitate. *Et exaltavit*. Tranſlatio ſenſus. Arbitror autem, Noſtros Jod in Vav converſo legiſſe ויפאר, quod nunc Hebræis eſt futurum, יְפָאֵר, Decorabit, glorificabit, ornabit mites (in) ſalute, quam illis afferet. Hæc glorificatio Noſtris exaltatio dicitur.

5. *Sancti*. Hebræus: Pii; ut ſupra. *Lætabuntur*. Hebræus: Ovabunt; voce & geſtibus. *In*. Hebræus idem: Super cubilibus ſuis. Ubi quiete degent, inimicorum inſidias non timentes. Gloriam & exaltationem piorum in futuro ſeculo deſcribit.

6. *Exſultationes*. Suſpicor, mendum in noſtra exemplaria irrepſiſſe, conſonantem *υ* loco *a* reponentibus. Hebræus ſiquidem habet Exaltationes, & Græcus ſimiliter ὑψώσεις, Elevationes. Exaltationes alicujus eſſe in gutture alterius, eſt idiotiſmus elegans, pro Maximis eum laudibus extollere, encomia, prædicationes de ſublimitate illius habere. *Gladii*. Hebræus ſingulariter: Gladius. *Ancipites*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo, & ſubſtantivo: Orium; qui gladius habet ora duo, duas acies, utrinque ſcindens, ut de impiis capiat pœnas. *In manibus*. Hebræus ſingulariter: In manu eorum.

7. *Ad faciendam*. Sic Hebræus: Ad faciendum vindictam. Ultimi judicii tempore. *In nationibus*. Idem Hebræus: In gentibus. *Increpationes*. Verbales, & reales, ideſt pœnas, ſupplicia; dum una cum Chriſto orbem judicaturi ſunt.

8. *Ad alligandos*. Idem Hebræus: Ad vinciendum reges. *In compedibus*. Non longe aliter Hebræus: In catenis, in manicis. *Nobiles*. Honoratos, Principes, Inſigniores. *Manicis*. Hebræus: Pedicis, compedibus. *Ferreis*. Sic Hebræus ſubſtantivo, ſuo loquendi modo: Ferri. Nullius momenti varietates.

9. *Ut faciant*. Hebræus gerundio: Ad faciendum. Facere judicium, eſt Pœnam & ſupplicium de aliquo ſumere. *Conſcriptum*. Definitum, decretum, & determinatum a Deo in Scriptura Sacra. *Gloria hæc*. Idem Hebræus fere: Honor ipſe, ſcilicet, eſt. Hebræus utitur pronominibus loco verbi ſubſtantivi ſæpius. Vel poſitum eſt hic emphatice, & ſubintelligitur Eſt, vel Erit, ut apud noſtros. Is honor, talis gloria manet ſanctos omnes, ut victoriam & triumphum de Satana, Gentilibus, & Judæis, qui eos afflixerunt, tandem reportaturi ſint. *Sanctis*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Piis. Merito igitur in fine pſalmi additur Hallelujaha, quod poſt hujuſmodi victorias Deus ſemper a nobis laudabitur. Græcus illud reticet.

PSAL.

PSALMUS CL.

הללויה הללו אל בקדשו הללוהו ברקיע עזו:	1. *Hallelujaha. Laudate Deum in sanctitate ejus, laudate eum in expansione fortitudinis ejus.*	1. Hallelujaha. Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.
הללוהו בגבורתיו הללוהו כרב גדלו:	2. *Laudate eum in fortitudinibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*	2. Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.
הללוהו בתקע שופר הללוהו בנבל וכנור:	3. *Laudate eum in clangore tubæ, laudate eum in nablo, & cithara.*	3. Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, & cithara.
הללוהו בתף ומחול הללוהו במנים ועגב:	4. *Laudate eum in tympano, & tibia, laudate eum in Minimo, & organo.*	4. Laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo.
הללוהי בצלצלי שמע ה הללוהו בצלצלי תרועה:	5. *Laudate eum in cymbalis auditus, laudate eum in cymbalis jubilationis.*	5. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.
כל הנשמה תהלל יה ה הלליה:	6. *Omnis anima laudabit Dominum. Hallelujaha.*	6. Omnis spiritus laudet Dominum. Hallelujaha.

ANNOTATIONES.

Satana, & Gentilibus debellatis, omnem spiritum ad Deum omnis musicæ genere laudandum carminibus ornatis invitat. Distinctionum varietates ex te recognoscito.

1. *Hallelujaha*. Verbum hoc laudandi tredecim vicibus repetitur in hoc psalmo, ad denotandas, ut ajunt, tredecim proprietates Divinas Exod. xxxiv. 6. positas, quibus Deus gubernat hunc mundum. *Dominum*. Hebræus: Deum. Nullius momenti variatio. *In sanctis*. Neutro genere. Sic Hebræus singulariter: In sanctitate ejus. Ob sanctitatem illius, vel in sanctuario, idest in cælo, vos scilicet, qui estis in locis ejus sanctis, in cælis; vel certe in cælis proprie, idest ubique regnantem cælis omnibus Christo iam subiectis, Deum celebrate. Prior, & ultimus sensus puriores sunt, licet Genebrardo medius magis arrideat. *In firmamento*. Idem Hebræus: In expansione. Sic appellant firmamentum. Vide Thesaurum. Etiam hic expone: Ob firmamentum; Ob mirabilem cæli structuram; vel vos, qui estis in cælis stellatis, & mobilibus; vel tandem in firmamento proprie, fortitudine sua iam ubique regnantem. *Virtutis*. Sic Nostri sæpius transferunt. Hebræus: Fortitudinis ejus, nam firmamentum potestatis ejus eximiæ non obscurum est argumentum.

2. *In virtutibus*. Virtus a Nostris etiam hic sumitur pro fortitudine, uti sæpius faciunt. Hebræus: In potentiis ejus; In potentibus ejus factis, ob fortissima ejus facta, propter virtutes, vires, potentias illius. *Magnitudinis*. Virium, majestatis, potentiæ, & hujusmodi.

3. *In*

3. *In sono*. Sic Hebræus: In clangore buccinæ. Latine vacat In præpositio, sicut in sequentibus. *In psalterio.* Hebræus: In nablo.

4. *Et choro*. Hebræus: Tibia. Vide in præcedenti psalmo vers. 3. *In chordis*. Vox hebræa מִנִּים non invenitur alibi, nec satis certum est, quid proprie significet. Consule Thesaurum. Communiori sententia creditur, genus esse instrumenti musici nobis nunc incogniti.

5. *Bene sonantibus*. Sic Hebræus suo loquendi modo: Auditus, auditionis, quæ e longinquo audiuntur. *Jubilationis*. Clangoris. Consule Thesaurum in singulis horum musicalium instrumentorum nominibus.

6. *Spiritus*. Hebræus: Anima; rationis particeps, mens. *Laudet*. Hebræus idem futuro: Laudabit. *Dominum*. In Hebræo ponitur nomen Dei proprium, Jaha; & in fine psalmi repetitur Hallelujaha, quod a consummatione seculorum & ultra, Deus a piis omni conatu semper celebrabitur, qui est beatus, benedictusque in secula. Amen.

F I N I S.

Addi-

Additamenta ipsi autographo codici a Marco Marino facta adjicimus hoc in loco, ut constet, quot & quam praeclara egregius Vir praelo pararet.

Quæstio innovatur antiqua, An sit exorta varietas Vulgatæ Psalmorum editionis ab Hebræa, quæ præ manibus habetur.

Quæritur, quisnam Vulgatam ediderit, & an ex sola Hebraica lectione, an ex Chaldæa, vel Græca solum, an ex omnibus his sit conflata.

An præfatus Auctor Hebræas literas calluerit.

An eum Textum habuerit, qui hodie est præ manibus, an varium omnino, vel certe ab eo, quem nunc habemus, aliquantum diversum.

Quæritur, An potuerit cadere varietas in Hebræum contextum antiquitatis ratione, & an id factum fuerit Hebræorum malis artibus, vel alia de caussa; atque idem quæri potest de Vulgato, an scilicet temporis longitudine facta sit in eo hac ratione sententiarum, vel verborum mutatio.

Concluderem Auctorem doctissimum fuisse, eumdemque Textum habuisse, quem nos habemus, licet alicubi aliqua appareat differentia: Optimamque translationem esse: Varietatem vero, quæ videtur in ipsis fonte, & translatione, ex his potissimum capitibus oriri:

1. Quod facta sit quandoque translatio sensus tantum. 2. Quod literæ commutatæ fuerint. 3. Quod puncta mutata. 4. Quod dictiones fuerint divisæ, vel conjunctæ. 5. Quod fuerit divisa sententia. 6. Orta est item ex mutatione temporis. 7. Ex mutatione numeri. 8. Ex mutatione personæ. 9. Ex mutatione nominis in verbum. 10. Ex additione verborum pro dilucidatione. 11. Ex transpositione dictionum (psal. 85.) 12. Ex transpositione literarum (*Esto mihi in Deum protectorem*: psal. XVI. 3.) 13. Ex additione Verbi substantivi mutantis sententiam (Psalm. 2. & 9. & alibi) 14. Ex transpositione literarum [*Verba rugitus mei*: psalm. XXII.) 15. Ex dictionum varia significatione. 16. Ex mutatione troporum. 17. Ex addi-

additione relativi, Quis, qui, quod, &c. 18. Ex additione conjunctionis.

Omnes igitur varietates, quæ in Vulgato sunt, vel minimi momenti sunt, vel tales sunt, ut de illis rationem reddere possis. Vel fortasse dicendum est, quod diversus fuerit Textus Hebræus a Vulgata. Quæ vero lectio magis psalmo conveniat; lectoris studiosi judicio relinquitur, quemadmodum & ejus sensus a principio ad finem Psalmi; idque ad evitandas difficultates majores.

Ad id motus fuit auctor, ut defenderet Vulgatam motus exemplo Genebrardi, qui cum id sibi oneris assumpsisset, ex centum difficultatibus ne decem quidem attingit. Ipse vero omnes enumerat & magni, & minimi momenti....

Disponitur totum opus in tres partes. In quarum prima habentur Textus vulgatus, Græcus, & Hebræus. Sed in hoc opere; Vulgatus, Novus, & Hebræus.

Secunda habet expositionem literalem.

Tertia Dividitur in tres. In prima est Dictionarium Hebraicum omnium earum vocum, quæ in Psalmis habentur, cum earum significationibus ex meo Thesauro excerptis, & omnes modi, quibus Græce, & Latine redditæ sunt. Postea ponitur concordantia Hebraica omnium locorum, in quibus quæque vox reperitur in psalmis Hebraicis; & e regione ponitur solum verbum Latinum, & Græcum.

In secunda est Dictionarium Græcum omnium vocum, quæ sunt in Psalmis per Alphabetum redactarum, cum earum vero sensu ex Lexicis excerpto, & statim ponitur translatio Hebræa, & Latina omnium locorum, in quibus dicta vox invenitur in Psalmis juxta regulas Hebraici dictionarii.

In tertia erit vocabularium latinum eodem ordine confectum.



HEBRÆ-

HEBRÆORUM SEX CANTICORUM EXPLANATIO.

AUCTORE

D. JOANNE ALOYSIO MINGARELLIO

CANONICO REGULARI S. SALVATORIS,

ET SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORE.



BONONIÆ MDCCL.

Apud Hieronymum Corciolani, & H. H. Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis. *Superiorum permissu.*



VITALIANO BORROMÆO

Bononiæ Prolegato Amplissimo

D. JOANNES ALOYSIUS MINGARELLIUS S. SALVATORIS BONONIÆ CANONICUS.



On dubito fore plerosque, qui consilium meum pene reprehendant ac subaccusent, quasi nec tenuitatis ingenii mei, nec dignitatis Tuæ habita ratione Hebræorum sex Canticorum Explanationem in lucem edere, Tibique offerre non verear. Nam sive eam evulgans illud spectaverim, ut ingenium aut eruditionem ostentarem, quid impudentius? sive hunc Tibi libellum inscribens existimationem mihi ac splendo-

rem ex Tuo amplissimo nomine comparare voluerim, quid indignius? illud enim arrogantis esset, hoc vero hominis etiam nimio plus abutentis benignitate Tua. Verum si quis consilii mei causam cognoverit, rationem is profecto probabit meam. Nam si integrum mihi fuisset arbitrio uti meo, nunquam equidem ut libellum hunc ederem adduci potuissem. At praeclarissimi Viri de me optime meriti jussibus parendum fuit: cujus enim insignibus beneficiis plurimum devinctum me esse sentiebam, ei nihil negandum putavi, quod a me, quoquo tandem modo, praestari posset. Ut vero Tibi hos laborum meorum qualescunque fructus consecrarem, decorum ac laudum tuarum praestantia me impulit. Norunt scilicet omnes, Te ex nobilissima illustrissimaque Italiae familia ortum, in qua & honorum splendor, & eximia pietas, & summus in literas, ac literatos viros amor studiumque semper enituit, magis tamen virtutibus & ornamentis Tuis, quam generis nobilitate exsplendescere. Atque hic libentissime equidem in laudes Tuas excurrerem, singularemque pietatem tuam, & ingenium ad maximas res a natura efformatum praedicarem, quo tu recte usus a graecae, pluriumque exterarum linguarum studio, ab oratorum, poetarum, historicorumque cognitione ad philosophiam, ad jurisprudentiam, ad Theologiam properasti: in iisque studiis quantum profeceris, declararem; nec vero mihi metuendum foret, ne in assentationis suspicionem incurrerem. Sed vereor modestiam Tuam; Tu enim is es, qui quum laudes maximas merearis, omnes tamen recusas ac refugis. Illud igitur duntaxat reliquum est, ut Te etiam atque etiam rogem obtesterque, ut me benignitate illa foveas, quae Tibi insita atque adeo innata est, atque exiguum hoc munus, quod Tibi tanquam obsequentissimi animi monumentum oblatum volo, humaniter excipias.

NOS

NOS DOMNUS

BARTHOLOMÆUS RASPONI

RAVENNAS

Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, Abbas Generalis

Dilecto Nobis in Christo R. P. D. JOANNI ALOYSIO MINGARELLI Canonico Nostro, & Sacræ Theologiæ Lectori Salutem in Domino.

QUum, uti Nobis relatum est, *Hebræorum Sex Canticorum Explanationem* perfeceris, eaque a duobus Nostræ Congregationis Theologis jussu nostro visa, & approbata fuerit, per has literas facultatem tibi impertimur, ut eamdem editis jam Marci Marini Canonici quondam Nostri *Annotationibus literalibus in psalmos* adjungas, evulgesque. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem has dedimus in nostra Canonica S. Joannis Euangelistæ, Ravennæ, Idibus Septembris MDCCXLIX.

D. Bartholomæus Rasponi Abbas Generalis, &c.

Reg. fol. 63.

Loco ✠ Sigilli

D. Thomas Rita Cancellarius, et Sacræ Theologiæ Lector Emeritus.

Vidit

Vidit D. Aurelius Castanea Cleric. Regul. S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiscopo Bononiæ.

Ad Reverendum, & Excellentissimum D. Joannem Baptistam Bianconi Sacræ Theologiæ Doctorem, publicum in Bononiensi Universitate Linguæ Græcæ Professorem, ut videat pro S. Officio, & referat.

Fr. Seraphinus Maria Maccarinelli Vic. Gen. S. O. Bononiæ.

Die 18. Septembris 1749.

De Mandato Admodum Reverendi Patris Vicarii Generalis S. Officii Bononiæ legi librum, cui titulus Explanatio Sex Canticorum hebræorum Opera Ad. R. P. Lectoris D. Joannis Aloysii Mingarelli Can. Reg. S. Salvatoris: *nihil occurrit quod editionem explanationis impediat: In quorum fidem &c.*

Joannes Baptista Bianconi.

Attenta suprapostita attestatione

IMPRIMATUR.

Fr. Seraphinus Maria Maccarinelli Vic. Gen. S. O. Bononiæ.

CAN-

CANTICUM MOSIS
PRIMUM.

(*Exſtat in Exodo capite xv.*)

אשירה ליהוה, כי גאה גאה, סוס ורכבו רמה בים.	1. *Cantabo DOMINO, quoniam eminendo eminuit, equum, & inſidentem ipſi jaculatus eſt in mare.*	1. Cantemus DOMINO, glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem dejecit in mare.
עזי, וזמרת יה, ויהי לי לישועה; זה אלי, ואנוהו, אלהי אבי, וארממנהו.	2. *Vis mea, & pulſatio Dominus, & fuit mihi ſaluti: iſte Deus meus, & habitare faciam eum, Deus patris mei, & extollam eum.*	2. Fortitudo mea, & laus *mea* Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: iſte Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.
יהוה איש מלחמה, יהוה שמו.	3. *DOMINUS vir belli;* יהוה *nomen ejus.*	3. DOMINUS *quaſi* vir pugnator; OMNIPOTENS, nomen ejus.
מרכבות פרעה, וחילו ירה בים; ומבחר שלשיו טבעו בים סוף.	4. *Currus Pharahonis, & exercitum ejus projecit in mare, & delectus triariorum ejus infixi ſunt in mari junci.*	4. Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro.
תהמות יכסימו, ירדו ב במצולות כמו אבן.	5. *Abyſſi operient eos, deſcenderunt in fundum tamquam lapis.*	5. Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.
ימינך יהוה נאדרי בכח, ימינך יהוה תרעץ אויב.	6. *Dextera tua, DOMINE, præpotens in vi; dextera tua DOMINE atteret hoſtem.*	6. Dextera tua DOMINE magnificata *eſt* in fortitudine, dextera tua DOMINE percuſſit inimicum.
וברב גאונך תהרס קמיך; תשלח חרונך, יאכלמו כקש.	7. *Et in multitudine majeſtatis tuæ demolieris inſurgentes* in *te; emittes iram tuam, devorabit eos ut ſtipulam.*	7. Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios tuos; miſiſti iram tuam, *quæ* devoravit eos ſicut ſtipulam.
וברוח אפיך נערמו מים, נצבו כמו נד נזלים, קפאו תהמות בלב ים.	8. *Et in ſpiritu narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ; ſteterunt, acervi inſtar, fluentes; concreverunt abyſſi in corde maris.*	8. Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ; ſtetit unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.
אמר אויב: ארדף, אשיג, אחלק שלל, תמלאמו נפשי, אריק חרבי, תורישמו ידי.	9. *Dixit hoſtis: perſequar, aſſequar, partiar ſpolium, replebitur eis anima mea, evacuabo gladium meum, poſſidebit eos manus mea.*	9. Dixit inimicus: perſequar, & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

נשפת ברוחך, כסמו ים ; צללו כעופרת במים אדירים.

10. *Flavisti in spiritu tuo, texit eos mare; obumbrati sunt, quasi plumbum, in aquis magnis.*

10. Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare; submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus.

מי כמכה באלים יהוה ? מי כמכה נאדר בקדש ? נורא תהלות ? עשה פלא ?

11. *Quis sicut tu in diis DOMINE? quis, sicut tu, eximius in sanctitate? terribilis laudum? faciens mirabile?*

11. Quis similis tui in fortibus DOMINE? quis similis tui? magnificus in sanctitate? terribilis, *atque* laudabilis? faciens mirabilia?

נטית ימינך, תבלעמו ארץ.

12. *Extendisti dexteram tuam, deglutiet eos terra.*

12. Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra.

נחית בחסדך עם זו, גאלת, נהלת בעזך אל נוה קדשך.

13. *Duxisti in benignitate tua populum hunc*, quem *redemisti, deduxisti in fortitudine tua ad habitaculum sanctitatis tuæ.*

13. Dux fuisti in misericordia tua populo *tuo*, *quem* redemisti, & portasti *eum* in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.

שמעו עמים, ירגזון, חיל אחז ישבי פלשת.

14. *Audierunt populi, horrebunt, dolor apprehendit incolas Pelésheth.*

14. Ascenderunt populi, & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

אז נבהלו אלופי אדום ; אילי מואב יאחזמו רעד, נמגו כל ישבי כנען.

15. *Tunc consternati sunt duces Edom, fortes Moab apprehendet eos tremor, dissoluti sunt omnes incolæ Chenáhan.*

15. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

תפל עליהם אימתה, ופחד בגדל זרועך ; ידמו כאבן ; עד יעבור עמך יהוה, עד יעבור עם זו, קנית.

16. *Cadet super eos terror, & timor in augmento brachii tui; quiescent ut lapis, donec transibit populus tuus DOMINE, donec transibit populus hic*, quem *possedisti.*

16. Irruat super eos formido, & pavor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus DOMINE, donec pertranseat populus *tuus* iste, *quem* possedisti.

תבאמו, ותטעמו בהר נחלתך, מכון לשבתך פעלת יהוה, מקדש אדני כוננו ידיך.

17. *Venire facies eos, & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, præparationem ad habitandum te operatus es DOMINE, sanctuarium Domine firmaverunt manus tuæ.*

17. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, *quod* operatus es DOMINE, sanctuarium *tuum* Domine, *quod* firmaverunt manus tuæ.

יהוה ימלך לעולם ועד.

18. *DOMINUS regnabit in seculum, & adhuc.*

18. DOMINUS regnabit in æternum, & ultra.

19. In-

כי בא סוס פרעה ברכבו, ובפרשיו בים, וישב יהוה ע עליהם את מי הים ; ובני ישראל הלכו ביבשה בתוך הים.

19. *Quoniam venit equus Pharabonis in curru ejus, & in equitibus ejus in mare, & redire fecit DOMINUS super eos aquas maris: & filii Israelis iverunt in arido in medio mari.*

19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus ejus in mare, & reduxit super eos DOMINUS aquas maris: filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.

EXPLANATIO.

Canticorum omnium, quæ sive a profanis scriptoribus, sive a sacris, literarum monumentis commendata exstant etiamnum, vetustissimum est istud Mosis, a Rabbinis שירת הים, idest *canticum maris* appellatum: quod ab iis, *qui bestiam vicerunt*, idest, ut multi interpretantur, a Sanctis martyribus, supra mare vitreum igne mistum stantibus, cantatum se audisse refert Johannes in Apocalypsi (1). Hujus porro scribendi cantici occasio hæc Mosi fuit. In conspectum rubri maris Hebræi e Pharaonis servitute erepti vixdum venerant, quum se undique obsessos sentiunt. Exadversum a fronte vident mare, a lateribus invios montes, ac saxa prærupta, a tergo demum imminentem Pharaonis exercitum. Deficere animis Hebræi, querelas contra Mosem gravissimas deplorare, atque omnem de salute spem abjicere. Solicitus ob eam rem Moses ad Dominum extemplo confugit, tum bono animo populum suum esse jubet, virgamque attollit jussu Dei. Vix elata virga (mirum dictu!) bipartito mare dividitur, stratisque hinc & inde aquis, via Israelitis per maris fundum patet: *erat enim aqua*, ut est in Exodo (2), *quasi murus a dextera eorum, & læva*. Postquam ergo Moses una cum universa Israelitarum gente vado, vel potius sicco pede per novum inauditumque prodigium Erythræum mare trajecit, debitas omnipotenti Jehovæ beneficentissimo populi servatori, gratias egit, quarum perenne monumentum voluit esse hocce canticum.

Istud porro a Mose divino afflatu scriptum esse, nemo est unus qui dubitet. Videndum ergo duntaxat est, quid de Quirosii (3), aliorumque, si qui sunt, opinione sentiamus, qui non modo Mosem, sed simul etiam infinitam Israelitarum multitudinem hoc idem carmen ex tempore concinuisse existimarunt. Duobus hi potissimum argumentis moventur, ut ita sentiant: alterum ex libro Sapientiæ petunt, alterum e scriptore cujusdam operis, quod inscribitur *de mirabilibus Sacræ Scripturæ* (4). In libro quidem Sapientiæ (5) maris Erythræi trajectus, Ægyptiorumque submersio commemoratur, tum hæc verba subjiciuntur: *Ideo justi tulerunt spolia impiorum, & decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas*. Alter vero scriptor, de quo ante commemoravi: *Enormi satis*, inquit (6), *admiratione accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, & omnes æta-*

(1) Cap. xv. vers. 3. (2) Cap. xiv. vers. 22.
(3) Vide P. Augustini de Quiros commentarios exegeticos literales in secundum Mosis canticum, pag. 2.
(4) Exstat in appendice tertii tomi operum D. Augustini editorum a Monachis S. Mauri.
(5) Cap. x, vers. 20, & 21. (6) Lib. 1. cap. 21. pag. 22.

res eodem inspirati flamine, *uno quasi ex ore*, *nulla præmonitione edocti*, *easdem concinenter literas decantarent in unum*.

Fateor equidem non invitus, volente Deo, atque afflante fieri facile potuisse, ut post trajectum rubri maris Israelitæ eodem omnes tempore ex improviso concinerent hoc idem canticum. Quis sanæ mentis denegare id potest? Sed non de eo nunc quæritur, quod fieri potuit; de eo quæritur, quod factum est. Fieri id potuisse, jam concessi; factum vero esse tum demum mihi persuadebo, quum validiora argumenta afferentur. Nam quod affertur ex libro Sapientiæ, id, si quid judico, nihil valet admodum ad rem nostram. Ecquid enim tandem aliud inde colligitur, nisi *mutorum linguas apertas* fuisse a Sapientia, infantium vero disertas factas esse? At primum id commode ita accipi potest, ut significet, neminem Dei laudes conticuisse, sed unumquemque gaudii significationem aliquam pro suo modulo præbuisse. Quod si deinde concesserim, mutorum linguas reapse solutas esse, ac Dei laudes ab infantibus celebratas, non continuo tamen his iisdem verbis, quæ modo exstant in Exodo, divino afflatu ex tempore recitatis victricem Dei manum ab iis collaudatam esse colligere ex eo loco poterit Quirosius. Illud itaque tantum restat, ut Scriptori illi innitatur, de quo mentionem feci secundo loco. Is enim aperte, fateor, id ipsum sentit, quod Quirosius. Sed qui huic suffragantur opinioni, sciant se & ejus scriptoris fidei ac testimonio duntaxat fidere, cujus auctoritas non magni facienda est, ut monet D. Thomas (1), & eam sententiam sequi, quæ satis probabiliter ex eo refelli potest, quod credibile non sit, Mosem, qui singula prodigia divinitus pro Israelitis facta diligentissime persequitur, hoc tam mirabile silentio præterire voluisse, si contigisset. Sed de his satis. Itaque ad interpretationem ipsam statim venio.

Vers. 1. (אשירה ליהוה *ashirah libovàh*, idest, *canam Domino*). Mosem imitatus David hac ipsa loquendi formula sæpius utitur, ac nominatim psalmo CIV. v. 33, ubi ait, אשירה ליהוה בחיי, idest, *canam Domino*, *dum vivam*. Canere autem Domino in hebræo sermone is dicitur, qui Dominum cantu, & carminibus celebrat. De voce *Jehovàh*, seu *Jhovàh*, seu *Jahvòh*, quam hic habet hebræum exemplar, dicam fusius paullo post. Interim animadvertendum est, ethnicos veteres, uti alia multa ex Hebræis desumserunt, ita fortasse ex hac voce *Jhovàh* nomen *Jovis* Deorum parentis derivasse: quod enim modo dicitur *Juppiter*, olim recto casu dicebatur *Jovis*, ut testatur Varro (2). Quin mihi illud insuper videtur verisimile, ex altera radice שיר, quæ *canticum*, seu *cantionem* significat, *Sirenis* nomen Græcos, ab his vero Latinos desumpsisse: ut scilicet *Siren* idem sit, atque *cantatrix*, non, ut quidam volunt, *attractrix*.

(כי גאה גאה *chi gaàh gaàh*, idest, *quoniam eminendo eminuit*). Hæc verba alii aliter reddiderunt Interpretes, quorum singulas afferre versiones nimis longum esset. Marinus noster in *Thesauro* vertit, *quia superbiendo superbivit*. Recte quidem, si vim hebrææ radicis גאה duntaxat spectemus; ea enim *superbiam* significat quam sæpissime; immo inde ad græcos fluxisse videtur ejusdem significationis vox *γαίω*. At quoniam Deus *superbire* apud Latinos minus recte dici videtur, proinde vertendum censui *eminendo eminuit*, sive *excellendo excelluit*. Id enim significat aliquando vox hebræa, quam diximus; eamque ob rem Judæorum doctores, quos nunc Rabbinos dicimus, הגאונים quondam, seu *Gheo-*

(1) 3. part. de Salvatore, quæst. 45. art. 3.

(2) Lib. 7. de lingua latina.

Gheones, ideſt, *excellentes*, appellabantur. גאה ergo & in bonam partem ſumitur, & in ſequiorem; ut proinde non modo *ſuperbum*, ſed *magnificum* etiam, ac *præpotentem* deſignet: quo modo accipienda eſt ea radix hoc in loco.

(סוס ורכבו רמה בים *ſus, verocbebbó ramáb bajjám*, ideſt, *equum, & equitem jaculatus eſt in mare*). Poetica, & eleganti loquendi ratione Moſes Ægyptiorum exprimit ſubmerſionem, quaſi dicat: Ægyptiorum equos equiteſque veluti ſublimes raptos magna vi Dominus in mare Erythræum projecit, ac præcipitavit. Equum enim, & equitem quum dicit, non modo equum Pharaonis, ipſumque Pharaonem, ſed omnem quoque ejus equitatum deſignat, qui apud Orientales populos longe fortior, quam peditatus habebatur, uti ex Ariſtotele (1) conſtat, ex Polybio (2), ex Vegetio (3), & ex aliis etiam ſcriptoribus.

Verſ. 2. (עזי וזמרת יה, ויהי לי לישועה). Hemiſtichium hocce exſcripſerunt David, & Jeſaias, ille quidem pſalmo CXVIII (4), hic vero cap. XII (5).

(עזי *bozzì*, ideſt, *vis mea*). Quidquid egit Moſes, id ſe divina ope monet præſtitiſſe: *nec enim in fortitudine ſua roborabitur vir*, ut recte Hanna ait in Cantico (6). Impie itaque ingrati ſimus in Deum, niſi quæ in nobis ſunt omnia, ab ipſo eſſe profiteamur: quæ vero feliciter nobis proſpereque non ſine prodigio atque admiratione eveniunt, ea maxime nos Deo accepta referre decet, ne eadem virtuti noſtræ tribuere, de iiſque gloriari videamur.

(וזמרת *vezimráth*, ideſt, *& laudatio*) Laudum ſcilicet, carminumque meorum argumentum. Ut enim verbum זמר *pſallis*, ita conjugatum nomen זמרה ipſam pſallendi actionem, quam *pulſationem* dicere poſſumus, ſignificat. Deum ergo ſibi ad muſica inſtrumenta canendum indicat Moſes, dum eum *pulſationem* ſuam vocat: cui loquendi formulæ ſimiles alias invenies identidem in ſacris libris.

Putant nonnulli (7) pro זמרת legendum eſſe vel זמרה, uti grammaticorum leges præcipiunt, vel potius זמרתי. Itaque vitiatum hoc in loco eſſe hebræum exemplar; ut nimirum vel ſimilium literarum ת, & ה mutatio facta ſit, vel exciderit affixa literula *jod*, a qua incipit proxima vox יה. Vulgatus ſane interpres (inquiunt), & Onkeloſus videntur legiſſe זמרתי, id quod conjicere licet ex utriuſque interpretatione.

His tamen rationibus neutiquam moveor; nam & in commate quarto pſalmi CXXXII שנת poſitum eſt pro שנה, ſicuti זמרת hic ponitur pro זמרה, & aliquibus aliis in locis ſimilis occurrit anomalia, an εὐφωνίας. an metri cauſſa: Deinde & apud Davidem, ac Jeſaiam, ut dixi paullo ante, & in pervetuſtis codicibus manu ſcriptis, iiſque etiam, qui apud nos Bononiæ aſſervantur (8), legitur זמרת, non זמרתי: incredibile autem eſt, e tot locis affixam literam *jod* excidiſſe, quam in ſuis codicibus habuiſſe vetuſtos interpretes, ex eorum interpretationibus tuto colligi non poteſt, propterea quod hi verbum e verbo non exprimant ut plurimum, ſed aliquid addant identidem de ſuo: id quod multo magis de Onkeloſo valet, qui Pentateuchi non verſionem, ſed explicationem potius concinnavit chaldaicam.

(יה

(1) lib. 4. Polit. cap. 13. (2) lib. 3. (3) lib. 2. de re militari. (4) verſ. 14.
(5) verſ. 2. (6) l. 1. Reg. II. 9.
(7) Vide Sebaſtianum Munſterum, & Johannem Clericum in hunc locum.
(8) Biblia Hebraica omnium fortaſſe, quæ exſtant, vetuſtiſſima, anno ſcilicet 1187 exarata, in hac noſtra Bibliotheca S. Salvatoris Bononiæ habemus, de quibus vide, ſi libet, Bernardi Montfauconii *Diarium Italicum* cap. 27. pag. 406, ubi inſignes multos ejus bibliothecæ codices m. ſ. enumerat.

(יה *Jàha*, idest, *Dominus*). Quod elisis literis est יה, id plenum atque integrum est יהוה, ut plerique censent: utrumque enim nomen manat ex eadem radice הוה, vel היה, idest, *fuit*: eamque ob rem utrumque lxx. Intt. vertunt eadem voce Κύριος: Theodotio autem nomen יה vertit aliquando Τὸ ὄν, seu, *Quod est*. Sunt præterea qui putent nomen יה nullum esse in hebræo sermone; ubicumque autem occurrit ea vocula, ibi legendum esse יהוה, propterea quod librarii nomen hoc Dei τετραγράμματον duabus omissis postremis literis quondam scriberent. At totum hoc & temere fingitur, & nullam veri habet similitudinem. Primum enim יה nomen esse diversum a יהוה patet ex voce composita הללו-יה, quæ crebro occurrit in psalmis, quamque tum Johannes in Apocalypsi (1), tum Interpretes lxx, Vulgatus, aliique legunt *Hallelu-Jah*, idest, *laudate Dominum*. Deinde quum apud Davidem eodem sæpe in psalmo occurrant ambo ea nomina יה, & יהוה, immo apud Jesaiam cap. xxvi. v. 4, & alibi quoque jungantur simul; quis credat librarios unum idemque nomen modo integrum scripsisse, modo mutilatum? Recte itaque Hesychius (2) Ἴα τὸν Θεὸν (inquit) σημαίνει παρ' Ἑβραίους, idest, Ἴα (seu יה) *Deum significat apud Hebræos*. Quin ex hac voce יה ducta videtur græcorum vocula ἴη, quam magnis cum clamoribus iterare consueverant, qui Deum sibi propitium precabantur, ut testatur Eusthathius (3), quum ait: τὸ δαιμόνιον ἵλεον ἠξίουν εἶναι ἐπιφωνοῦντες ἴη ἴη. Eademque ratione ex הללו-יה factum fortasse est ἐλελεῦ ἴη, qua exclamandi formula utebantur, qui canebant Pæana.

(ויהי לי לישועה *vajhì li lisbuhàh*, idest, *& fuit mihi saluti*). Hoc perinde est quasi diceret: me enim servavit, mihi opem tulit, dum Israelitas ex Ægypto educentem Pharao insequeretur. Affixa enim litera *vau*, respondens latinæ particulæ *Et*, in hebræo sermone nonnunquam valet *quia*; ut in illo Jesaiæ (4), הן אתה קצפת ונחטא, idest, *ecce tu iratus es, &* (idest, *quia*) *peccavimus*. Eodemque modo fortasse accipienda est hoc in loco.

(זה אלי *zeh eli*, idest, *iste*, nimirum Jah, est *Deus meus*): sacra vero atque abominanda Ægyptiorum numina detestor. Porro vocula אל pro *forti* quidem, ac *præpotenti* usurpatur nonnunquam: ut plurimum tamen *Deum* ipsum significat, a quo fortitudo omnis proficiscitur, quique solus κατ' ἐξοχὴν *Fortis* dici potest. A Phœnicibus quoque ac Syris Saturnus ipsorum Deus vocabatur Ἤλ, ut testatur Damascius apud Photium (5).

(ואנוהו *veanvèhu*, idest, *& habitare faciam eum*). Verbi נָוָה duplicem ait Johannes Clericus esse significationem, *habitavit*, & *decorus fuit*. Secundam hanc ipse amplectitur hoc in loco, ideoque propositam dictionem ואנוהו sic vertit: *idcirco laudibus eum decorabo*. At multo rectius verbi נָוָה una tantum statuitur *habitandi* significatio, præsertim quum conjugatum nomen נָוֶה, seu נָוָה, unde conjicere licet ductam esse græcam vocem ναίω, idest, *habito*, pro habitaculo semper, atque æde usurpetur; neque ullo ex loco ostendi id possit, quod conjicere videtur Clericus, נָוָה positum esse aliquando pro נָאוָה, quod nonnunquam significat *decorus fuit*. At enim, inquies, Vulgatus interpres vertit *& glorificabo eum*. Fateor. At is exemplar hebræum non semper ad verbum reddit, sed illud explicans sæpenumero id ponit in sua versione, quod ἰσοδυναμεῖ: nos vero hic proprietatem ac vim ipsarum vocum inquirimus, non loci

(1) cap. xix. verss. 1, 3, 4, & 6. (2) in voce Ἴα (3) ad Odyss. l. 7. (4) cap. lxiv. v. 5. (5) cod. 242.

loci sententiam duntaxat; id quod semel monuisse contenti erimus.

Itaque אנוהו idem est atque בנוה הושיבהו, uti exponunt Kimhius, Abenus Hezra, aliique; ac latine sic reddi potest: *exstruam ei habitationem*; idest, tabernaculum. Hoc enim revera Deo a Mose postmodum exstructum est, in eoque arca posita una cum duobus cherubinis, ut eorum alis quasi insideret ac veheretur Israelitarum dux atque imperator Deus. Quod si pro אַנְוֵהוּ in hebræo exemplare esset אֲנַוֵּהוּ, Cajetani interpretationem amplecterer, qui vertit, *habitabo eum*; idest, cum ipso mente, votis, affectibus manebo.

(אלהי *Elohé*, idest, *Deus*) Vox pluralis אלהים Deum plerumque designat, aliquando autem Angelos quoque, vel Principes, ac præstantes viros, uti monet Johannes Buxtorfius in Lexico. Hinc fortasse factum est, ut Croni, sive Saturni commilitones vocarentur Ἐλωεὶμ, teste Sanchoniathone, cujus hæc sunt verba: *οἱ δὲ σύμμαχοι τοῦ Ἴλου τοῦ Κρόνου Ἐλοεὶμ ἐπεκλήθησαν*, idest; *commilitones vero Ili sive Saturni* Ἐλοεὶμ *dicebantur* (1).

Jam vero de hac voce *Elohim* quæstio movetur inter Christianos Interpretes, an quum pro Deo usurpatur in sacris libris, terminatione duntaxat pluralis sit, an vero etiam significatione; seu, quod eodem recidit, an Deus a Mose, aliisque Scriptoribus sacris ideo vocetur plurali nomine *Elohim*, ut plures in eo significentur Personæ, uti censent Lyranus, Burgensis, Galatinus, Steuchus noster (2), Catharinus, Petrus Martyr (3), Hieronymus Zanchius (4), & complures alii; an vero nihil isthic tale quærendum sit, ut Cajetanus, Abulensis (5), Petavius (6), Calvinus (7), Rivetus (8), Drusius (9), aliique nonnulli opinantur.

At multa sunt in veteri Testamento loca, e quibus colligitur non obscure, vocem hanc *Elohim* non inflexione duntaxat, terminatione, & quodam usu linguæ hebrææ, sed significatione etiam pluralem esse, ac plures in Deo Personas designare. Primum enim iste *Elohim*, idest Deus O. M. non quasi unus, sed quasi plures loquens inducitur a Mose in Gen. cap. 1. v. 26, ubi hæc exstant verba, ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו, idest, *Et dixit Elohim: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Quod si Personarum Trinitas hic non indicatur, quosnam quæso alloquitur Deus, quum inquit, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram?* An Angelos? quasi vero Angeli quoque una cum Deo hominem condiderint, eosque invitarit Deus ipse, ut sibi essent adjutores; quum nec Angelorum in Genesi ulla mentio fiat, & Deus hominem solus, atque ad imaginem suam, non Angelorum, ibidem dicatur condidisse. At, inquiet quispiam, Deum pluraliter loquentem facit Moses, ut multas ejus perfectiones significet. Futilis sane responsio. Si enim id ita est, jam illud consequitur, ut Deus perfectiones suas sic alloquatur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*: quo quid ineptius, vaniusve excogitari potest? Sunt demum alii, qui respondeant, eo modo Deum loquentem induci a Mose, quo Principes viri loqui amant etiamnum. At nihilo minus inane hoc responsum est: nam nec ullum aliud e sacris libris simile exemplum afferri potest, nec eam loquendi rationem hebrææ linguæ patitur simplicitas.

Multo adhuc firmius argumentum peto ex hisce Mosis verbis (10) ויאמר יהוה

(1) Vide tom. 2. Thesauri antiquit. Sacr. a Blasio Ugolino editi, pag. lviii.
(2) In *recognitione veteris Testamenti* ad cap. 1. v. 1. Genes. (3) in Genes.
(4) lib. 1. *de Nat. Dei* c. 4., & 12; ac rursus lib. 3. *de tribus Elohim* c. 1.
(5) in Tract. de Trinit. (6) Theolog. dogm. de Trin. l. 2. c. 7. n. 3. (7) in cap. 1. Genes.
(8) exercit. 1. in Genes. (9) l. de nomin. Eloh. centur. 2. Miscell. c. 49, & 53.
(10) cap. III. Genes. vers. 22.

יהיה אלהים, הן האדם היה כאחד ממנו idest, *Et dixit Jehováh Elohîm: ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*. Hæc sane verba, *quasi unus ex nobis*, plures Dei personas indicant manifeste. Calvinus tamen homo audacissimus Adamum ipsum ea verba complecti respondet (1): sed perabsurde; Adamus enim aperte hic secernitur ab illis, quibus εἰρωνικῶς similis factus dicitur, ut quasi ex illis unus evaserit.

Præterea sunt quidem & in hebræa lingua item, uti in aliis, nomina quædam pluralia singularis significationis, uti verbi caussa מים, idest, *aqua*: sed ea numero carent singulari. At hujusmodi non est nomen אלהים; derivatur enim ex nomine singulari אלוה, quod sæpe occurrit in sacris libris, ac Deum significat. Quod si ita est, cur Moses, qui in id totus incubuit, ut unius Dei cultum stabiliret, plurali nomine usus esset, quum in promptu haberet singulare אלוה, nisi indicare voluisset, Deum O. M. & unum esse, & plures; unum scilicet natura, plures personis? quod quidem mysterium credibile non est Mosem ignorasse, præsertim quum ex ejus libris constet, Deum cum nemine familiarius locutum fuisse unquam, aut se se clarius patefecisse, quam Mosi ipsi.

Denique, ut multa alia prætercam, quæ afferri possent in hanc rem, id ipsum, quod volo, ex eo colligitur, quod nomen hoc, de quo agimus, non raro cum verbis, ac nominibus pluralibus etiam tum jungatur, quum Deum unum designat: uti exempli caussa in Genesi cap. xx. v. 13, ubi Abrahamus sic ait, התעו אתי אלהים, idest, *errare me fecerunt Elohîm*. Et in libro Josue cap. xxiv. vers. 19 כי אלהים קדשים הוא, idest, *quoniam Elohîm sancti* est *ipse*: Jehováh scilicet, sive Deus Optimus Maximus. Et in libro 2. Samuelis cap. vii. vers. 23 הלכו אלהים לפדות לו לעם, idest, *iverunt Elohîm*, *ut sibi* (Israelem) *redimerent in populum*. Quem locum confer, quæso, cum commate 21 capitis xvii. libri primi Paralipomenων. In hisce porro locis omnibus, quæ in medium protuli, nomine *Elohîm* Deum verum designari, ei aperte constabit, qui libros ipsos consuluerit, unde deprompta sunt.

(אבי *abbî*, idest, *patris mei*). Mosi Josephum, Josepho autem e decem liberis natu minimo Israelem patrem fuisse, tradit ex Trogo Pompeio Justinus in libro xvi cap. 2; sed falso, uti alia plura eodem in loco. Avum enim Moses habuit Caathum Levitidem, non Israelem; patrem vero Amramum, non Josephum, uti testatur in libro Exodi (2) Moses ipse: ut proinde valde mirer, Cyrillum Alexandrinum *de vita Mosis* scribentem, omissum in sacris libris Mosis patrem affirmare his verbis: σεσίγηται ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ὁ Μωυσέως πατήρ, idest, *tacetur in sacris literis Mosis pater*. Quum ergo Jehovam *Deum patris sui* vocat Moses, perinde est, ac si diceret Deum ab Amramo patre cultum, atque adoratum. Quanquam multi Interpretes Abrahamum potius, quam Amramum spectari hic volunt a Mose: ut nimirum *Deus patris mei* idem sit ac Deus patrius, Deus avitus, Deus ille unus, atque Altissimus, qui se Abrahami Deum appellare (3) non est dedignatus, cui Abrahamus ipse circumcisione consecratus est, cujus denique cultum Abrahamus hominis idololatræ filius in gente ac familia sua instituit, unde & *Hebræorum parens* appellatus est.

(וארממנהו *vaaromeménhu*, idest, *& extollam eum*) laudibus scilicet. Nisi for-

(1) *Adam* (inquit Calvinus in cap. iii. Gen. ad vers. 22.) *sub dictione* Nobis *comprehenditur*.
(2) cap. vi. vers. 22. (3) in Genesi cap. xxvi. vers. 24.

si forte dictionem hanc ita malis interpretari, ut per eam superius vocabulum אנוהו explicet Moses, indicetque, se in tabernaculo, quod Deo exstruere cogitabat, sublimes Cherubinos positurum, quorum alis veluti insidens Deus sublimis & ipse veheretur.

Vers. 3. (יהוה איש מלחמה *Jehovàh isch milhamàh*, idest, *Dominus vir belli.*) Totum hunc versiculum habet Juditha quoque in cantico cap. XVI. vers. 3, iterumque cap. IX. vers. 10. Porro *vir belli* idem est, ac *vir bellicosus*, seu *bellator*. Hebræi enim quum derivata a substantivis nominibus adjectiva non habeant, ut Latini, proinde ita coguntur loqui, ut virum *pacis*, exempli gratia, aut *mendacii* appellent quem nos *pacificum*, aut *mendacem* diceremus. Quod vero Deum *virum bellatorem* appellat Moses, id aspere nimis ac dure dictum videtur nonnullis (1), magnæ scilicet auctoritatis viris, quibus vel ipsum Mosem Deo afflante locutum carpere datum sit. Sed facili negotio horum retunditur audacia. Primum enim quidni eum divinus vates spectarit hoc in loco, qui verus Deus æque est, ut verus homo, idest Christum: præsertim quum plures e vetustis Ecclesiæ Patribus, Justinus nimirum (2), Tertullianus (3), Irenæus (4), Cyrillus Jerosolymitanus (5), Basilius (6), Johannes Chrysostomus (7), aliique plures (8) docuerint, ubicumque Abrahamo, Jacobo, Mosi, aliisve Patriarchis Deus se conspiciendum præbuisse dicitur, ibi Verbum Dei, ac Filium designari, cumque ipsum fuisse, qui Israelitarum castra præcessisse, Ægyptiorumque exercitum interfecisse dicitur (9), & a quo Israelitæ e Pharaonis dominatu per tot prodigia erepti sunt. Deinde apparet ea verba איש מלחמה recte sic reddi posse: *tamquam vir belli*; ut scilicet similitudinis particula, quam recte addidit Vulgatus interpres, eleganter omissa fuerit a Mose linguæ suæ morem secuto; id quod sexcentis aliis in locis factum videmus a sacris Scriptoribus. Denique איש מלחמה fortasse idem sonat ac *fortis bellator*, sive *potens in bello*, ut exemplar habet Samaritanum, in quo legitur גבור במלחמה. Vocula enim איש apud Hebræos quamvis plerumque pro *viro* usurpetur, significat tamen etiam aliquando *fortem*, ac *præpotentem*, sicuti apud græcos consimilis dictio *ἴς robur*, ac *vim* significat. Atque ut alia omittam veteris testamenti loca, eam certe significationem habere videtur in libro Judicum cap. VII. v. 14, ubi Gedeon vocatur איש ישראל, *vir Israelis*, idest, *heros Israelita*. Cui loquendi formulæ similis alia exstat in libro primo Samuelis cap. IV. v. 9, ubi Philistæi ad pugnam contra Israelitas viriliter, idest fortiter ineundam excitantur his verbis, והיו לאנשים פלשתים, idest, *estote viri* (hoc est, *fortes*) *o Philistæi*. Iam vero quamcumque tandem e tribus hisce interpretationibus amplectaris, nullam in propositis verbis apparet esse asperitatem. Lxx tamen Interpretes ad verbum ea græce non reddiderunt, sed in hunc modum: Κύριος συντρίβων πολέμους, idest, *Dominus conterens* (sive *dissipans*) *bella*: veriti fortasse, ne Ethnici, quibus hebræi sermonis proprietas, vis, & consuetudo plane erat ignota, eorum versionem legentes putarent, Hebræorum Deum esse hominem quempiam strenuum, instar Martis.

(יהוה שמו *Jehovàh shemò*, idest, *Jehovàh* est *nomen ejus*.) Dei quidem item, uti & Legis, & Israelis, septuagin-

(1) Vide Johannis Clerici, & Calvini commentaria in hunc locum.
(2) in Dial. cum Tryphone. (3) l. 2. contra Marcion. c. 27. (4) l. 4. cap. 26.
(5) Catech. 10. (6) l. 3. contra Eunom. (7) hom. 58. in Genes.
(8) Eorum loca a Petavio proferuntur in lib. 8. Theologicorum dogmatum de Trinitate cap. 2.
(9) in Exodo cap. XIV. v. 19, & 24.

ginta nomina numerant Rabbini, ut videre licet apud Augustinum Justinianum Episcopum Nebiensem (1): peculiare tamen, maximeque proprium Dei Altissimi nomen est יהוה, quod proinde per antonomasiam dicitur שם (*shem*), idest, *Nomen*, & est veluti σῆμα, quo a falsis Diis secernitur verus Deus.

Sacrosanctum porro hoc nomen divinus auctor libri, qui *Sapientia* inscribitur (2), vocat τὸ ἀκοινώνητον ὄνομα, idest *nomen incommunicabile*: a Patribus vero græcis dicitur ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, ἐηθῆναι μὴ δυνάμενον. Denique ex Rabbinis plerique illud ἁπλῶς vocant, ut jam monuimus, השם, idest, *Nomen*; alii שם העצם, idest, *nomen substantiæ*; alii שם ההויה, idest, *nomen essentiæ*; alii שם המיוחד, idest, *nomen proprium*; alii שם המפורש, idest, *nomen expositum*, vel potius *segregatum*; alii שם בן ארבע אותיות, vel שם של ארבע אותיות, idest, *nomen quatuor literarum*, & græce τετραγράμματον; alii denique שם הנכבד והנורא, idest, *nomen gloriosum*, & *terribile* (3).

Iam vero multa sunt sacrorum Scriptorum loca, ex quibus apparet, nomen hoc veri Dei proprium, nec ipsi cum ullo alio commune esse. Namque, ut omittam locum hunc ipsum, quem in præsenti explicamus, Deus ipse alibi sæpius illud vocat *nomen suum*; uti exempli caussa in Exodo (4), dum ait, זה שמי לעולם, idest, *hoc nomen meum in perpetuum*; rursusque apud Jesaiam his verbis (5) אני יהוה, הוא שמי, idest, *ego Jehovah*, *hoc nomen meum* (6). Et sane, ut recte monet Johannes Vorstius (7), nomen istud nec regiminis statum, ut ajunt, nec ה emphaticum sibi præfixum, nec affixa ulla in fine, nec denique pluralem numerum usquam habet: nec enim usquam legimus, exempli gratia, יְהוָֹת יִשְׂרָאֵל, aut בַּיהוָֹה, aut יְהוָֹתִי, aut יְהוֹוֹת: ex quo intelligitur vocem hanc in nominibus propriis numerandam esse.

Superest nunc, ut quanam ex radice nomen hoc derivetur, quo modo legi, ac pronunciari debeat, ac demum quid significet, breviter investigemus. Ad primum quod attinet, Oleaster (8) putat, nomen יהוה derivari ex nomine הֹוָה, quod *calamitatem*, & *infortunium* significat. At Oleastri opinionem nemo, quem legerim, amplectitur. Vulgo enim scriptores alii docent, istud nomen ex radice הָיָה, sive ex הָוָה, idest, *fuit*, derivari: id quod ex capite tertio Exodi confirmari potest, ubi Deus nomen sibi ab *exsistentia* sua ductum imponit: quærenti enim Mosi a Deo, quidnam responderet Israelitis de ejus nomine sciscitantibus, sic respondit (9): אהיה אשר אהיה, idest, *Ero qui ero*, vel potius, *sum qui sum*. Tum hæc subjicit: כה תאמר לבני ישראל, אהיה שלחני אליכם, idest, *Sic dices filiis Israelis*: *Ehejéh* (idest, *ERO*, vel *SUM*) *misit me ad vos*.

Quod vero spectat ad germanam hujus, de quo agimus, nominis pronunciationem, eam hodie omnino ignotam puto: attamen quid hac de re Scriptores tradiderint, breviter indicandum est. Ac primum quidem Johannes Drusius legendum esse putat *Jabavéh*, seu *Jahvéh*, idque ex eo confirmat, quod Samaritanos olim legisse Ἰαβὲ, aiir-

(1) in annot. marg. ad psalmum, qui in Vulgata versione est cxviii.
(2) cap. xiv, vers. 21. (3) ex Deuter. cap. xxviii, vers. 58.
(4) cap. iii, vers. 15. Vide & cap. vi, vers. 3. (5) cap. xlii, vers. 8.
(6) Vide & ps. lxxxiii, vers. ult. (7) in syntagmate miscellaneorum Academicorum, pag. 13.
(8) in annot. ad cap. 3, & ad cap. 6 Exodi. (9) vers. 14.

affirmet Theodoretus (1): immo ea ratione etiamnum Dei nomen ab ipsis pronunciari testantur, qui eos Pentateuchum suum legentes audiverunt (2). Deinde sunt qui conjiciant (3), יהוה olim prolatum fuisse *Jahavóh*, aut *Jahvóh*: propterea quod similis sit variorum nominum prolatio, ut יעקב *Jahacóbh*, פרעה *Pharhóh*, &c. Aliæ præterea ejusdem nominis formæ, nimirum Ι'ευώ, & Ι'έω, seu Ι'αῶ, exstant apud scriptores græcos. Sanchoniathon enim (4), cujus scripta a Philone Byblio græce versa dicuntur, quæcumque de Judæis scripserat, ea se accepisse fatebatur παρὰ Ι'ερομβάλου τοῦ Ι'ερέως Θεοῦ τοῦ Ι'ευὼ, idest, *a Jerombalo Sacerdote Dei Jevo*. Diodorus vero Siculus (5) Mosem ait legum suarum auctorem finxisse τὸν Ι'αὼ ἐπικαλούμενον Θεόν. Hanc autem postremam divini nominis formam, nimirum Ι'αῶ, videre etiam licet tum in græcis versibus Apollinis Clarii, quos memorat Macrobius (6), tum apud Irenæum (7), tum apud Tertullianum (8), tum demum, ut alios omittam, apud Origenem (9).

Hebræi denique, quum verum Dei nomen pronunciare nefas habeant, ubicumque occurrit vox יהוה, legunt אדני, sive *Adonáj*, illudque nomen ita scribunt יְהֹוָה; si quando tamen simul junctæ occurrant in sacris libris hæ duæ voces יהוה אדני, tunc ad vitandam ejusdem nominis repetitionem scribunt יֱהֹוִה, & pronunciant אלהים, sive *Elohim*. Ex punctis autem, quæ voci יהוה subjiciuntur, quum ita scribitur יְהֹוָה, orta est vox *Jehováh*, quam recentissimam esse, atque a Galatino primum usurpatam fatentur ferme omnes: nec enim puncta, quæ voci יְהֹוָה hodie appinguntur, illius propria videntur esse, sed nominis *Adonáj*, ut ostendit Buxtorfius Junior (10), quamvis multo aliter sentiat Johannes Vorstius (11). Utrumque Scriptorem consule, si libet; nec enim meum est hac de re fusius agere (12).

Videamus nunc tandem, quid significet vox ista יהוה, de cujus significatione quatuor apud scriptores reperio sententias. Oleaster quidem uti eam vocem derivari putat ex nomine הֹוָה, ita eamdem significare censet *Deum conterentem*, atque *vastantem*. Sed malunt ceteri Scriptores nomen יהוה deducere ex verbo הָוָה, sive הָיָה, idest, *fuit*; id quod multo verisimilius esse ostendimus paullo ante. Hac ergo posita divini Nominis origine, tres aliæ supersunt ejusdem interpretationes, quarum unaquæque suam habet verisimilitudinem. Ac primum quidem plures sunt, quibus יהוה idem videtur esse, atque ὁ Ὤν, idest, *Exsistens*. Nimirum Deus tantum natura sua *est*; idola autem sunt οὐδὲν ἐν τῷ κόσμῳ, ut loquitur divinus Paulus (13); cetera vero omnia Dei voluntate ex nihilo educta sunt: idcoque Deus solus potest singulari sensu ὁ Ὤν merito vocari. Hæc interpretatio confirmatur tum Philonis Judæi, tum plurium græcorum Patrum (14), tum vero maxime

b 2 lxx

(1) quæst. xv. in Exodum, ubi sic loquitur: καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ι'αβὲ, Ιουδαῖοι δὲ Αἴά; idest, *vocant autem illud Samaritani quidem Jabe, Judæi vero Aia*.
(2) Vide Eduard. Bernardum in Josephi lib. 3. cap. 7.
(3) vide Johannis Clerici comment. in cap. III. Exodi ad vers. 15.
(4) apud Euseb. lib. 1. Præpar. Euang. cap. 9. (5) in lib. 1. Bibliothecæ.
(6) in lib. 1. Saturn. cap. 18. (7) in lib. 1. adv. hær. cap. 34.
(8) in libro de præscript. adv. hær. cap. 49. (9) tom. 2. in Johann. Huet. ed. p. 45.
(10) in dissert. de nominibus Dei hebraicis. (11) in Syntagmate Miscell. Acad.
(12) Vide etiam Calmeti Diction. S. S. ad vocem *Jehovah*.
(13) in ep. 1. ad Cor. cap. VIII. (14) vide Euseb. lib. 9. Præp. Euang. cap. 9, 10, & 11.

lxx Interpretum auctoritate, qui vocem יהוה verterunt aliquando ὁ Ὤν.

Sunt preterea qui doceant, hoc Dei nomine Dei ipsius ęternitatem designari; ut scilicet unum nomen יהוה idem valeat, atque hæc tria, יִהְיֶה *erit*, הֹוֶה *est*, הָיָה *fuit*. Nimirum prima litera *Jod* (inquiunt) futurum tempus significat; literæ vero וה, quæ sunt initiales literæ participii הֹוֶה, præsens tempus denotant; ac denique ה, quæ ultima est litera præteriti הָיָה, præteritum indicat. Id ipsum vero & de punctis eidem voci יְהֹוָה subjectis dici potest: futurum scilicet tempus primo puncto literæ י subjecto, præsens medio, ac præteritum tertio designari. Quod si ita se res habeat, huc respexisse videbitur Johannes in sua Apocalypsi, quum Servator Deus ab ipso vocatur ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν; καὶ ὁ ἐρχόμενος, idest, *Qui est*, *& qui erat*, *& qui venturus est*.

Johannes Clericus denique existimat voce יהוה significari eum, *qui facit ut sit*, quod futurum dixit: quasi scilicet (inquit) יהוה esset futurum hiphil יַהְוֶה, aut pihél יְהַוֶּה, idest, *faciet ut sit*. Hanc Clerici interpretationem ex eo confirmarim, quod Samaritani, ut superius diximus, nomen Dei pronuncient *Jabvéh*, aut fortasse, ut videtur verisimile, *Jabavéh*. Sed rationes, quibus utitur Clericus, apud ipsum vide sis (1).

Vers. 4. (מרכבות *markebbóth*, idest, *currus*.) Duobus curruum generibus usos fuisse veteres in præliis, testatur Ælianus (2). Unum genus erat eorum, quos appellant *falcatos*, quosque eleganter, ut solet, Livius describit (3) in hunc modum: *Falcatæ quoque quadrigæ, quibus se perturbaturum hostium aciem Antiochus crediderat, in suos terrorem verterunt. Armatæ autem in hunc maxime modum erant. Cuspides circa temonem ab jugo decem cubita exstantes velut cornua habebant: quibus quidquid obvium daretur, transfigerent: & in extremis jugis binæ circa eminebant falces: altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa: illa, ut quidquid ab latere objiceretur, abscinderet: hæc, ut prolapsos, subeuntesque contingeret. Item ab axibus rotarum utrinque binæ eodem modo diversæ deligabantur falces*. Consule etiam, si libet, Curtium (4) falcatos hosce currus describentem, quos cum Livio quadrigas facit. Porro an isto, quem describit Livius, vel consimili modo armati; immo an armati essent Chananæorum currus, quorum mentio fit in libro Josue (5), non ausim definire. Scribit quidem ejus libri auctor fuisse רכב ברזל בכל הכנעני, idest, *currum ferri in omni Chananæo*: at non videmur his verbis cogi, ut eos currus armatos fuisse affirmemus, quamvis nonnulli armatos fidenter dicant (6).

Alterum curruum genus eorum erat, quos *inermes* vocare licet, aut *simplices*. Singulos trahebant fere quatuor equi, ab hisque duo simul homines trahebantur, quorum alter in curru, atque e curru solus certabat, alter aurigæ munere fungebatur. Origenes tamen, & Gregorius Nyssenus tres in curru homines fuisse ajunt, quorum *alius auriga erat*, *alius clypeo protegebat*, *alius pugnabat*. Hujus autem modi currus a Trojanis, atque in bello Trojano a Græcis adhibitos esse constat ex Homero. De his etiam loqui videtur Xenophon in libro sexto de Inst. Cyri, ubi ita scribit: Τρωικὴν διφρείαν πρόσθεν οὖσαν, καὶ τὴν Κυρηναίων ἔτι νῦν οὖσαν ἁρματηλασίαν κατέλυσε: τὸν γὰρ πρόσθεν χρόνον καὶ οἱ.

(1) in comment. cap. III. Exodi ad vers. 3. (2) in lib. de militar. cap. 22.
(3) lib. 37. (4) lib. 4. (5) cap. XVII. vers. 26. (6) Vide Calmetum in cap. XIV. Exodi ad vers. 7.

οἱ ἐν τῇ Μηδίᾳ, καὶ Συρίᾳ, καὶ Ἀραβίᾳ, καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς ἅρμασιν οὕτως ἐχρῶντο, ὥσπερ νῦν οἱ Κυρηναῖοι .... Ἅρματα τριακόσια τοὺς μαχομένους παρέχεται τριακοσίους, ἵπποις δ' οὗτοι χρῶνται διακοσίοις καὶ χιλίοις. ἡνίοχοι δ' αὐτοῖς εἰσὶ μεν, ὡς εἰκὸς, οἷς μάλιστα πιστεύουσιν οἱ βέλτιστοι, ἄλλοι δὴ εἰς τριακοσίους; idest, *Trojanam rationem curruum, quæ antea in usu erat, & Cyrenaicam agitationem sustulit* (Cyrus): *antea enim qui erant in Media, & Syria, & Arabia, & omnes qui erant in Asia, curribus utebantur, ut nunc Cyrenæi..... Trecenti currus pugnantes suppeditant trecentos, & mille ducentis equis utuntur. Sunt iis aurigæ, ut par est, ii quibus maxime proceres confidunt, & quidem ad trecentos alios homines.*

Porro ut in Ægypto magna erat equorum copia, sicuti constat e sacris libris (1), ita ibidem magnus fuit usus curruum. Itaque Pharaho Israelitas insecuturus *sexcentos electos currus*, tum *quidquid in Ægypto curruum fuit* (2), instrui jussit. Cujusmodi autem fuerint hi Pharahonis currus, quos Juditha *quadrigas* vocat (3), inermes ne, an falcati, latet. Eos omnium, quos noverimus, antiquissimos esse affirmat Cornelius a Lapide (4); & recte quidem, si de militaribus curribus sermo sit; secus, si de aliis: constat enim ex libro Geneseos Josephum Pharahonis jussu in currum ejus secundum ascendisse (5), in curru item insidentem Jacobo patri obviam factum esse (6), ac demum curribus equitibusque comitatum in terram Chananæam ad eumdem sepeliendum venisse (7): quin immo hos currus videtur secum habuisse Josephus alicujus præsidii caussa, ne scilicet Chananæi, per quorum fines transeundum erat, infesti essent.

At enim, inquiet quispiam, qui fieri potuit, ut tot currus, quot diximus, instructos habuerit Pharaho? ubinam gentium tot equos comparavit, quot ad eos trahendos necessarii erant? quum paulo ante mortua forent omnia Ægyptiorum animantia, uti constat e sacra Exodi historia, ubi id narratur hisce verbis (8): *Ecce manus mea* (idest, Dei) *erit super agros tuos* (nempe Pharahonis), *& super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves pestis valde gravis... Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.*

Responsionem præbet hebræum exemplar, ex quo apparet non omnia Ægyptiorum animantia tabe periisse, sed ea tantum, quæ in agris dispersa erant: in dicto enim loco hæc verba habentur: הנה יד יהוה הויה במקנך אשר בשדה; בסוסים, בחמרים, בגמלים, בבקר, ובצאן דבר כבד מאד; idest, *Ecce manus Domini est in grege tuo, qui* (est) *in agro; in equis, in asinis, in camelis, in bove, & in ove pestis gravis valde*. Et sane tum ex commate nono ejusdem capitis, unde hæc verba prolata sunt, tum ex quinto undecimi capitis plurima in Ægypto superfuisse animantia, apparet evidenter. Facile denique potuit Pharaho ex finitimis regionibus equos sibi comparare; præsertim si verum sit quod opinatur Marshamus (9), terram illam Mizraimi, in qua periisse animantia testatur Moses, non totam Ægyptum fuisse, sed partem ejus inferiorem.

(פרעה *Pharhóh*, idest, *Pharahonis*.) Pharahonis nomen per plura secula (10) non proprium, sed commune Ægyptiorum Regum fuit, qui postmo-

(1) Vide libr. III. Reg. cap. X. vers. 28. (2) Vide Exod. cap. XIV. vers. 7.
(3) lib. Judith. cap. IX. vers. 6. (4) in cap. XIV. Exodi ad vers. 7.
(5) cap. XLI vers. 43. (6) cap. XLVI vers. 29. (7) cap. L. vers. 9.
(8) cap. IX. vers. 3, & 6. (9) in Canone chronico, &c. pag. 91.
(10) Vide Calmeti *Dictionarium Sacr. Script.* ad vocem *Pharaho*.

modum recentioribus seculis, post Alexandrum Magnum scilicet, *Ptolemæi* vocati sunt, idest, ut e græca voce πτολεμίζω interpretari licet, *bellicosi*, & quasi Alexandri Magni æmulatores. Ejus porro Ægyptiorum regum tituli, quo vetustissimis temporibus Pharahones dicti sunt, alii hebræam, ægyptiam alii afferunt originem, ac significationem. Marinus noster (1) ex radice hebræa פרע, quæ *ulciscendi* significationem aliquando habet, Pharahonis nomen deduci posse existimat: ut scilicet sicuti פרעות designat *ultiones*, ita *Pharaho* idem sit atque *ultor*: regum enim est injurias populi ulcisci. Ex eadem radice eamdem vocem derivat Athanasius Kircherus (2); at eam ita explicat, ut non ultorem, sed *legibus solutum* designet. Josephus contra (3) Ægyptiacam esse, ac *regem* significare testatur: cujus significationis vestigium in sermone Arabico reperitur; Arabice enim פרע idem est, ac *summum gradum tenuit*, ut testantur viri ejus linguæ periti. Omitto autem quod ait Samuel Bochartus (4) ex Arabe Lexicographo, vocem istam *crocodilum* significare: nec enim id ad rem nostram videtur facere.

Iam vero quoniam Pharahonis nomen Regum Ægyptiorum commune diximus, illud adhuc definiendum restaret, quinam ex hisce regibus fuerit iste Pharaho, de quo loquitur Moses hoc in loco. Sed nimis incerta res ista est, cujus etiam inquisitio ab instituto nostro nos abduceret: itaque quid alii senserint, indicare contenti erimus. Philastrius Brixianus (5): *Thamus* (inquit) *Pharao ille dicebatur Rex Ægyptiorum, qui sub B. Moyse Ægyptiis præsidebat.* Artapanus apud Clementem Alexandrinum (6) tradidit Pharahonem hunc fuisse Nechephrem, Eusebius in Chronico Acherrem, Apion Grammaticus apud Josephum (7), & Tacitus (8) Bocchorim, Georgius Syncellus Misphragmuthosem, ac Samuel Scheurerus (9) Cenchrem. Horum omnium, aliorumque etiam nonnullorum opiniones rejicit Johannes Marshamus (10), qui Israelitas ex Ægypto egressos putat anno Periodi Julianæ 3227, Thebanorum rege Stameneme, inferioris autem Ægypti, quæ Israelitarum sedes erat, dum in Ægypto morarentur, rege Apophe, qui inter Tanitarum reges, quos *pastores*, aut *bycsos* vocabant, quartus fuit.

Sed quisquis tandem fuerit iste Pharaho, eum quoque cum suis in mari Erythræo periisse, constat satis luculente tum ex aliis divinorum librorum locis, tum vero maxime ex commate ultimo hujus cantici, atque e psalmo centesimo quinto & tricesimo. Falsum itaque est, quod Manethon ait (11), post expulsionem Hebræorum ex Ægypto, Regem, qui eos expulit, regnasse annos quinque & viginti, ac menses quatuor.

(וחילו *vehelò*, idest, *& exercitum ejus*.) Vox חיל *robur* significat, tum exercitum, divitias, fortunasque. Hic autem pro Pharahonis exercitu videtur usurpari, de quo vide, si libet, caput Exodi quartum & decimum.

(ירה בים *jaràh bajjàm*, idest, *projecit in mare*.) Poetica est locutio, de qua vide quæ dixi supra ad primum cantici comma. Idem enim est רמה בים, & ירה בים.

(ומבחר שלשיו *umivhàr shalishàv*, idest, *& delectus ducum ejus*.) Nimirum optimi quique duces: hebraice enim מבחר dicitur delectus, seu pars potior lectiorque cujusvis rerum generis; id quod nullam habere potest dubitationem: at non æque constat, quid hic significet vox altera שליש, quamvis appareat eam de-

(1) in Thesauro L. S. ad vocem פרעה. (2) Ægypt. Oedip. lib. 1. cap. 76.
(3) lib. VIII. antiq. cap. 2. (4) Hierozoic. part. 2. lib. 5. cap. 18. (5) hæres. 23.
(6) lib. 1. Strom. pag. 40. (7) lib. 2. contra ipsum pag. 1061. (8) hist. lib. 5.
(9) in dissert. de nomine Mosis, quæ exstat in Thesauro novo Theologico Philologico.
(10) in Canone Chronico, &c. (11) ap. Josephum lib. 1. contr. Apionem.

derivari ex שלש, quod est *tres*. Mensuræ cujusdam genus fuisse constat, quod hebraice vocabatur שליש, nomine!, ut videtur, ex eo ducto, quod certæ alterius mensuræ aut tripla esset, aut triens: sed hanc mitto ejus vocis significationem; nec enim isto modo accipitur hoc in loco, sed longe alio, ita nimirum ut eum designet, qui certo quodam munere aut dignitate in bello fungebatur: qua ratione acceptam dictionem lxx Interpretes vertunt τριστάτην, Vulgatus alias *principem*, alias *ducem*, Onkelosus *dynastam*, Marinus noster *triarium*, Steuchus item noster *ternos*, alii paulo aliter. Cujus enim modi peculiare istud esset muneris bellici, aut dignitatis genus, quo qui fungebatur, is diceretur שליש, non consentiunt divinorum librorum interpretes. Origenes (1) ait τριστάτας fuisse τοὺς πρὸς τρεῖς δυναμένους μάχεσθαι, ἢ τοὺς ἐν τῇ παρατάξει μετὰ τὸν πρωτοστάτην καὶ τὸν δευτεροστάτην ἱσταμένους ἐν τῇ τρίτῃ τάξει. Α῎λλοι δέ φασιν, ὡς εἰς τὰς χεῖρας τῶν πολεμίων ἅρματα ἐποιουν μεγάλα, ὥστε καὶ τρεῖς χωρεῖν, ἵνα ὁ μὲν εἷς ἡνιοχεῖ, οἱ δὲ δύο πολεμοῦσιν. ἢ τοὺς ἐπὶ τριῶν ἵππων βεβηκότας. οἱ γὰρ παλαιοὶ ἐν τοῖς πολέμοις ἐπὶ δύο ἢ τριῶν ἵππων ἐποχοῦντω ἐξιόντες ἁρματηλάται. ἢ τριστάτην λέγει τὸν ἐν τῷ καθέζεσθαι τὸν βασιλέα, τρίτον ἱστάμενον, ἤτοι τρίτην ἔχοντα καθέδραν. οἷος ἦν ὁ Δαυὶδ παρὰ Σαοὺλ, ὡς ἐν τῇ πρώτῃ τῶν βασιλειῶν εὑρήσεις; idest, *qui contra tres pugnare poterant; vel qui in acie post antesignanum, ac secundum ab eo, tertio ordine stabant. Alii ita exponunt, contra hostiles manus magnos adornatos esse currus, qui tres homines caperent, quorum unus aurigæ officio fungeretur, duo vero alii certarent. Aut eos, qui super tres equos ascenderent; antiqui enim in bellis binis aut ternis equis utebantur, quum aurigantes exirent. Vel* τριστάτην *vocat, qui sedente rege tertius staret, aut tertiam haberet sedem, cujusmodi erat David apud Saul, ut in primo Regnorum invenies*. Ita Origenes. Hugo vero Grotius eos hoc nomine intelligi ait, qui a Romanæ historiæ posterioris ævi scriptoribus vocantur *protectores*, id quod probat collatis inter se duobus libri quarti Regum locis, nimirum cap. VII vers. 2, & cap. IX vers. 25. Sunt etiam qui putent, שלשים ipsissimos esse triarios Romanorum veteranos milites, qui retro post duos primos ordines dispositi nunquam manus conferebant, nisi præcedentes ordines hostilem impetum sustinere non valuissent. Calmetus denique, multo verisimilius (inquit) credimus, hebræum שלשים nomen esse apud Ægyptios cujusdam muneris & dignitatis, cujus deinde usus mansit apud Hebræos, & Chaldæos. Meminit illius historia Davidis & Salomonis (2), & legitur in Ezechiele (3), ubi de Chaldæis agitur; ac pariter in Daniele (4) sub Balthasare Babyloniorum rege, & Dario Medo. Erant, mea quidem sententia, supremi tres totius regni magistratus, quibus alii minores suberant, eodem nomine שלשים, sed non eadem dignitate. Ex libris Regum intelligimus, שלשים, vel supremos sub Davide magistratus, fuisse Hadino, Eleazarum, & Semmam; sub quibus alii minores שלישים, quorum quidem septem & triginta numerat Scriptura (5), sed multo plures exhibet primus Paralipomenon (6). Inter tres illos in imperio Chaldæorum, & sub Balthasare electus fuit Daniel, cui idem honor mansit etiam sub Dario Medo. In imperiis Chaldæo-

(1) in selectis in Exodum, tom. 2. edit. PP. S. Mauri, pag. 124.
(2) lib. 2. Reg. XXIII. 8. (3) cap. XXXIII. vers. 15. (4) cap. V. vers. 7, & cap. VI. vers. 2.
(5) in lib. 2. Reg. cap. 33. (6) cap. XI. vers. 10.

dæorum, & Persarum tres hi magistratus satrapis, seu provinciarum præsidibus imperabant. Pharahonis igitur שלישיו duces erant fortasse copiarum Ægypti, primique ejus regni magistratus.

(טבעו *tubbebú*, idest, *infixi sunt.*) טבעו usurpat Moses, non טבע, quamvis præcedat numeri singularis nomen מבחר; similique modo & Latini dicunt *pars fugiunt* pro *pars fugit*. Quid autem significet verbum טֻבַּע quod hoc duntaxat in loco, nec usquam alibi occurrit, definiendum est ex significatione affinis verbi טָבַע, quod sexies (1) in sacris veteris testamenti libris reperitur. Oleaster versiculum istum explanans monet verbi טָבַע duplicem esse acceptionem; ut nimirum aliquando idem sit ac *mersit*, aliquando vero idem ac *fixit*. At si accurate sex illa loca expendantur, in quibus occurrit verbum illud טָבַע, patebit ipsum nusquam activum, sed ubique neutram habere significationem: ita nimirum ut nusquam valeat *immersit*, aut *infixit*, sed ubique *infixus fuit*, aut, si mavis, *immersus fuit*: quanquam rectius verti arbitror *infixus fuit*; usurpatur enim hoc verbum a sacris Scriptoribus, quum sermo est de lapide, & fronte; de foribus, & solo; de hominibus, & luto: lapis autem in fronte, fores in solo, homo in luto rectius infigi dicuntur, quam immergi. Jam vero טֻבַּע idem valet atque טָבַע, sed majorem tamen illud præ isto vim habet, atque emphasim: ut nimirum טֻבְּעוּ idem veluti sit atque *infixi descenderunt*, &, quasi vi quadam eos continue agente, ac deorsum urgente, magis magisque infixi sunt.

(בים סוף *bejám suph*, idest, *in mari junci.*) Erythræum mare Hebræi vocant ים סוף, id quod nonnulli (2) ita interpretati sunt, ut *mare termini* significet (terminus enim hebraice dicitur סוף): quasi scilicet rubrum mare terrarum orbem terminet, & sit ipse Oceanus. Sed merito hæc explicatio a plerisque omnibus rejicitur, tum quia sinus arabicus non est Oceanus, ut notum est; tum etiam quia terminus hebraice non סוּף, sed סוֹף vocatur; סוּף enim *scirpum*, aut *algam* designat. Itaque ים סוף idem est ac *mare scirpis abundans*, seu *mare algosum*: ita autem vocatur ab Hebræis mare rubrum, quod alga in fundo refertum sit, ut testatur Diodorus Siculus in libro tertio Bibliothecæ de Ichthyophagis Ægyptiis ad mare Erythræum habitantibus sermonem habens. Τῇ χρόᾳ (inquit) παντελῶς ὑπάρχει χλωρά. Τοῦτο δὲ αὐτῇ φασὶ συμβαίνειν, οὐ διὰ τὸ τὴν τῶν ὑγρῶν φύσιν εἶναι τοιαύτην, ἀλλὰ διὰ τὸ πλῆθος τοῦ φαινομένου καθ' ὕδατος μνίου καὶ φύκους; idest, *Colore prorsus viride est. Hoc autem ei ajunt contingere, non quod ea sit aquarum natura, sed propter copiam musci, & algæ per aquam transparentis.* Quin immo tantam illud mare algæ & musci copiam in litus evomit, ut in cumulis inde effectis, ac sole duratis Troglodytæ cavernas excavent, in quibus degant, ut Diodorus ibidem refert. Quapropter merito ab Hebræis Erythræum mare, *algosum* dictum est.

Vers. 5. (תהמות יכסימו *tebomóth jechasjúmu*, idest, *abyssi operient eos*, seu potius, *operuerunt eos.*) Hæc verba lxx Interpretes sic verterunt: πόντῳ ἐκάλυψεν αὐτοὺς, idest, *abyssis*, sive, ut eorum vocabulo utar, *ponto operuit eos*. Itaque conjicere licet ipsos legisse תְּהֹמוֹת יְכַסְּמוֹ. At nunc in hebræo exemplari legimus יכסימו, idest, *operuerunt eos*; est enim futurum pro præterito, cujusmodi plura reperies infra, & passim alibi. Anomala plane est dictio ista יכסימו, quum non desinat in ־ם, sed contra perpetuam consuetudinem in מו, id quod rythmi, sive ὁμοιοτελευτῆς cau-

(1) 1. Sam. xvii. 49; Thren. ii. 9; Psalm. lxix. 15, & 3; Jerem. xxxviii. 6; & psalm. ix. 16. (2) Vide Steuchum ad hunc locum.

causa factum putat Clericus (1). תהום vero, ut aliquid etiam de hac voce dicam, est immensa aquarum altissimarum vis, ac vorago; quam græco nomine *abyssum* vocamus, idest *carentem fundo*; fundus enim Jonice βυσσὸς dicitur.

(ירדו במצולות כמו אבן *jaredú bbimzulóth kémo-ábben*, idest, *descenderunt in fundum tamquam lapis*.) Ægyptii quamvis natandi artem pulcherrime callerent, fundum tamen omnes ad unum petierunt instar lapidis, qui utpote multo gravior aqua, magna velocitate in eadem descendit. Similem comparationem, ac loquendi formulam adhibuit etiam Nehemias (2) de hac Ægyptiorum submersione loquens. Vocem porro מצולות plerique vertunt *profunda*, Oleaster autem *obscura*, sive *umbrosa*; illam enim derivat ex radice צול, sive צלל, unde & צל *umbra* dicitur: immo & græce aqua æstuans, atque agitata vocatur ζαλὸς, quod tunc opaca sit, non pellucida. Neutram equidem explicationem respuo: attamen sunt quædam in veteri testamento loca (3), in quibus, si accurate examinentur, videtur ea vox *fundum* potius, quam *profunditatem* voraginis significare.

Vers. 6. (ימינך יהוה נאדרי בכח, ימינך יהוה הרעץ אויב *jeminechà Jehováh needdarì baccóah, jeminechà Jehováh tirbáz ojèbh*.) Tribus modis comma istud ad verbum verti potest, nimirum, *Dextera tua Domine fortissime in vi, dextera tua Domine attrivit hostem*. Vel, *Dextera tua Domine est præpotens; in vi dextræ tuæ fregisti hostem*. Vel demum, *Dextera tua Domine præpotens est in vi; dextra tua Domine attrivit hostem*. Porro quamvis in Exodo (4) extenta Mosis manu aquæ in Ægyptios irruisse dicantur; id tamen vi non sua, sed rerum omnium præpotentis Dei se præstitisse fatetur sæpius Moses, ut hoc in loco, ubi divinæ dextræ nomine potentia Dei significatur, vel, ut explicant Ambrosius (5), & Basilius (6), Filius ipse æterni Patris. Vox hebræa נאדר, sive, addita redundante litera *jod*, נאדרי, bis in hoc cantico legitur, nec usquam alibi. Vulgatus interpres eam vertit *magnificata est*, Oleaster *roborata est*, Marinus *præpotens*, alii paulo aliter. Videtur autem נאדר idem ferme esse, atque אדיר, quæ vox magnum quidvis in suo genere significat: indeque fortasse derivata est græca vox ἁδρὸς, idest, *dives*. Vocem vero תרעץ alii reddunt *percussit*, alii *attrivit*, alii *fregit*: radix enim רעץ quum bis tantum occurrat in Scriptura, non omnino certam habet significationem.

Vers. 7. (וברב גאונך תהרוס קמיך *ubbrôbh gheonechà tabarós kaméchà*, idest, *Et in multitudine majestatis tuæ*, nimirum maxima tua majestate, *profligasti*, ac perdidisti *qui insurrexerant in te*.) Vox hebræa גאון superbiam primum, deinde celsitatem, sublimitatem, majestatemque significat: derivatur enim ex radice גאה, de qua vide, si libet, quæ superius dixi (7). Verbum vero הרס; si propriam ejus significationem spectemus, idem sonat ac *destruxit*, *demolitus est*, ejusque antitheton est בנה, idest, *ædificavit*: & fortasse ex illa voce Mars a græcis vocatus est Ἄρης, quasi *destructor*, ac *demolitor*.

His præmissis, apparet, quæ sit germana propositi hemistichii verbis subjecta sententia. Nimirum Deus magna illa majestate suà, qua superbos arrogantesque homines atterit, Pharahonem Ægyptiosque profligavit, quos merito

c Mo-

(1) Vide notulas Clerici in hoc canticum metrice ab ipso descriptum post comment. cap. xv. Exodi. (2) cap. ix. vers. 11. (3) Vide psalm. lxviii. vers. 23; psalm. lxix. vers. 3; Zachar. cap. x. vers. 11; itemque cap. 1. vers. 8. (4) cap. xiv. vers. 27.
(5) lib. 3. de Spir. Sanct. cap. 2, & 4. (6) in caput 8. Isaiæ.
(7) ad vers. 1. hujus cantici, pag. 4, & 5.

Moses appellat *insurgentes contra Deum*: qui enim dicto audientes Deo esse renuunt, quive justos homines, vel quibus favet Deus, insectari audent, ut Pharaho, Ægyptiique, ii hostes Dei judicandi sunt. Ideo autem, ut monet Calmetus, magna majestate Ægyptios perdidisse dicitur Deus, quod interjecta inter illos, atque Israelitas nube, Ægyptios ipsos fulguribus, tonitribusque perterrefecerit: majestas enim, & gloria Dei vocantur ea phœnomena, quibus homines terrentur: hinc fit ut *gloria Domini* dicatur conspecta in monte Sinai, quum reboarunt tonitrua, & ignis, ac fulgura coruscarunt.

(תשלח חרונך, יאכלמו כקש *tesballáh baronecbá, jocbelémo cakkásh*; idest, *misisti furorem tuum, devoravit eos ut stipulam*). Poetica, & valde elegans loquendi formula, sed multo elegantior hebraice, quam latine, ut plerumque fit; habent enim ut plurimum hebræa verba vim certam quamdam, quam, si ad verbum transferantur, amittunt: ex quo fit, ut sacros libros latine dum legimus, quædam nobis absona videantur, quæ tamen in hebræo exemplari sunt elegantissima: id quod innumeris exemplis perspicuum facere possem, si opus esset, aut nisi id vel ex hoc uno cantico, atque adeo ex hoc ipso loco constaret. Quid enim ineptius videtur latine dici posse, quam *furorem Dei mitti, ac devorare hostes ut stipulam*? Hoc ipsum tamen hebraice prolatum est per quam elegans. Vox enim חרון non modo iram ac furorem, sed etiam excandescentiæ ardorem æstumque significat, a quo Ægyptios tamquam ab igne consumptos indicat Moses, qui incredibilem locutioni suæ vim addit, dum subdit, consumptos fuisse כקש, idest, *ut stipulam*: hoc enim uno verbulo Ægyptios facillime, quam ocyssime, & omnino omnes ita consumptos indicat, ut pene in nihilum redacti sint. Verbum vero שִׁלַּח, quo Moses utitur, plus aliquid significat, quam שָׁלַח, quod est *misit*: ut proinde ejus futurum תְּשַׁלַּח loco præteriti positum idem valere videatur, atque *continuo*, seu *celerrime misisti*, iram tuam scilicer, eamque, velut torrentem aggeribus diu retentum, ac refrænatum, subito dimisisti.

Illud hic animadvertere supervacaneum est, poeticas translatasque esse has, aliasque alibi passim in Scriptura locutiones: nec enim Deus aut irasci, aut dolere, aut pœnitentia affici, aut aliis hujusmodi perturbationibus, quæ humanæ sunt, obnoxius esse potest. His tamen phrasibus sacri Scriptores utuntur sæpe, ut quæ scribunt, vividius exprimant, clariusque a nobis intelligantur, dum humanis moribus se se accommodantes humanum loquuntur in modum. *Quomodo sumendus sit*, ait D. Hieronymus (1), *furor*, & *indignatio*, & *zelus Dei, sæpe exposuimus, quod humanis Deus loquatur affectibus, non quod ipse irascatur, sed quod nos per pœnas atque cruciatus Deum sentiamus iratum*.

Vers. 8. (וברוח אפיך נערמו מים *ubbrúah appécha nebérmu máim*; idest, *Et in spiritu narium tuarum coacervatæ sunt aquæ*.) Lxx Interpretes sic reddunt: καὶ διὰ πνεύματος τοῦ θυμοῦ σου διέστη τὸ ὕδωρ, idest, & *per spiritum iræ tuæ divisa est aqua*. Ut autem germanam hebræi exemplaris sententiam assequamur, expendere opus est binas voces רוח, & נערמו, quas alii aliter vertunt hoc in loco. רוח ergo apud Hebræos vox est æquivoca: uti enim apud græcos πνεῦμα, & apud latinos *spiritus*, immo & *anima*, sic apud Hebræos רוח tum substantiam incorpoream spiritalemque

(1) in comment. cap. v. Ezech. ad vers. 13. Consule Petavium lib. 3. Theologic. dogm. cap. 2.

que significat, tum ventum. Hic pro spiritu, sive halitu, quem naribus inspiramus, exspiramusque, usurpari videtur per translationem sane elegantissimam: quasi sola exspiratione, seu solo halitu per nares emisso, maris undas Deus coacervarit: qua loquendi formula & ventus, quo coacervatæ sunt aquæ (1), eleganter indicatur, & rei facilitas describitur, & Dei Altissimi in Pharahonem, Ægyptiosque irati furor declaratur. Nam & in Deuteronomio (2), & in libro tum Jobi (3), tum Regum altero (4) *Spiritus narium Dei* ipsius Dei furorem designat: quæ metaphora ex eo ducta est, quod irati densiorem spiritum efflemus e naribus: immo apud Hebræos *nasus* passim pro *ira* usurpatur, quod nimirum iræ index sit.

Hactenus in literali, ut vocant, sensu translatæ hujus locutionis immoratus sum. Ceterum sub hujus metaphoræ veluti cortice sublimiorem quemdam sensum agnoscunt gravissimi Ecclesiæ Patres, Augustinus (5), Ambrosius (6), & Basilius (7), qui Spiritum Sanctum in isto commate, item ut in decimo, designari docent. Spiritus enim Sanctus non solum ad beneficia nobis conferenda, sed & ad puniendos, perdendosque fontes ac scelestos homines mittitur.

Quod demum spectat ad vocem נערמו, quæ nusquam occurrit alibi, ejus significationem alii derivant ex verbo ערם, alii ex nomine ערמה. Oleaster deducens ipsam ex ערם sic eamdem vertit, *involutæ sunt* (aquæ scilicet): ait enim ערם proprie idem esse atque *involvit*; id quod non video, qua ratione confirmari queat: in Scriptura enim ubique significat *astutus fuit* (8). Rectius ergo vocis נערמו significatio ex nomine ערמה, quod est *acervus*, deducitur: ut scilicet idem valeat atque *coacervatæ sunt*: quo modo interpretati sunt Aquila quoque, Symmachus, & Theodotio, qui verterunt ἐσωρεύθη. Sunt etiam qui utramque significationem ערם, & ערמה simul jungentes vertunt *concinne coagmentatæ sunt* (9): qua ratione si interpretemur, radici hebraicæ simile verbum ἁρμόζω, idest, *apte connecto*, in græco sermone habebimus, quod & ex ea ductum videri poterit.

(נצבו כמו נד נזלים *nizzebbú chèmo ned nozelim*; idest, *steterunt, acervi instar, fluentes*; aquæ scilicet.) Lxx Interpretes sic reddunt: ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα, idest, *congelatæ sunt sicut murus aquæ*. Syriacus vero interpres: *constiterunt quasi in utribus*. Videtur autem legisse נאר, idest, *uter*, pro נד, idest, *acervus*. Oleaster denique sic verti posse censet: *steterunt sicut commotio fluenta*; idest, commota sunt. Nimirum vocem נד derivat ipse ex radice נוד, idest, *commoveri*. Sed hæc Oleastri interpretatio videtur inconcinna. Nihil autem aliud hebraica verba significare arbitror, quam transeuntibus per rubrum mare Israelitis aquas ceteroquin natura fluxas acervi instar constitisse.

(קפאו תהמות בלב ים *kapheú tehomóth belébb jam*; idest, *concreverunt abyssi in corde maris*, sive in medio mari.) Condensationem, ac veluti coagulationem aquarum indicari verbo illo קפאו, seu radice קפא, patet tum ex his verbis libri Jobi (10), וכגבנה תקפיאני, idest, *& sicut caseum me coagulabis*; tum ex aliis Sophoniæ (11), האנשים הקפאים על שמריהם, idest, *homines coagulati in fæcibus suis*. Hæc tamen Mosis verba nonnulli non de aquis, quæ coagulatæ sint, sed de maris fundo, qui subito duratus sit, &

c 2 com-

(1) cap. xiv. Exodi, vers. 21. (2) cap. xxxx. vers. 10. (3) cap. iv. vers. 9.
(4) cap. xxii. vers. 6. Vide & psalm. xvii. vers. 16. (5) quæst. 55. in Exodum.
(6) lib. 3. de Spir. Sanct. cap. 2, & 4. (7) in caput 8. Isaiæ.
(8) Vide Marini Thesaurum ad radicem ערם. (9) Chaldæus interpres vertit חכימו, idest *sapienter congregatæ sunt*. (10) cap. x. vers. 10. (11) cap. 1. vers. 12.

commodum Iſraelitis tranſitum præbuerit, intelligunt: teſtatur enim libri Sapientiæ auctor (1), *ex aqua, quæ ante erat, terram aridam apparuiſſe.*

Verſ. *9.* (אמר אויב *amár ojébh*, ideſt, *dixit hoſtis.*) Conciſo quodam, & eleganti dicendi genere, quæ moliebantur in fugientes Iſraelitas Ægyptii, quæque animo ac mente volutabant, agitabantque, egregie deſcribit Moſes in hoc verſiculo. *Hoſtem* autem quum dicit, Pharahonem, Ægyptioſque intelligit: ſimilique modo Virgilius loquitur (2), quum ait, *Hoſtis habet muros.* Verbum vero אמר idem valet, ac latine *dixit*; quem ſignificationis modum in veteri teſtamento fere habet: quocirca probare non poſſum quod Samuel Bohlius (3) ait, אמר *formaliter*, ut ipſe loqui amat, idem eſſe atque *intendit*; *materialiter* vero idem ac *dixit*.

(ארדף, אשיג *erdóph, aſshigh*; ideſt, *inſequar, aſſequar.*) Pharaho quum Iſraelitas abire permiſiſſet, mutato poſtmodum conſilio fugientes inſequi conſtituit; nec dubitavit, quin eos aſſecuturus eſſet, atque interfecturus, ſi ipſis a tergo inſtaret validiſſimo cum exercitu: putabat enim omnem illis interclusum iri exitum, atque evaſionis ſpem (4), propterea quod a fronte rubrum mare haberent, a lateribus autem rupes celſiſſimas, atque impervias, ut alias monui (5).

(אחלק שלל *ahallék shalál*; ideſt, *partiar prædam.*) Maximam ſibi prædam Ægyptii pollicebantur; ſecum enim aſportaverant Hebræi tum greges omnes ſuos, ut *non remanſerit ex eis ungula* in Ægypto (6), tum innumera arma (7), tum vaſa aurea, atque argentea, quæ ipſis Ægyptii commodarant, tum etiam alia plurima.

(תמלאמו נפשי *timlaémo naphshi*; ideſt, *explebitur illis animus meus.*) Affixum pronomen מו, ideſt, *illis*, num ad Hebræos referendum ſit, an ad ſpolia, quæ ex illis ſe capturos eſſe confidebant Ægyptii, dubitare quis poteſt. Si enim ad Hebræos referatur, duriuſcula videri poterit ea loquendi formula, *explebitur Hebræis animus meus*; ſin autem ad ſpolia, pronomen illud מו, utpote plurale, numero diſcordabit a ſuperiori nomine שלל, quod eſt ſingulare. Equidem tamen ad hoc nomen referre malim; nam quamvis שלל, ideſt, *præda*, nomen ſingulare ſit, quia tamen eſt collectivum, cum pronomine, aut verbo plurali conjungi poteſt (8).

Vox autem נפשי ita exponi poteſt, ut idem valeat, atque *ego*: quo modo accipitur etiam in illo Numerorum (9), *Moriatur anima mea morte juſtorum*; ideſt, moriar ego. Quin alibi quoque reperiuntur hujuſmodi locutiones, veluti apud Jeremiam (10): *Juravit Dominus exercituum per animam ſuam* (בנפשו); ideſt, per ſe ipſum. Et apud Jeſaiam (11): *Anima eorum* (נפשם) *in captivitatem ibit.* Et alibi (12): *Dilatavit infernus animam ſuam*; ideſt ſe ipſum. Similia apud profanos Scriptores quoque interdum reperies, apud quos vox etiam *cor* ſimili modo accipitur, veluti in illo Ennii de Hannibale: *Quem credidit eſſe meum cor*; ideſt, *Quem ego eſſe credidi.*

(אריק חרבי *arik harbi*, ideſt, *ſtringam enſem meum.*) Verbum הריק iſto in loco ſignificat *e vagina extraxit*; quamvis, ſi proprie ſumatur, ſonet *evacuavit*, ſignificatione nimirum deſumta ex radice ריק, ideſt, *inanis*: unde & du-

(1) cap. xix. verſ. 7. (2) lib. 2. Æneid. verſ. 290. (3) num. 36. diſſert. 7, quæ exſtat in tom. 1. Theſauri Theologico-Philologici. (4) cap. xiv. Exod. verſ. 3.
(5) pag. 3. (6) cap. x. Exod. verſ. 26. (7) cap. xii. Exod. verſ. 26.
(8) Vide quæ dixi ad verſ. 4. pag. 16. (9) cap. xxiii. verſ. 10.
(10) cap. li. verſ. 4. Vide & cap. vi. Amos. verſ. 8. (11) cap. xlvi. verſ. 2.
(12) cap. v. verſ. 14.

ducta est Syriaca vox *raca*, quæ est in Euangelio (1), *vacuum* cerebro designans.

(תורישמו ידי *torishémo jadì*, idest, *possidebit eos manus mea.*) Marinus noster (2) collatis inter se locis, in quibus occurrit verbum הוריש, pluribus illud modis verti posse statuit, nimirum *possedit*, *pauperem effecit*, *expulit*, *exterminavit*. Itaque immerito doctissimum Cajetanum carpunt nonnulli (3), quod תורישמו vertat *depauperabit eos*. Lxx Interpretes reddunt, κυριεύσει ἡ χείρ μου, idest, *dominabitur manus mea*. Vulgatus autem interpres vertit *interficiet eos*, quasi legerit תהרגמו pro תורישמו.

Vers. 10. (נשפת ברוחך כסמו ים *nasbáphta beruhachá*, *kissámo jam*; idest, *flavisti in spiritu tuo*, *texit eos mare*.) Lxx Intt. vertunt, ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου, idest, *misisti spiritum tuum*; ventum scilicet, quo aquæ in Ægyptios impulsæ sunt. Vide quæ dixi paulo ante ad vers. 8.

(צללו כעופרת במים אדירים *zalalú caophéreth bemáim addirim*, idest, *demersi sunt tamquam plumbum in aquis profundis.*) Verbum צללו proprie valet *obumbrati sunt*. Sed hic translatum est, & videtur significare *demersi sunt*, sive, *absorpti sunt*, ac veluti in inferiores *umbras* descenderunt. Oleaster ait verti etiam posse *profundi facti sunt*. Clericus autem reddit *fundum petierunt*. Vide quæ dixi supra (4) de voce מצולה, itidemque (5) de voce אדיר.

Vers. 11. (מי כמכה באלים יהוה? *mi chamócha baelim Jehováh*, idest, *quis ex Diis sicut tu o Jehovah?*) Dictionem אלים alii hic malunt interpretari *fortes*, ut Vulgatus, alii *Deos*, ut lxx Interpretes, nonnulli vero etiam *Angelos* (6). His tamen quæ proxime sequuntur, magis consentanea eorum videtur interpretatio, qui *Deos* hic designari putant, eos nimirum, qui a stultis ac superstitiosis hominibus vocantur Dii, nec tamen sunt. Horum ergo quemquam negat Moses cum Jehova conferri posse, qui & summopere sanctus, & cum terrore laudandus, & mirabilium prodigiorum effector est.

E primis superiorum quatuor hebræarum dictionum literis quatuor, composito uno vocabulo, ortum ajunt nonnulli *Machabæi* cognomentum, quod Mattathiæ filius Judas peculiariter habuit, quamvis alios quoque ex illius familia viros ac nepotes, quos חשמנים, sive *Hasmonæos* Judæi vocant, Machabæos dicere soleant Scriptores nostri. Qui hanc tradunt ejus cognomenti originem, narrant Judam adversus Antiochum præliaturum singulis militarium ordinum vexillis tamquam certæ victoriæ omen, & spei, quam in Deo sitam habebat, argumentum, inscribi jussisse quatuor verborum מי כמכה באלים יהוה quatuor initiales literas מ כ ב י; quum vero milites, ac vulgus e quatuor hisce literis unum conflassent vocabulum *Machabi*, inde factum esse, ut ejus tesseræ auctor Judas dictus fuerit *Machabæus*. Ita rem evenisse referunt Isaacus ben Hole (7), Sixtus Senensis (8), Reuchlinus (9), Mercerus (10), & Genebrardus (11): A quibus tamen dissentit Josippus Gorionis filius (12), qui Judam ob fortitudinem suam dictum putat *Machabæum*: quasi scilicet, ut ego interpretor, *Machabæus* idem sit atque מכבה (*mechabbéh*), idest, *exstinctor*, sive *deletor*: cujusmodi profecto fuit Judas, qui

(1) Matth. cap. v. vers. 22. (2) in Thesauro. (3) vide Cornel. a Lap. ad hunc locum. (4) ad vers. 5. pag. 17. (5) ad vers. 6. pag. 17. (6) Vide quæ dixi ad vers. 2. pag. 6. de voce אל. (7) in commentar. Vide & Chron. Carion. lib. 2. (8) lib. 2. Biblioth. sanct. pag. 23. edit. colon. (9) lib. 3. Cabalæ. (10) in abbreviaturis Hebraicis. (11) lib. 2. Chronol. (12) lib. 3. cap. 9. יהודה בנו הנקרא מכבי על שם גבורתו; idest, *Judas filius ejus* (Mattathiæ scilicet) *vocatus est Machabæus ob fortitudinem suam*.

qui hostes suos plane *delevit*, profligavitque (1).

(?מי כמכה נאדר בקדש *mi chamócha needdár bakkódesh*; idest, *Quis, sicut tu, eximius sanctitate?*) De voce נאדר dixi alibi (2). Lxx Interpretes hæc verba ita reddiderunt: *τίς ὅμοιός σοι δεδοξάσμενος ἐν ἁγίοις*. Accuratius autem Vulgatus interpres vertit, *magnificus in sanctitate*: id enim fere denotant hebræa verba Mosis, qui eximiam Dei sanctitatem falsorum Deorum improbitati, ac flagitiis opponit, quasi diceret: quis e Gentium Diis tibi conferendus est Jehovah, qui summæ potentiæ parem habes sanctitatem, qui sive benefacias, sive ulciscaris, nullam prorsus labem contrahis?

(נורא תהלות *norá thehillóth*; idest, *terribilis laudum*, seu *terribilis laudibus*.) Oleaster sic putat verti posse: *timendus elevatione*, idest, *dum te elevas*. At equidem hoc interpretamentum probare nequeo; propterea quod constet vocem תהלות ubique pro *laudibus* usurpari. Steuchus vero noster eadem verba sic explicat, *Deus laudum*, idest, omni laude dignus; quasi scilicet vox נורא Deum hic significet. Hæc interpretatio rejici nequit ut minus probabilis: quum enim solus Deus reapse terribilis sit, ac formidandus, ut Christus ipse docet in Euangelio (3), rectissime proinde per antonomasiam נורא, seu *Terribilis* dici potest; præsertim quum David quoque (4) hoc ipsum Deo nomen tribuere videatur his verbis, קדוש ונורא שמו, idest, ut vertit Marinus, *Sanctus & Terribilis* est *nomen ejus*. Hinc fit, ut Isaaci Deus vocetur ejusdem terror in Genesi (5), ubi Jacobus sic loquens inducitur: לולי פחד יצחק היה לי; idest, *nisi Terror Isaaci* (nimirum Deus Isaaci) *affuisset mihi*. Clericus denique reddit, *illustris laudibus*; conjicit enim נורא positum esse pro נורה, atque a ראה, quod est *vidit*, non a ירא, quod est *timuit*, deducendum esse. At hanc Clerici conjecturam rejiciendam censeo: quamvis enim fatear, literas ה, & א facillime misceri, ut recte affirmat ipse, multis tamen rationibus moveor, ut putem hoc in loco literam א pro litera ה positam non esse, sive נורא positum non esse pro נורה. Primum enim vocem hanc נורה, quam cudit Clericus, non habet hebræa lingua, quum nusquam reperiatur in sacris libris. Deinde si grammaticam analogiam spectemus, qua nomina e verbis in hebræo sermone efformantur, apparet נורא deducendum esse ex ירא, sicut ex ישב deducitur נושב; neque ex ראה efformari posse נורה (*noráh*), sed formandum esse נראה (*niréh*), quæ vox sæpius habetur in veteri Testamento. Denique in locis aliis omnibus, in quibus reperitur vox ista נורא, *terribilem* semper ac *formidandum*, nunquam vero *illustrem* designat: quidni ergo hic quoque illam eamdem habeat significationem? Itaque communiorem interpretationem sequi satius est, qua נורא תהלות vertitur *terribilis laudibus*. *Terribilis* autem *laudibus* dicitur Deus, tum quia laudem meretur ex iis, quæ sunt terribilia, cujusmodi fuit submersio Ægyptiorum; tum etiam quia maximo cum timore, summaque reverentia laudandus est, nec ullus ex mortalibus satis commendare eum potest.

(עשה פלא *hoséh phéle*; idest, *faciens mirabile*, seu *mirabilia faciens*.) Oleaster vertit *faciens separata*; idest, ea, quæ gentium Dii facere nequeunt. Sed prior explicatio germanior videtur ac probabilior. Mirabilia porro Dei opera nusquam non videmus; adeo enim pulcrum, atque elegans est totum hoc mundi opificium, ut aperire oculos nequeamus, quin admiranda nobis se se of-

(13) Vide, si liber, Calmeti Dictionar. Sacr. Script. ad vocem *Macbakus*.
(2) ad vers. 6, pag. 17. (3) Luc. cap. XII. vers. 4, & 5. Vide etiam cap. VIII Jesaiæ vers. 12, & 13. (4) ps. CXI. vers. 9. (5) cap. XXXI. vers. 42, & 53.

offerant spectacula. Non hæc tamen solum respicit Moses hoc in loco, quæ mira sunt quidem, sed naturalia, atque, ut ait Augustinus (1), *assiduitate ipsa viluerunt*; verum ea potissimum intelligit, quæ præter usitatas naturæ leges, ac vires fiunt, quæque peculiariter *miracula* vocare consuevimus, cujusmodi plura patravit Deus ipse per Mosem & in Ægypto, & in mari Erythræo.

Vers. 12. (נטית ימינך *natitha jeminecbá*; idest, *extendisti dextram tuam.*) Translata, & elegans locutio, quæ brevissime indicat tum patientiam, qua Pharahonis superbiam tamdiu Deus toleravit, tum Dei ipsius indignationem in Ægyptios, tum summam ejus potentiam, miramque facilitatem, ac celeritatem, qua illos perdidit, tum denique eam manus Mosis extensionem, ob quam rubri maris undæ in Ægyptios irruerunt. Hæc autem singula duobus iis verbis contineri, nullo negotio fit manifestum. Quum enim divinam dextram, divinæ potentiæ symbolum, extensam ait Moses, id ipsum indicat eam hactenus Deum habuisse contractam: in quo ejus tolerantia elucet, atque clementia. Revera enim quum Pharaho jussa Dei sibi per Mosem, atque Aharonem imposita, intoleranda arrogantia contemnere ausus est, injuriam sibi illatam patienter tulit Deus, & quamvis Ægyptum pluribus modis, ærumnisque vexarit, Pharahoni tamen ipsi pepercit, ac plerisque Ægyptiis, quos ad unum omnes puncto temporis in nihilum redigere potuisset. At contractam diu dexteram Deus extendit tandem: hac autem dextræ extensione, divina indignatio, atque ultio significatur, ut ex pluribus Scripturæ locis liquet, veluti ex illo Jesaiæ (2). *Iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum.... in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.* Itemque ex illo Ezechielis (3): *Ecce ego extendam manum meam super te...& dabo te in animas odientium te.* Ac demum, ut alia hujusmodi loca (4) prætermittam, ex illo Sophoniæ (5): *Extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem, & disperdam de loco hoc reliquias Baal.* Porro extenta Divina dextra Ægyptios illico periisse, statim subjicit Moses: in quo mirifice emitet potentia Dei, qui tam facile Ægyptios sustulit, quam facile irati manus extendimus ad ultionem. Denique quum in Exodo (6) scriptum sit, extensa Mosis manu contra mare, fugientibus Ægyptiis aquas occurrisse, hanc quoque manus suæ extensionem spectasse videtur Moses hoc in loco, illudque indicare voluisse, divinæ dextræ, non suæ, Ægyptiorum submersionem tribui debere.

(תבלעמו ארץ *tibblahémo drez*; idest, *devoravit*, sive *absorbuit eos terra*; quasi bellua quædam scilicet, aut charybdis voracissima.) Hæc verba explicans Euthymius, Ægyptios aquis obrutos primum ac demersos in mari rubro, tum a marinis fluctibus jactatos, atque in litus projectos (7) facto tandem terræ hiatu absorptos putat. De prodigioso tamen hoc terræ hiatu nusquam alibi, quod sciam, certiores nos faciunt Scriptores Sacri, quibus sæpenumero de Ægyptiorum excidio commemorandi occasio oblata est, ac ne Moses quidem ipse in Exodo, ubi prodigia a Deo Israelitarum causa peracta accurate describit. Itaque ne hic quidem ejusmodi prodigium a Mose indicari crediderim, sed potius vivida quadam elegantique metaphora solam Ægyptiorum demersionem exprimi. Nimirum *terra* Ægyptios dicitur *absorbuisse*, vel quia va-

(1) in tract. 24. in Johannem, tom. 3. edit. PP. S. Mauri, parte 2, pag. 481.
(2) cap. v. vers. 24. (3) cap. xvi. vers. 27. (4) Cap. iii. Exod. vers. 20; & cap. vii. vers. 5; & cap. ix. vers. 15, &c. (5) cap. i. vers. 4. (6) cap. xiv. vers. 27. (7) Exod. cap. xiv. vers. 31.

vasto barathro, quo aquas marinas complectitur, eos excepit ac deglutivit; quasi scilicet pelagus sit telluris guttur, faucesque, a quibus absorpti Ægyptii fundum maris, seu terram, quæ est in fundo maris, instar lapidis, aut plumbi (1), petierunt: vel etiam quia perinde absorpti, ac de oculorum conspectu repente erepti sunt, quasi subito dehiscens terra viventes adhuc devorasset. Illud etiam huc accedit, quod etsi vox ארץ sæpissime, & plerumque pro *terra* usurpetur, paulo aliam tamen aliquando videtur habere significationem. Marinus noster sane existimat voce hac hebræa ארץ, itemque chaldæa ארעה, locum inferiorem proprie, seu partem infimam cujusque rei significari; quum vero terra ut corporum omnium infima vulgo haberi soleat, hinc factum esse, ut ipsa peculiariter ארץ dicta sit. Itaque illud Geneseos, בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ sic interpretatur: *Primum creavit Deus sphæram, & centrum*: quam interpretationem quibusdam rationibus confirmat, quas videre licet apud ipsum (2). David sane ventrem, qui pars est corporis inferior, appellat ארץ (3). Itaqne ne hic quidem ארץ terram proprie sumtam cogimur interpretari.

Hactenus Moses quæ contigerant Israelitis, Ægyptiisque in mari Erythræo, persecutus est, elegantissimeque exornavit. Nunc ea canere, vel potius prænunciare ingreditur, quæ nondum Israelitis tunc evenerant, quum istud canticum concinnatum ab ipso est, victorias scilicet, quas de Philistæis, Idumæis, Moabitis, & Chananæis populis relaturi erant, ac demum promissæ terræ acquisitionem. Quod autem Moses, quæ futura erant, divino afflatu prædicens, verbis uti pergat transactum tempus designantibus, id non modo vaticinationem non tollit, sed potius ejus certitudinem ostendit. Divini enim Prophetæ quæ eventura prænunciarunt, adeo certo futura prævidebant, ut ea tamquam præsentia, aut jam præterita sibi videre viderentur, unde & *Videntes* dicti sunt: eamque ob rem quum futura prænunciant, de illis perinde loquuntur ut plurimum, ac si præsentia, aut præterita jam essent. Illud vero etiam animadvertere oportet, in hebræo sermone præteritum, ac futurum tempus facillime misceri, atque alterum pro altero promiscue poni quam sæpissime: cujus rei nulla afferimus exempla, quod passim obvia sint in sacris voluminibus, atque adeo in hoc ipso cantico, quod modo explanamus.

Vers. 13. (נחית בחסדך עם זו גאלת, *nahita bbehasdecha ham zu, gadlta*; idest, *duxisti in benignitate tua populum hunc*, quem *redemisti*; quem scilicet e servitute eripuisti.) Lxx Intt. ita vertunt: *ὡδήγησας τῇ δικαιοσύνῃ τὸν λαόν σου τοῦτον*; idest, *deduxisti justitia tua populum tuum hunc*. Hos de more secutus Euthymius, summæ (inquit) justitiæ fuit populum ab Ægyptiis oppressum liberare, & gravissima patienti incommoda opem ferre, eumque eripere a tyrannide. Steuchus autem pro נחית legit חנית. Quod si ita legamus, proposita verba vertenda erunt in hunc modum: *Castrametatus es, benignitate tua populum hunc redemisti*. Deus porro Israelitis dux fuit, non modo dum mare rubrum transmitterent, sed etiam postea annos quadraginta continuos in Deserto: eamque ob rem arcam, in qua sedere, ac præsidere videretur, itidemque tabernaculum quasi imperatoris tentorium in medio exercitu collocandum fabricari jussit. Quanquam inter Scripturæ Interpretes quæstio est, num Deus ipse, an vero Angelus illius vices gerens Israelitis ducem se præbuerit.

(1) vide vers. 5, & 10. hujus cantici. (2) in Thesauro L. S. ad vocem ארץ.
(3) in psalm. cxxxix. vers. 15.

rit. Graviſſimi quidem Patres (1) Verbum Divinum aſpectabili indutum carne Hebræos duxiſſe docuerunt. Alii vero ſunt, qui Angelum Iſraelitis ducem fuiſſe contendunt; quam opinionem confirmant pluribus Scripturæ locis, veluti illo Exodi (2): *Mittam præcurſorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum*. Et illo Numerorum (3): *Miſeritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto*. Et illo Jeſaiæ (4): *Et angelus faciei ejus ſalvavit eos*. Sed de hac quæſtione vide Interpretes, qui eam fuſe tractant.

(נהלת בעזך *nehàltha bebozzechà*; ideſt, *deduxiſti in fortitudine tua*.) Quod in hebræo exemplare eſt נהלת, Samaritani legunt נחלת, ideſt, *poſſediſti*: lxx vero Intt. videntur legiſſe נחמת; reddunt enim παρεκάλεσας. Quod autem ſpectat ad vocem נהלת, quam habet hebræum exemplar, Symmachus, Onkeloſus, & Vulgatus interpres eam vertunt *portaſti*; Oleaſter *ſuſtentaſti*; Marinus *deduxiſti*. Quænam vero ex hiſce interpretationibus magis germana ſit, non auſim definire. Videtur tamen נהל idem ferme eſſe ac נחה, ideſt, *duxit*; at neſcio quid amplius ſignificare. Quod ſi inter ſe loca omnia conferantur (ſunt autem omnino novem), in quibus verbum iſtud נהל uſurpatur, apparebit ipſum *deducendi* ſignificationem alicubi poſtulare, nuſquam reſpuere.

(אל נוה קדשך *el nevèh kodshècha*; ideſt, *ad ſedem ſanctitatis tuæ*; ſive, *ad ſedem ſanctam tuam*.) De voce נוה dixi alias (5). Quænam autem ſit ſancta hæc Dei ſedes, ad quam deductum iri Hebræos prænunciat Moſes, certo ſtabiliri nequit, quum multa ſint loca, ad quæ recte poſſunt referri iſta verba. Ac primum quidem fieri poteſt, ut Horebum, aut Sinaim (6), ſacros ac celeberrimos Madianitidis regionis montes, a quibus non longe aberant Iſraelitæ poſt trajectum maris rubri, & apud quos poſtmodum quieverunt caſtris poſitis, ſpectarit hic Moſes: hos enim montes Deus peculiari ratione incolere credebatur: atque in Horebo quidem Moſi primum apparuerat e medio rubo, eumque Iſraelitas ex Ægypto educere juſſerat: qui mons proinde & *terra ſancta* dicitur in Exodo (7), & *mons Dei*. In Sinai autem crebro poſtmodum Moſi videndum ſe præbuit Deus, ibidemque leges Iſraelitis tulit (8). Præterea *ſedes Dei ſancta*, de qua hic loquitur divinus Vates, deſignare poteſt aut templum, quod Jeroſolymis exſtruendum erat, & *domus Dei* paſſim vocatur in ſacris libris; aut montem Sion, vel, ſi mavis, montem Moriam, ubi Deus propter templum inibi exſtructum *habitare* dictus eſt; aut tandem terram omnem Iſraelitis promiſſam a Deo, quæ tametſi graviſſimis tunc Chananæorum flagitiis polluta eſſet, *ſancta* tamen *Dei ſedes* per anticipationem dici potuit a Moſe, quod prævideret fore ut in ea veri Dei cultus univerſo deinde orbi indidem propagandus (9) ſtabiliretur; atque ibidem Dei Filius humanam carnem indueret, ac pro humano genere mortem tandem oppeteret: qua de cauſa *Terram Sanctam* adhuc eam nominamus.

Verſ. 14. (שמעו עמים *shamehù hammim*; ideſt, *audierunt populi*.) Vel potius *audient populi*. Eorum enim, quæ recens contigerant, fama nec dum ad finitimos populos perlata eſſe poterat, quamvis de ea quaſi jam ſparſa loquatur Moſes. Porro ubi nunc he-

 bræ-

(1) Vide quæ dixi ad verſ. 3, pag. 9. (2) cap. XXXIII. verſ. 2. (3) cap. XX. verſ. 16. (4) cap. LXIII. verſ. 9. (5) ad verſ. 2. hujus cantici, pag. 6. (6) Duo ſunt (inquit Petrus Vallenſis part. 1. epiſt. XI. Cairo ſcripta) montes in uno loco, hoc eſt, Horeb, & Sinai, qui ambo naſcuntur, ut ita dicam, ex radice una, & dividuntur poſtea jugis, quo altius aſcenditur. (7) cap. III. verſ. 5, & 1. (8) Exod. cap. XX. verſ. 1. (9) Iſaiæ cap. 2. verſ. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*.

bræum exemplar habet שמעו, Vulgatus Interpres habet *ascenderunt*: quem proinde oportet aut aliter legisse, quam lxx Interpretes, & Hebræi legunt, nimirum legisse עלו; aut id potius, quod tam admirabilis prodigii nuncio audito populi præstiterunt, quam ipsam eventus famam ad eos perlatam, exprimere voluisse. *Populorum* autem nomine Moses tum eos designare videtur, quos mox commemorabit, tum etiam Amalecitas, qui omnium primi Israelitis armati resistere, ac progressum intercludere conati sunt.

(ירגזון *irgázun*, sive, ut Samaritæ legunt, ירגזו *irgbezú*; idest, *perterrefient.*) Lxx Intt. vertunt ὠργίσθησαν, idest, *irati sunt*; Aquila ἐκλονήθησαν, idest, *commoti sunt*. Verbum autem hebræum רגז cum clamore ac strepitu iram, aut metum patefacere, irasci, & horrere significat. Porro quod futurum prædicit hic Moses, reapse contigisse Rahaba quoque meretrix Jerichuntina testatur in libro Josue (1). Chananæi vero, aliique, quos dixi, populi ideo terrore perculsi sunt, quia verebantur, ne Hebræi a præpotenti Deo adjuti eorum regionibus potirentur.

(חיל אחז ישבי פלשת *hil abáz josbebbé Phelásbeth*, seu, *Phelésbeth*; idest, *dolore perculsi sunt incolæ Phelésetb.*) Vox hebræa חיל dolorem parturientis feminæ potissimum significat: sed hic sumitur pro dolore vehementissimo. *Incolas* vero *Phelésetb*, quos Hebræi פלשתים, nostri vero *Philistiim*, aut *Philistæos* vocant, ex Chasluhæis *egressos* esse, Chasluhæos autem a Mizraimo Chami filio, & Noahi nepote genitos fuisse, constat ex Genesi (2). Porro quo tempore canticum hoc scripsit Moses, Philistæos oram maritimam inter Ægyptum, & terram Chanahanis incoluisse putat Hadrianus Relandus (3), quem consule, si libet. De origine autem nominis פלשתים non consentiunt Scriptores. Origenes (4) *Philistæos* interpretatur *cadentes:* an ex radice נפל, idest, *cecidit*, an vero, ut putat Ruæus (5), ex inusitata radice פלש, unde factum est התפלש, idest, *se volutavit*, viderint alii. Relandus vero (6) Philistæos a Pelusio, aut vicissim Pelusium a Philistæis dici conjicit. Demum Johannes Clericus existimat פלשתים designare *peregrinos*. Radix enim פלש (inquit ipse) apud Æthiopas etiamnum significat *migrare*, *peregrinari*, & פלשי *advenam* & *peregrinum*. In versione quoque Samaritica cap. xiv. vers. 6. Genesis פלשה *peregrinationem* designare videtur. Et lxx Intt. passim vocem hanc פלשתים vertunt ἀλλόφυλοι. Itaque putat Clericus incolas regionis *Phelésetb* ex Africa in Chananæam venisse, quumque non essent ex Chanahanis prosapia, a Chananæis veteribus colonis dictos esse *Phelistim*, idest, alienigenas.

Vers. 15. (אז נבהלו *az nivbalú*; idest, *tunc consternati sunt*, vel potius, *tunc consternabuntur.*) Prædicit hic Moses, fore ut Idumæorum duces animis consternentur. נבהל enim idem valet, ac latine *perterritus est*, *terrore subito perculsus est*. Lxx tamen Intt. vertunt, τότε ἔσπευσαν, idest *tunc festinaverunt*. Quare aut pro נבהלו legerunt בהלו (בהל enim est *festinavit*), aut illud pro hoc altero sumi censuerunt.

(אלופי *allupbé*; idest, *Duces.*) Idumæorum primores & hoc in loco, & in capite sexto & tricesimo Genesis vocantur a Mose *Ailuphim*, quam vocem Lxx Intt. vertere solent ἡγεμόνες, Vulgatus autem *duces*, aut *principes*. Huic interpretationi non adversatur Salo-

(1) cap. 2. vers. 9, & seqq. Vide & cap. ix. vers. 9. (2) cap. x. vers. 13, & 14.
(3) lib. 1. *Palæstina*, cap. xiii. Exstat hoc opus in tomo 6. *Thesauri antiquit. Sacr.* a Blasio Ugolino editi. (4) hom. 6. in Exod. pag. 149. edit. PP. S. Mauri.
(5) in annot. ad dictam homil. (6) in loco jam dicto.

lomon Jarchius, quum Idumæorum *allupbim* exponit ראשי משפחות, ideſt *familiarum capita*: quondam enim familiarum capita principes gentis erant. Recte autem animadvertit Marinus, eum qui populo præſit, hebraice vocari אלוף voce ducta aut ex אֶלֶף, quod eſt *mille*, quaſi chiliarcham; aut ex אִלֵּף, quod eſt *docuit*, quaſi doctorem populi; aut tandem ex אלוף, quod eſt *taurus*. Hinc factum fortaſſe eſt, ut Moſes, qui אלוף יהודים, ideſt ductor, & doctor Judæorum fuit, a græcis quondam Ἄλφα diceretur, ut teſtantur Helladius Beſantinous in Chreſtomathia, cujus libri fragmenta habet Photius in Bibliotheca, & Philemæus Hephæſtionis (1) his verbis: Μωσῆς ὁ τῶν Ἑβραίων νομοθέτης Ἄλφα ἐκαλεῖτο; ideſt, *Moſes Hebræorum legislator Alpha vocatur*.

(אדום *Edóm*, ſive *Idumææ*.) Regio Edom ita dicta eſt, quod eam Iſaaci filius Edomus (2), qui & Heſavus appellabatur, & nepotes poſterique ejus incoluerint (3): tenebat autem Edomus montana Seir, quæ extra fines terræ Chanahanis fuiſſe, patet ex Deuteronomio (4). Porro a rege Edomæorum per nuncios amice petiit Moſes, ut ſibi una cum Iſraelitis per ejus regionem tranſire liceret: ſed repulſam retulit: quin rex ipſe maximo cum exercitu Iſraelitas procul a ſuis finibus prohibuit (5).

(אילי מואב יאחוזמו רעד *Elê Moább jobazêmo râbad*; ideſt, *fortes Moabitidis capiet tremor*.) אילים proprie ſunt *arietes*: & hanc ſignificationem fere habet iſta vox, quamvis aliquando per translationem ſignificet *potentiores*: quo modo cum accipitur, videtur אילים poni pro אלים, quod eſt *fortes*. מואב autem idem videtur eſſe ac מאב, hoc eſt, *ex patre*. Moabus enim, a quo Moabitarum regio (6) nomen habuit, ex inceſto concubitu Loti cum filia natu majore ortus eſt (7).

(נמוגו *namógu*; ideſt, *diſſoluti ſunt*.) Seu potius *diſſolventur*; præ timore ſcilicet animo diſſoluto ac remiſſo erunt: vel, ſi mavis, diſſolventur eorum vires; vel demum, quamvis ferreo ac duro ſint animo, ita tamen hoc nuncio terrebuntur, ut eorum durities diſſolvenda ſit. Onchelosus vertit אתברו, ideſt, *contriti ſunt*, animis videlicet. Lxx vero Interpretes ἐτάκησαν, ideſt, *liquefacti ſunt*. Porro ex radice מוג, quę ſignificat *diſſolvi*, ac *liquefieri*, efformatur ejuſdem ſignificationis verbum נמוג; immo ex eadem fortaſſe ducta eſt etiam græca vox μόγος *afflictionem* deſignans. Timori enim, & afflictioni jungere ſolent Hebræi *diſſolutionem*: eamque ob rem Rahaba meretrix ut ſuorum afflictionem exprimeret, *audivimus* (inquit), *& liquefactum eſt cor noſtrum* (8). Latini e contrario terrori, conſternationique *rigorem* jungere ſolent. Quare Ovidius in lib. 1. Faſtorum ait = *Extimuit, ſenſitque metu riguiſſe capillos, Et gelidum ſubito frigore pectus erat*. Itaque hanc latini ſermonis conſuetudinem ſecutus Interpres Vulgatus, quo apertius Chananæorum terrorem declararet, vertit *obriguerunt*, quod in hebræo exemplare legitur *diſſoluti ſunt*.

(כל ישבי כנען, *col josbebhê Chenáhan*; ideſt, *omnes incolæ Chanahanitidis*.) Terræ Chanahanis nomine, quod a primis ejus incolis Chanahanis poſteris originem duxit, vulgo putant multi eam omnem regionem deſignari, quæ a duodecim tribubus occupata fuit. Sed hos refellit Relandus (9), qui id nomen illi regioni duntaxat tribu-

(1) lib. 5. novæ hiſtoriæ. (2) Gen. cap. xxv. verſ. 30. (3) de hac regione vide Relandum lib. 1. *Palæſtinæ*, cap. xix. (4) cap. 2. verſ. 5. (5) Numer. cap. xx. verſ. 14, & ſeqq. (6) de Moabitide agunt Relandus lib. 1. *Palæſtinæ* cap. xx, & Calmetus in *dition. S. S.* ad vocem *Moabita*. (7) Geneſ. cap. xix. verſ. 37. (8) lib. Joſue cap. 2. verſ. 11. (9) lib. 1. *Palæſtinæ*, cap. 2.

butum fuisse contendit, quæ ad occasum Jordanis sita est: illam vero, quæ trans Jordanem posita erat, hoc nomine non indicari, quamvis tribus Ruben, Gad, & dimidia Manassis ipsam occuparint.

Vers. 16. (תפל עליהם איםתה ופחד *tippól balebém emáthah vaphábad*; idest, *cadet* (vel *cadat*) *super ipsos terror*, & *timor*.) Diversis verbis eadem fesme, quæ dixerat, repetit Moses. איםתה autem contra perpetuam consuetudinem hie ponitur pro אימה, aut metri causa, aut ad augendam significationem, ut conjicit Marinus. Quod demum ait Moses *terrorem casurum super Chananæos, aliosque populos*, fosmula loquendi hebsæa est, quam leges tum 1. Sam. XI. 7; tum psalm. LV. 5; tum Gen. XV. 12, tum Jos. II. 9; tum alibi etiam.

(בגדל זרועך *bigdól zerobachá*; idest, verbum e verbo, *in crescere brachium tuum*; nimisum, *per summam potentiam tuam*.) גְּדֹל est *makór* vesbi גָּדַל. Vox vero זרוע proprie quidem *brachium*, per translationem veso *potentiam* designat: id quod perspicue apparebit legenti in hebræo exemplare vessiculum 24. capitis XLIX Geneseos; aliaque etiam Scripturæ loca.

(ידמו כאבן *iddemú caábben*; idest, *quiescent ut lapis*). Vel potius *quiescant, immobiles fiant*. LXX Intt. vertunt ἀπολιθωθήτωσαν (1), idest, *lapidescant*. Chaldæus autem interpres reddit ישתקון כאבנא, idest, *taceant sicut lapis*. Simile Horatii illud, *statua taciturnius* (2). Optat porso hic Moses, ut populi, juxta quorum fines transituri erant Israelitæ, præ metu rigeant, ac præ stupore immobiles fiant, ne scilicet populo suo armati obviam eant, sed eum juxta ipsorum fines transire patiantur: id quod reipsa fecisse Kenæos populos, constat ex libro primo Samuelis (3). Mosis tamen votis non omnino sesspondit eventus; nam paulo post Amalekitæ (4), iterumque Chananæi una cum Amalekitis ipsis (5) bellum Israelitis intulerunt, qui tamen superati tandem ab Hebræis, ac deleti sunt.

(עד יעבור עמך יהוה *bad jababbór hammechá Jehováh*; idest, *donec transierit populus tuus, o Jehova*.) Donec scilicet per eorum fines in terram Chanahanis venerit. Israelitas vocat hic Moses, ut alibi sæpissime, *populum Dei*, quod eos plurimum Deus dilexerit, innumerisque beneficiis auxerit, quæ nemini ignota sunt, & referuntus in sacris historiis. Quin Deus ipse eos *populum suum* vocare non est dedignatus in Exodo cap. III. vers. 7, & 10, & 12, & capite XIX. vers. 5, ubi, *si audieritis*, inquit, *vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale*.

(עד יעבור עם זו קנית *bad jababbór ham zu, kanítha*; idest, *donec transierit populus hic*, quem *acquisivisti*.) Verbum hebræum קנה sem aliquam emere, sibi comparare, aut quovis tandem modo acquirere, itidemque rem vel pretio emptam, vel labose atque industria partam possidere significat. Deus autem Israelitas dicitur acquisivisse, quod eos durissimæ servituti eripuerit, aliisque beneficiis sibi devinxerit, ac veluti peculiari quodam modo suos fecerit. Existimat tamen Samuel Bochartus (6), קנה idem aliquando esse, ac *genuit*, veluti Zachariæ cap. XIII. vers. 5, & Gen. cap. IV. vers. 1, & Proverb. cap. VIII. vers. 22. Quin græcum vocabulum γεννᾶν ex hoc hebræo קנה derivandum videtur Clerico (7). Hanc opinionem si sequimus, pro *quem acqui-*

(1) de hac voce agit Clericus in Differt. de statua salina. (2) l. 2. epist. 2. vers. 83.
(3) cap. XV. vers. 6. (4) cap. XVII. Exodi. (5) cap. XIV, & XXI. Numer.
(6) in lib. 2. *Chanahanis*, cap. 2. (7) in comment. cap. XXXII. Deuter. ad vers. 6.

acquisivisti, vertere etiam licebit *quem genuisti* (1). Sed a vulgata, & communi *acquirendi* significatione, quam habet verbum קנה, non est facile recedendum, præsertim quum ea Scripturæ loca, quæ ex Bocharto allegavi, si accurate perpendantur, neque hanc significationem respuant, neque eam postulent, quam ipse Bochartus amplectitur.

Vers. 17. (תבאמו, ותטעמו בהר נחלתך *tebbièmo, vethittabèmo bebàr nabalathechà*, idest, *Ipsos perduces in montem hereditatis tuæ, eosque ibi plantabis.*) Sunt qui de monte Sinai, ad quem perductos iri Hebræos prænunciet divinus Vates, locum hunc putant posse explicari. Sed hujusmodi interpretationem equidem non sequor, tum quia in eo monte firmam stabilemque sedem, quam plantandi metaphora denotat (2), Hebræi non fixerunt; tum etiam quia eidem monti non satis convenire videntur quæ subjiciuntur hoc in commate. Arbitror itaque Sionem montem, aut, si mavis, montem Moriam, in quibus templum aliquando construendum erat, hic spectari a Mose; montes vero hosce quum dicit, potiore de parte omnem Chanahanis terram per synecdochen intelligere, quæ regio non plana, uti Ægyptus, sed montibus referta (3) erat, in eaque firmiter constituti, ac veluti *plantati* Hebræi pluribus seculis habitarunt. Porro Sion, aut Moria *montes hereditatis Dei* propterea dicuntur, quod eos sibi Deus veluti peculiarem sedem hereditatemque delegerit, quodque in Chanahanitide per hosce montes designata populus ille habitaturus esset, qui in hereditatem Dei adscitus fuit, utpote ab ipso adoptatus in primogenitum, ut est in Exodo (4).

(מכון לשבתך פעלת יהוה *machòn lesbibbtechà pabàlta Jehovàh*, idest, *præparationem sedis tuæ operatus es, o Jehovah.*) Similis loquendi formula alibi etiam occurrit (5). His autem verbis illustrantur proxime superiora, quæ de monte sancto, ubi domicilium sibi constituit Deus, intelligenda diximus: de hac enim eadem re loqui hic pergit divinus Vates. Porro radix כון, sive כונן, unde vox מכון derivatur, non modo *præparare*, atque *aptare*, verum etiam *stabilire*, ac *firmare* significat (6). Hinc factum est, ut locum hunc lxx. Intt. sic reddiderint: εἰς ἕτοιμον κατοικητήριόν σου, &c. Vulgatus vero: *firmissimo habitaculo tuo*, &c. *Firmissimum* autem recte dicitur illud templum, quod mille, atque amplius annos stetit. Recte etiam dicitur *a Deo factum*, propterea quod Deo ipso volente ac jubente constructum sit. Quamquam sunt qui putent (7) vocem פעלת hoc in loco verti debere *parasti*: hoc enim modo accipi nonnunquam verbum פעל, perspicue constare ajunt ex versiculo tertio psalmi LVIII.

(מקדש ארני כוננו ידיך *mikdàsh Adonài conenù jadècha*; idest, *sanctuarium Domine instruxerunt* (aut, si mavis, *firmarunt*) *manus tuæ.*) De radice כון modo dixi. Quod autem ait hic Moses כוננו, hoc est, *instruxerunt*, id duobus modis potest accipi: primum ut sit præteritum loco futuri positum (8), deinde ut id designet, quod Deus facere decreverat, non quod jam fecerat. Id ipsum de superiore voce פעלת, idest, *operatus es*, dictum puta.

Nunc antequam ulterius progredimur, pauca de voce ארני dicenda sunt, ex qua ortum nonnulli conjiciunt nomen

(1) Vide infra quæ dicam ad vers. 6. alterius Mosis cantici. (2) vide lib. 1. Paralip. cap. XVII. vers. 9. (3) vide psalm. 78. vers. 54.; & l. 3. Reg. cap. XX. vers. 28; & Deuter. cap. III. vers. 23. (4) cap. IV. vers. 22. (5) in lib. 3. Reg. cap. VIII. vers. 3, & 43; ac psalm. XXXIII. vers. 14. (6) lib. 1. Sam. cap. XX. vers. 31; & l. 3. Reg. cap. 2. vers. 12; & psalm. LXXV. vers. 7; & alibi. (7) vide Jo. Clericum in hunc locum. (8) vide quæ dixi supra ad vers. 12. pag. 24. col. 2.

men illud, quo Arabes Bacchum vocabant Adonæum. *Adonáj* ergo nomen divinum eſt, quod omnes omnino Interpretes vertunt voce *Dominus*, aut alia affini, & a Judæis, dum ſacros libros legunt, ſacroſancto nomini יהוה ſubrogatur, ut alias dixi (1). Sunt autem qui eam vocem deducunt ex אדן, quod eſt *baſis*, propterea quod (inquiunt) herus, ſive dominus ſit inſtar baſis, & fulcri totius domus. Sed nimis coacta videtur hæc nominis notatio. Itaque probabilius Marinus noſter (2) ſtatuit, אדני quidem efformari ex אדון, quod eſt *herus*, ipſam vero vocem אדון ex nulla alia derivari.

Nomen porro אדני formam habet nominis pluralis cum affixo primæ perſonæ: quaſi ſcilicet *Adonij* idem valeat, ac *Domini mei*, & Deo plurale hoc nomen propterea tribuatur, ut plures ejus Perſonæ indicentur, ſicuti ipſas indicari diximus (3) nomine אלהים. Dubitari tamen merito poteſt, an poſtremum illud *Jod* in nomine אדני reipſa affixum ſit. Sunt enim & alia ejuſdem modi nomina, in quibus affixum non eſt, veluti גובי, ideſt *locuſtæ* (4), שרי, ideſt *Principes* (5), & חלוני, ideſt *feneſtræ* (6). Quin dubitari etiam poteſt, an nomen ipſum אדני plurale reipſa ſit, an potius ſingulare. Quædam enim ſunt ejuſdem terminationis nomina ſingularia, ut שדי *shadij*, ideſt *ager* (7), & שדי *shaddáj*, ideſt omnipotens (8). Et ſane vetuſti Interpretes nuſquam אדני tranſtulerunt *Domini*, aut *Domini mei*: quin pænultimæ literæ punctum vocale veteres ſuppoſuerunt, quod dicitur *kaméz*, ut ſcilicet eo puncto nomen divinum אֲדֹנָי differret ab alia voce אֲדֹנַי, quæ verti debet *Domini mei*.

Verſ. 18. (יהוה ימלך לעלם ועד *Jehováh imlóch leholám vahéd*; ideſt, *Jehovah regnabit in ſeculum, & adhuc.*) Clauſula huic cantico aptiſſima, in quo ſanctiſſimus Vates victoriam ope divina de Ægyptiis relatam cecinit, & Chananæorum expulſionem prænunciavit. Nimirum Deum perpetuo regnaturum ait Moſes, ut ſignificet, ab ipſo mundum univerſum adminiſtrari, ipſum duntaxat rerum omnium dominum eſſe, eique ſoli, utpote æterno Regi, cujus ope hoſtes ſuos ſuperaturi erant Iſraelitæ, non Molocho, qui falſo a ſuperſtitioſis populis מֹלֵךְ, quaſi *regnans* dicebatur, nec Bahalo, quem pari ſtultitia, atque impietate *Dominum* (id eſt enim בעל) ejus cultores appellabant, aut aliis ullis gentium Diis divinum cultum deberi. Similiter David in pſalmo decimo (9), *Dominus*, inquit, *regnabit in æternum, & in ſeculum ſeculi*: tum ſtatim ſubjicit: *perierunt gentes de terra illius*. Daniel quoque, ut ſuperbi Nabuchodonoſoris arrogantiam retunderet, qui potentiam ſuam, atque imperii amplitudinem, uni Deo acceptam referre recuſabat (10): *ſcias*, ait, *quod dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud..... quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem, & generationem*. Animadvertunt porro nonnulli Interpretes a Moſe in hoc verſiculo Eccleſiæ perpetuitatem in æterno Dei regno fundatam deſignari, & audientium animos ad æternum Electorum regnum attolli.

Quod attinet ad voces לעלם ועד, ut veram utriuſque ſignificationem aſſequamur, utraque ſingillatim expendenda eſt. Vox ergo עולם (11) derivatur ex radice ſacris Scriptoribus inuſitata עלם, ideſt, *abſcondit*, ex qua ef-

for-

(1) pag. 11. (2) in Theſauro L. S. ad vocem אדון. (3) pag. 7, & 8. (4) Nahum cap. III. verſ. 17. (5) Jud. cap. v. verſ. 15. (6) Jerem. cap. XXII. verſ. 14. (7) pſalm. XCVI. verſ. 12. (8) Geneſ. cap. XVII. verſ. 1. (9) verſ. 16. (10) cap. IV. verſ. 22, & 32. (11) Vide etiam infra quæ de hac voce dicam ad verſ. 7. cantici ſecundi Moſis: Itidemque Matthiæ Flacii Illyrici *clavem Scripturæ Sacræ* part. I. ad vocem *ſeculum*.

formatum est verbum usitatum התעלם, quod valet *se se abscondit*. Itaque עולם, si vim radicis spectemus unde deducitur, longissimi temporis spatium designat, cujus fines terminique *absconditi* sunt, sive occulti, aut incerti; aliquando tamen pro ipsa æternitate sumitur in sacris libris. Docet autem Hieronymus (1) hac voce, si literam ו habeat, æternitatem, sin ea careat, annum quinquagesimum, qui Jubileus dicitur, designari: quod Hieronymi monitum audacter carpit Clericus (2), at defendere studet Vallarsius (3). Simili ratione vox composita לעולם modo idem valet, atque *in æternum*, veluti in psalmo centesimo (4), & alibi sæpe: modo significat *longissimo tempore*, non tamen æterno, si æternitatem proprie accipiamus; ut clare patet tum ex aliis Scripturæ locis, tum maxime ex illo Exodi (5): *perforabitque aurem ejus, & erit ei servus* לעלם, idest, *per totam vitam*. Vox vero עַד idem valere videtur, atque עַד, quæ vocula sæpe significat *adhuc*, & nonnunquam *æternitatem*, veluti in psalmo IX. vers. 19, Jesaiæ cap. LVII. vers. 15, & alibi.

Itaque proposita verba לעלם ועד verti possunt *in seculum & adhuc*; aut *in seculum, & in æternum*. Hinc fit, ut LXX Int. græce sic ea reddant: *εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ἐπ' αἰῶνα, καὶ ἔτι*; Chaldæus vero interpres in hunc modum: לעלם ולעלמי עלמיא, hoc est, *in seculum, & in secula seculorum*. Vulgatus tamen vertit *in æternum, & ultra*: quæ interpretatio pluribus Scriptoribus negotium facessit; quum enim æternitas fine careat, ultra ipsam nullum temporis spatium ne cogitatione quidem fingi potest. Varia Interpretum in hanc rem cogitata vide apud Pererium (6). Equidem paucis rem expediverim. Nimirum vox *æternus* a Vulgato interprete neque hic, neque in aliis locis quampluribus proprie accipitur, sed ita, ut id significet, quod diutissime durat. Ita sane explicanda est in illo Genesеos (7): *Dabo tibi omnem terram Chanaan in possessionem æternam*. Immo eodem modo a profanis quoque Scriptoribus sumitur, uti liquet ex hoc Horatii versu (8): *Serviet æternum, qui parvo nesciet uti*.

Vers. 19. (כי בא *ki bba*, idest, *quia venit*, &c.) An totus hic versiculus ad canticum pertineat, dubitare licet. Initio enim XV. capitis libri Exodi, ex quo capite istud canticum depromptum est, hæc leguntur: *tunc cecinit Moses, & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt*. Tum canticum ipsum subjicitur, cui subnectuntur hæc verba: *Quoniam venit equus Pharaonis*, &c. Fieri ergo potest, ut postremis hisce verbis caussam afferat sacer historicus, nempe Moses, cur Deum laudibus extulerint Hebræi, canticumque istud concinuerint. Rupertus sane (9) versiculum proxime superiorem, nempe 18, ut postremum in hoc cantico habuit; ejusque opinio ex eo confirmari potest, quod hic versiculus cum superiore recte conjungi non videatur ob voculam illam כי, idest, *quia*: nec enim ideo *Deus æternum regnabit*, quia quum Pharaonis equitatus mare ingressus esset, Deus ipse marinis fluctibus eum obrui voluit. Attamen quoniam hic versiculus cantico vulgo adjungi solet, nos quoque ipsum hic adjunximus, præsertim quum vocula כי tametsi plerumque significet *quia*, interdum tamen valeat *ideo*, veluti in cap. XXII. Gen. vers. 17, & aliquibus aliis in locis

(1) Commentariorum in epist. ad Galatas lib. 1. cap. 1. ad vers. 4, pag. 378 tomi VII. editionis Vallarsianæ. (2) in quæstionibus Hieronymianis. (3) in annot. ad eum Hieronymi locum. (4) vers. 5. (5) cap. XXI. vers. 6. (6) disput. 7. in caput XV. Exodi. (7) cap. XVII. vers. 8. (8) lib. 1. epist. 10. (9) in libro 2. comment. in Exodum, cap. 37.

cis (1), ac proinde versiculum superiorem cum isto sic possimus conjungere: *Deus rex est æternus, & rerum omnium dominus, ideoque ut Pharahonis equitatus in mari Erythræo demergeretur, effecit.*

(סוס פרעה ברכבו ובפרשיו *sus Parhóh berichbbó ubbpharasbáv*; idest, *equus Pharahonis cum curru ejus, & cum equitibus ejus.*) Pharahonem, & ejus equitatum designat Moses his verbis. Vide quæ dixi, quum versiculos primum, & quartum explanavi (2). פרש autem idem hic est, atque *eques*, sive, ut Marino placet, *cataphractus eques*. Quin ex hac hebræa voce Persas nomen suum habuisse censet Brianus Valtonus (3): ita scilicet, ut *Persa* idem sit, atque *eques*. Illo enim nomine (inquit) vocari cœperunt hi populi post Cyrum, propterea quod Cyro rege equitandi ars quammaxime apud ipsos vigere cœpit, ut testatur Xenophon (4).

(בים *bajám*, idest, *in mare.*) Vox ים, quæ ter occurrit in hoc versiculo, locum potius, in quo marinæ sunt aquæ, quam ipsas marinas aquas interdum significat. Ita sane explicari debet in illo Jesahiæ (5): כמים לים מכסים, idest, *sicut aquæ mare tegentes* (6). Eodemque modo accipienda videtur hoc in loco.

(וישב יהוה עליהם את מי הים *vajjáshebb Jehováh balehém eth me bajjám*; idest, *Et regredi jussit Dominus in ipsos aquas maris.*) Quas scilicet recedere jusserat accedentibus ad mare Israelitis. Ut enim est in Exodo (7), *cum extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ... nec unus quidem superfuit ex eis.*

(ובני ישראל *ubbné Israél*, idest, *& filii Israelis.*) Ita vocantur Hebræi, quod ex Jacobo, qui & Israel dictus est, originem duxerint. Israelis autem nomen plures compositum putarunt ex איש, & ראה, & אל; quasi idem valeat, atque *vir videns Deum*. Sed, ut optime inquit D. Hieronymus (8), *vir videns Deum non in elementis, sed in sono vocis est.* In nomine enim ישראל desunt tum prima litera vocis איש, tum secunda, & tertia radicis ראה. Alii vero compositum illud censuerunt ex ישר, & אל; quasi significet *rectum Dei*. Alii denique ipsum deduxerunt ex שרה, hoc est, *dominatus est*, & אל, idest *Deus*, aut *fortis*. Postremam hanc opinionem ipse amplector, quod eam firmissime probari putem his Mosis verbis (9) לא יעקב יאמר עוד שמך, כי אם ישראל, כי שרית עם אלהם idest, *non Jacobus jam nunc vocaberis, sed Israel, quoniam* שרית עם אלהים, idest, ut Vulgatus interpres vertit, *contra Deum fortis fuisti.*

(הלכו ביבשה בתוך הים *balechú bajjabbasháh bethóch bajjám*; idest, *iverunt per siccam* humum *in medio mari.*) De hac maris Erythræi trajectione copiose egerunt Calmetus (10), Goldschmidius (11), Stumpfius (12), Bajerus, & Clericus: qui tamen postremus cautissime legendus est. Hos consule, si libet: nec enim meum est hac de re fusius disserere.

CAN-

(1) lib. 1. Sam. cap. 2. vers. 25; & Jerem. cap. 4. vers. 28. (2) pag. 5. col. 1; & pag. 12, ac 13. (3) in apparat. Bibl. prolegom. xvi. pag. 418. (4) lib. 1, & 4. de instit. Cyri. (5) cap. xi. vers. 9. (6) vide & vers. 22. capitis 1. Genes. (7) cap. xiv. vers. 27. (8) in cap. 44 Isaiæ. (9) Genes. cap. xxxii. vers. 28. (10) in dissertat. quæ extat initio ejus commentar. in Exod. (11) tomo 1. Thesauri novi Theolog. Philolog. pag. 274. (12) in Schediasmate ad cap. xiv. Exodi.

CANTICUM MOSIS

ALTERUM.

(*Exſtat in Deuteronomio cap. xxxii.*)

האזינו השמים, ואדברה; ותשמע הארץ אמרי פי.

1. *Auſcultate o cœli, & loquar, & audies o terra dicta oris mei.*

1. Audite cæli quæ loquor; audiat terra verba oris mei.

יערף כמטר לקחי, תזל כטל אמרתי, כשעירם עלי דשא, וכרביבים עלי עשב.

2. *Stillabit ut pluvia doctrina mea, fluet ut ros dictum meum, ſicut pluvia vebemens ſuper tenellam herbam, & ſicut pluvia tenuiſſima ſuper herbam grandiuſculam.*

2. Concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.

כי שם יהוה אקרא, הבו גדל לאלהינו.

3. *Quoniam nomen DOMINI vocabo, date magnitudinem Deo noſtro.*

3. Quia nomen DOMINI invocabo, date magnificentiam Deo noſtro.

הצור תמים פעלו, כי כל דרכיו משפט, אל אמונה, ואין עול, צדיק, וישר הוא.

4. *Deus, perfectum opus ejus, quoniam omnes viæ ejus judicium, Deus veritatis, & ſine iniquitate, juſtus, & rectus ipſe.*

4. Dei perfecta *ſunt* opera, & omnes viæ ejus judicia; Deus fidelis, & abſque *ulla* iniquitate, juſtus, & rectus.

שחת לו לא בניו מומם, דור עקש, ופתלתל.

5. *Corrupit ei, non filii ejus macula eorum, ætas perverſa, & depravatiſſima.*

5. Peccaverunt ei, & non filii ejus *in* ſordibus, generatio prava atque perverſa.

הליהוה תגמלו זאת עם נבל, ולא חכם? הלוא הוא אביך? קניך? הוא עשך? ויכננך?

6. *Numquid DOMINO retribuetis hanc, popule ſtulte, & non ſapiens? an non ipſe pater tuus? qui poſſedit te? ipſe, qui fecit te, & firmavit te?*

6. Hæccine reddis DOMINO popule ſtulte, & inſipiens? numquid non ipſe *eſt* pater tuus, *qui* poſſedit te, & fecit, & creavit te?

זכר ימות עולם, בינו שנות דר ודר; שאל אביך, ויגדך, זקניך, ויאמרו לך.

7. *Memento dierum ſeculi, conſiderate annos ætatis & ætatis, interroga patrem tuum, & indicabit tibi, ſenes tuos, & dicent tibi.*

7. Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi:

8. Quan-

בהנחל עליון גוים, בהפרידו בני אדם, יצב גבלת עמים למספר בני ישראל.

8. *Cum possessiones daret Altissimus gentibus, cum separaret ipse filios Adami, statuet terminos populorum numero filiorum Israelis.*

8. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

כי חלק יהוה עמו, יעקוב חבל נחלתו.

9. *Quoniam pars DOMINI populus ejus, Jacobus funis possessionis ejus.*

9. Pars autem DOMINI populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus.

ימצאהו בארץ מדבר; ובתהו ילל ישימן יסבבנהו, יבוננהו, יצרנהו כאישון עינו.

10. *Inveniet eum in terra Deserti, & in vastitate ululatus Jescimonis circumdabit eum, faciet ut intelligat, custodiet ipsum ut pupillam oculi sui.*

10. Invénit eum in terra deserta; in loco horroris, & vastæ solitudinis circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui.

כנשר יעיר קנו, על גוזליו ירחף, יפרש כנפיו, יקחהו, ישאהו על אברתו.

11. *Sicut aquila excitabit nidum suum, super pullos suos se se motabit, expandet alas suas, sumet eum, feret eum super ala sua.*

11. Sicut aquila provocans *ad volandum* pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumsit eum, *atque* portavit in humeris suis.

יהוה בדד ינחנו, ואין עמו אל נכר.

12. *DOMINUS solus ducet eum, & non cum ipso Deus alienationis.*

12. DOMINUS solus dux ejus fuit, & non *erat* cum eo Deus alienus.

ירכבהו על במותי ארץ; ויאכל תנובת שדי, וינקהו דבש מסלע, ושמן מחלמיש צור.

13. *Equitare faciet eum super altitudinibus terræ, & comedet proventus agri, & lactabit eum melle ex petra, & oleo petra silice,*

13. Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo,

חמאת בקר, וחלב צאן; עם חלב כרים, ואילם בני בשן, ועתודים, עם חלב כליות חטה; ודם ענב תשתה חמר.

14. *Butyro vaccæ, & lacte ovis, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, & hircorum, cum adipe renum tritici; & sanguinem uvæ bibes merum.*

14. Butyrum *de* armento, & lac *de* ovibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici; & sanguinem uvæ biberet meracissimum.

וישמן ישורון, ויבעט; שמנת, עבית, כשית, ויטש אלוה, עשהו, וינבל צור ישעתו.

15. *Et pinguefactus est Jesurun, & recalcitravit, pinguefactus es, crassus evasisti,* adipe *obductus es, & dereliquit Deum,* qui *fecit ipsum, & contumeliis affecit Petram salutis suæ.*

15. Incrassatus est dilectus, & recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit *a* Deo salutari suo.

16.

יקניאהו בזרים, בתועבת יכעיסהו.

16. *Ad zelotypiam provocabunt eum in alienis, in abominationibus irritabunt eum.*

16. Provocaverunt eum in *Diis* alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

יזבחו לשרים, לא אלה; אלהים, לא ידעום, חדשים מקרב באו, לא שערום אבתיכם.

17. *Sacrificabunt cacodæmonibus, non Deo: Dii, quos non cognoverunt, novi e propinquo venerunt, non horruerunt eos patres vestri.*

17. Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

צור ילדך, תשי, ותשכח אל מחללך.

18. *Petræ*, quæ *te genuit, oblivisceris, & oblivisceris Dei, qui te peperit.*

18. Deum, *qui* te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

וירא יהוה, וינאץ מכעס בניו, ובנתיו.

19. *Et vidit DOMINUS, & repudiavit præ ira filios suos, & filias suas.*

19. Vidit DOMINUS, & ad iracundiam concitatus est, *quia provocaverunt eum* filii sui, & filiæ.

ויאמר, אסתירה פני מהם, אראה, מה אחריתם; כי דור תהפכת המה, בנים לא אמן בם.

20. *Et dixit, abscondam faciem meam ab eis, videbo, quid finis eorum, quoniam ætas revolutionum ipsi, filii, in quibus non est fides.*

20. Et ait: abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum; generatio enim prava est, & infideles filii.

הם קנאוני בלא אל, בעסוני בהבליהם; ואני אקניהם בלא עם, בגוי נבל אכעיסם.

21. *Ipsi ad zelotypiam provocaverunt me in non Deo, irritaverunt me in vanitatibus suis; & ego ad zelotypiam provocabo eos in non populo, in gente stulta irritabo illos.*

21. Ipsi me provocaverunt in *eo*, *qui* non *erat* Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: & ego provocabo eos in *eo*, *qui* non *est* populus, & in gente stulta irritabo illos.

כי אש קדחה באפי, ותיקד עד שאול תחתית, ותאכל ארץ, ויבלה, ותלהט מוסדי הרים.

22. *Quoniam ignis accensus est in ira mea, & comburet usque ad infernum inferiorem, & absumet terram, & fruges ejus, & aduret fundamenta montium.*

22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

אספה עלימו רעות, חצי אכלה בם.

23. *Consumam super ipsis mala, sagittas meas absumam in eis.*

23. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.

מזי רעב, ולחמי רשף, וקטב מרירי, ושן בהמת אשלח בם, עם חמת זחלי עפר.

24. *Adustiones famis, & comestiones ardoris, & luem amaram, & dentem belluarum mittam in eos, cum veneno serpentium pulveris.*

24. Consumentur fame, & devorabunt *eos* aves morsu amarissimo; dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium *super* terram, *atque serpentium*.

25.

מחוץ תשכל חרב, ומחדרים
אימה, גם בחור, גם בתולה,
יונק עם איש שיבה.

25. *Foris orbabit gladius, & in penetralibus pavor, & juvenem, & virginem, lactentem cum homine senectutis.*

25. Foris vastabit *eos* gladius, & intus pavor, juvenem simul, ac virginem, lactentem cum homine sene.

אמרתי, אפאיהם, אשביתה
מאנוש זכרם.

26. *Dixi: in extremitates jaciam eos, cessare faciam ab homine memoriam illorum.*

26. Dixi: ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

לולי כעס אויב אגור, פן
ינכרו צרימו; פן יאמרו, ידנו
רמה, ולא יהוה, פעל כל
זאת.

27. *Nisi indignationem inimici timebo, ne forte alteri tribuant, qui eos affligunt; ne forte dicant: manus nostra elata, & non DOMINUS operatus est omne hoc.*

27. Sed *propter* iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: manus nostra excelsa, & non DOMINUS, fecit hæc omnia.

כי גוי אבד עצות המה,
ואין בהם תבונה.

28. *Quoniam gens perdita consiliorum ipsi, & non in ipsis intelligentia.*

28. Gens absque consilio est, & sine prudentia.

לו חכמו, ישכילו זאת,
יבינו לאחריתם!

29. *Utinam sapientes facti essent; intelligent hoc, considerabunt finem suum.*

29. Utinam saperent, & intelligerent, *ac* novissima providerent!

איכה ירדף אחד אלף?
ושנים יניסו רבבה? אם לא
כי צורם מכרם? ויהוה הסגירם?

30. *Quomodo persequetur unus mille, & duo fugabunt decies mille? an non quia Petra eorum vendidit eos, & DOMINUS clausit illos?*

30. Quomodo persequatur unus mille? & duo fugent decem millia? nonne *ideo* quia Deus suus vendidit eos, & DOMINUS conclusit illos?

כי לא כצורנו צורם, ואיבינו
פלילים.

31. *Quoniam non ut Petra nostra Petra eorum, & inimici nostri judices.*

31. Non enim *est* Deus noster ut Dii eorum, & inimici nostri *sunt* judices.

כי מגפן סדם גפנם,
ומשדמת עמרה; ענבמו ענבי
רוש, אשכלת מררת למו.

32. *Quoniam de vite Sedom vitis eorum, & de vastationibus Gomorræ; uva eorum uvæ toxici, botri amaritudinum ipsis.*

32. De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorræ: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi.

חמת תנינם יינם, וראש
פתנים אכזר.

33. *Venenum draconum vinum eorum, & toxicum aspidum sævities.*

33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

הלוא הוא כמס עמדי?
חתום באצרתי?

34. *Nonne ipsum reconditum est mecum? obsignatum in thesauris meis?*

34. Nonne hæc condita sunt apud me? & signata in thesauris meis?

לי נקם, ושלם לעת, תמוט רגלם; כי קרוב יום אידם, וחש עתדת למו.	35. *Mihi vindicta, & rependet in tempore; movebitur pes eorum, quoniam vicinus* est *dies calamitatis eorum, & præsto est* cum his, quæ *parata* sunt *ipsis.*	35. Mea *est* ultio, & *ego* retribuam in tempore, *ut* labatur pes eorum: juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.
כי ידין יהוה עמו, ועל עבדיו יתנחם; כי יראה, כי אזלת יד, ואפס עצור, ועזוב.	36. *Quoniam judicabit DOMINUS populum suum, & super servis suis miserebitur: quoniam videbit, quod abiit manus, & absumptionem clausi, & derelicti.*	36. Judicabit DOMINUS populum suum, & in servis suis miserebitur: videbit, quod infirmata sit manus, & clausi *quoque* defecerunt, residuique *consumti sunt*.
ואמר, אי אלהימו? צור, חסיו בו?	37. *Et dicet: ubi* est *Deus eorum, Petra, in quam se receperunt?*	37. Et dicet: ubi *sunt* dii eorum, in quibus habebant fiduciam?
אשר חלב זבחימו יאכלו, ישתו יין נסיכם, יקומו, ויעזרוכם, יהי עליכם סתרה.	38. *Qui adipem victimarum ipsorum comedent, bibent vinum libatoris ipsorum: surgant, & opitulentur vobis, sit super vos latibulum.*	38. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum, surgant, & opitulentur vobis, & *in necessitate* vos protegant.
ראו עתה, כי אני אני הוא, ואין אלהים עמדי; אני אמית, ואחיה; מחצתי, ואני ארפא; ואין מידי מציל.	39. *Videte nunc, quod ego, ego ipse, nec Dii mecum: ego occidam, & vivere faciam, vulneravi, & ego sanabo, &* non est *de manu mea liberans.*	39. Videte, quod ego *sim solus*, & non *sit alius* Deus præter me: ego occidam, & *ego* vivere faciam; percutiam, & ego sanabo, & non *est qui* de manu mea *possit* eruere.
כי אשא אל שמים ידי, ואמרתי, חי אנכי לעולם:	40. *Quoniam attollam ad cælum manum meam, & dixi: vivens ego in seculum:*	40. Levabo ad cælum manum meam, & dicam: vivo ego in æternum.
אם שנותי ברק חרבי, ותאחז במשפט ידי, אשיב נקם לצרי, ולמשנאי אשלם.	41. *Si acuero aciem gladii mei, & apprehenderit* eum *in judicio manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his, qui me oderunt, rependam.*	41. Si acuero *ut* fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.
אשכיר חצי מדם, וחרבי תאכל בשר, מדם חלל, ושביה, מראש פרעות אויב.	42. *Inebriabo sagittas meas (a) sanguine, & gladius meus devorabit carnem, (a) sanguine interfecti, & captivitatis, (a) capite ultionum inimici.*	42. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis.

43.

הרנינו גוים עמו, כי דם עבדיו יקום, ונקם ישיב לצריו, וכפר אדמתו, עמו.

43. *Celebrate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, & ultionem reddet his, qui eum vexant, & expiabit terram suam, populum suum.*

43. Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

EXPLANATIO.

Nobilissimum hoc canticum, quod paullo ante quam moreretur, coram universo Israelitarum populo Dei jussu Moses recitavit, perenne monumentum esse voluit Deus, quo futuris temporibus constaret, satis superque Hebræos fuisse præmonitos, ac pœnas, quas daturi erant, ab eo, cujus afflatu prænunciatæ fuerant, profectas esse. *Postquam*, inquit Dominus (1), *invenerint eum* (nempe Israelem) *mala multa, & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis ejus*. Scilicet in hoc cantico acerrime Israelitas increpat, ac vehementissime, Deo inspirante, objurgat Moses, quod in Deum ipsum forent ingratissimi: beneficia in eos a Deo collata exprobrat, & quæ vicissim malefacta pro tot benefactis rependerint, describit: ac demum supplicia eis gravissima minatur, nisi resipiscant. Divinus porro scriptor libri secundi *Machabæorum* (2) illud carmen vocat τὴν κατὰ πρόσωπον ἀντιμαρτυροῦσαν ᾠδὴν: Rabbini autem (3) appellant שירת הלוים, idest, *canticum Levitarum*. Ajuntque præterea ipsum esse עיקר וכלל כל התורה, sive brevem quamdam totius legis summam: propterea scilicet quod hic divinæ perfectiones, mundi creatio, unius Dei cultus, terrarum distributio, Israelitarum electio, & alia hujus modi commemorantur, quæ in Pentateucho cumulatius descripta sunt.

Iam vero per gravissimam, eamdemque elegantissimam apostrophen orationem suam exorditur Moses, cælum terramque testes appellans eorum quæ dicturus est; atque inusitata hac loquendi ratione auditores sibi attentos facit. Eodem præfandi modo usi sunt post Mosem non solum alii scriptores sacri, ut Jesahias (4), ut Michæas (5), ut Josue (6); sed etiam profani, ut Virgilius in libro Æneidos duodecimo (7), ubi Æneam sic loquentem inducit: *Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti*, &c. Cælum vero ac terram alloquitur Moses, primum ut significet, surdas jam esse hominum aures, ideoque ad inanima corpora vertendum sermonem esse, quum Israelitæ innumeris a Deo beneficiis ornati, a Deo tamen ipso ad falsa numina tam crebro deficerent: deinde ut sermonum suorum æternos atque immortales testes adhibeat, eosque, per quos puniendus erat Hebræus populus (8): ut enim Jobi verbis (9) utar, *revelabunt cæli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum*. Cæli tamen, terræque nominibus, cæli terræque incolas Deum, Angelos, & homines quidam intelligunt, ut Hieronymus, Basilius

(1) Deuter. cap. xxxi. vers. 21. (2) cap. vii. vers. 6. (3) Vide lib. *Sopherim* cap. xii. num. 8. (4) cap. i. vers. 1. (5) cap. i. vers. 2; & cap. vi. vers. 1.
(6) cap. xxiv. vers. 27. (7) vers. 176. (8) Vide cap. xxviii. Deuter. vers. 12, 13, &c.
(9) cap. xx. vers. 27.

filius (1), & scriptor quæstionum ad Orthodoxos (2), qui postremus quærenti, cur Moses cælum terramque testetur, si elementa sensu carent, sic respondet: τὰ λεγόμενα πρὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, πρὸς τοὺς ἐν αὐτοῖς λέγεται λογικοὺς, ὡς τὰ λεγόμενα πρὸς τὴν πόλιν, πρὸς τοὺς πολίτας λέγεται. ὡς τὸ, Ἱερουσαλὴμ Ἱερουσαλὴμ ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας.... οὐ γὰρ ἡ πόλις ἀπέκτεινε, ἀλλὰ οἱ πολῖται; idest, *quæ cælo & terræ dicuntur, his dicuntur qui ratione præditi sunt in cælo, & in terra; quemadmodum quæ urbi dicuntur, civibus dicuntur, veluti illud*, Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas. *Nec enim urbs occidit, sed cives*.

Vers. 1. (האזינו *baazinu*, idest, *auscultate*, *attendite*, *aures arrigite*.) Recte lxx Intt. vertunt πρόσεχε; verbum enim hebræum האזין *attendit* potius significat, quam *audivit*; derivaturque ex nomine אזן, quod est *auris*: qua ratione & iidem lxx Interpretes ex nomine οὖς. ὠτὸς alibi fecerunt verbum ὠτίζω. Hoc etymon verbi האזין ut exprimerent nonnulli, novum excogitarunt vocabulum *auriculavit*. At hujus rei gratia tam barbaram vocem fingere necesse non erat: nam & latinorum verba *audio*, atque *ausculto* ex nomine *auris* derivata sunt, quamvis hujus derivationis ratio ita in promptu modo non sit, uti fuit apud latinos veteres, qui *audes*, *auses*ve appellabant (3), quas modo *aures* dicimus.

(השמים *hasshamaiim*, idest, *o cæli*.) Vox isthæc hebræa שמים quamvis pluralis numeri sit cum forma duali, atque ab inusitato singulari שמי, quod etiamnum lingua habet Æthiopica, derivari quidam putent (4), plures tamen cælos non semper significat, sed nonnumquam unum: hinc fit, ut lxx Intt. hic vertant οὐρανέ, idest, *o cælum*. Porro Abenus Hezra ex lingua Ismaelitica conjicit, שמים *altum*, & *supra* significare. Sunt etiam qui putent, eam vocem compositam esse ex שם, & מים, quasi in cælo sint aquæ; alii ex ש, & מים, quasi cælum sit aqua; alii demum ex שא, & מים, idest, *sustine aquas*, quasi cælum aquas sustineat. Sed nimis frigida ac futilia commenta sunt ista.

(ואדברה *vaadabbérah*, idest, *& loquar*.) Sic etiam lxx. Intt. habent: Vulgatus autem vertit, *quæ loquor*.

(ותשמע הארץ אמרי פי *vetishma ha-arez imrè phi*; idest, *& audi o terra dicta oris mei*.) Vertere etiam licet, *Et audiet terra*, &c. Vox autem ארץ potest hic accipi & pro terræ incolis, idest hominibus ut dixi paulo ante: quo modo accipitur in illo Geneseos (5), ותשחת הארץ לפני האלהים, idest, *& corrupta est terra coram Deo*.

Vers. 2. (יערף *jaharóph*, idest, *stillabit*, vel *fluet*.) Onkelosus vertit יבסם, hoc est, *suavis erit*: quasi pro יערף legerit יערב, ut conjicit Hugo Grotius. Lxx vero Intt. vertunt προσδοκάσθω, idest, *exspectetur*: sed hi sensum hujus loci spectasse potius videntur, quam hebræi vocabuli vim transferre voluisse. Radix porro ערף proprie significat *cervicem fregit*: sed hoc in loco multo aliter accipitur. Plerique hic vertunt *stillabit*, quasi ערף transpositis literis idem sit ac רעף; & יערף ponatur pro ירעף. Nonnulli autem vertunt *fluet*: quod verbum videtur aptius conjungi cum proxime sequenti vocabulo כמטר, idest, *sicut pluvia*.

(כמטר לקחי *cammatar likhi*; idest, *instar pluviæ doctrina mea*.) Ex verbo לקח, quod est *accepit*, doctrina hebraice dicitur לֶקַח, propterea quod ab alio eam accipimus. Apud græcos quoque

(1) in comment. cap. 1 Isaiæ ad vers. 1. (2) quæst. 47. pag. 459 operum S. Justini editorum a PP. S. Mauri. (3) Vide Calepinum sept. lingu. ad vocem *ausculto*. (4) vide Clerici comment. in cap. 1 Genes. ad vers. 1. (5) cap. vi vers. 11. Vide etiam vers. 1 capitis xi. Genes.

que *παραλαμβάνειν*, & apud latinos *accipere* affinem significationem aliquando habent.

(תזל כטל אמרתי *tizzál cattál imrathi*; ideſt, *fluet ut ros ſermo meus.*) Onkeloſus vocem תזל exponit יתקבל, ideſt, *ſuſcipiatur*: lxx vero Intt. vertunt *καταβήτω*, ideſt, *deſcendat*. At collatis inter ſe locis, in quibus occurrit radix נזל, apparet ipſam *fluendi* verbo transferendam eſſe. Defluet ergo, inquit Moſes, in audientium animos ſermo meus, quaſi ros gratiſſimus, a quo tellus fecundatur.

(כשעירים עלי דשא *kisbirîm bâle dèshe*; ideſt, *quaſi pluvia vehemens ſuper tenellam herbam.*) Harum vocum, uti & proxime ſequentium, haud ſcio an certa interpretatio tradi queat. Quid tamen alii ſenſerint, breviter indicabo. Kimchius quidem, & Marinus noſter voce שעירים *pluviam tenuem inſtar pilorum* deſignari putant; quaſi derivetur ex nomine שער, quod *pilum* ſignificat. Contra alii plures ex hebræis ſcriptoribus ea voce *ventos procelloſos* denotari cenſent. Itaque Onkeloſus quod hebraice eſt כשעירים, interpretatur chaldaice ברוחי מטרא, ideſt, *quaſi venti pluviæ*; ſeu pluvia vehementior, quæ vento flante decidit. Non multo aliter eam dictionem acceperunt Interpretes lxx, & Vulgatus, qui *imbrem* tranſtulerunt. Horum opinionem confirmat Clericus hac ratione, quod quum proxima vox דשא teneram herbam ſignificet, multo melius huic loco conveniat copioſioris pluviæ ſignificatio: naſcentibus enim herbis, inquit, conducunt majores imbres, dum eis copioſum alimentum ſuppeditant; grandiores vero herbas humi affligunt, & putrefaciunt. Quod ſi eam, quam dixi, vocem ita explicemus, ut Clericus explicat, perbelle reſpondebunt duo poſtrema commata hujus verſiculi duobus primis: in primo enim verſiculi hemiſtichio ſermones ſuos Moſes pluviæ primum comparat, deinde rori, quæ eſt pluvia multo tenuior: ſimiles vero comparationes eodemque ordine erunt & in altero hemiſtichio.

(וכרביבים עלי עשב *vecbirbbibblm bâle bèsbebb*; ideſt, *& ſicut pluvia tenuiſſima ſuper herbam grandiuſculam.*) Hæc eadem verba exſcripſit Michæas cap. v. (1), ubi ſic ea tranſtulit Aquila, *ὡς ψεκάδες ἐπὶ πόαν*, Theodotion vero in hunc modum: *ὡσεὶ νιφετὸς ἐπὶ χόρτον*. Nonnullorum tamen ſententia רביבים idem eſt ac מטר החוק, ſeu *pluvia vehemens*. Sed malim cum pleriſque *pluvias tenues* interpretari, quæ propter guttarum multitudinem vocentur רביבים ex רבב, quod eſt *multus fuit*. Simili ratione hanc vocem acceperunt tum lxx Interpretes, qui aliis in locis vertunt *ςαγόνες*, ideſt, *guttæ*; tum Vulgatus, qui transfert *ſtillæ*, tum denique Onkeloſus, qui reddit רסיסי מלקושא, ideſt, *guttæ pluviæ ſerotinæ*. Quin hæc interpretatio confirmatur ſubſequenti voce עשב, quæ herbam grandiorem deſignat: nam altioribus herbis utilior eſt plerumque tenuior pluvia, quam vehementior: tenuis enim pluvia, *non univerſa ingurgitans, diluenſque, ſed quomodo ſititur deſtillans, velut ex ubere alit omnia, quæ non inundat*, ut de nive liqueſcente ait Plinius (2).

De vocibus דשא, & עשב vide verſ. xi capitis i Geneſeos, & Interpretes ad eum locum, itidemque verſ. 25 capitis xxvii libri Proverbiorum, unde apparet, דשא eſſe herbam teneram & humiliorem, עשב vero grandiorem.

Imbris porro, ac roris, itidemque vehementioris, placidioriſque pluviæ comparationibus non tam dicentis facundiam, atque orationis jucunditatem, quam effectus, quos in auditorum animis præſtari ſermonibus ſuis volebat Mo-

(1) verſ. 6. (2) Hiſt. Nat. lib. xvii cap. 2.

Moses, designari crediderim. Similes vero comparationes, quibus res aliqua grata, & salubris indicatur, crebro occurrunt in sacris libris. *Quomodo descendit imber*, inquit Deus apud Jesahiam (1), *& nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum.* Salomon quoque in Proverbiis (2), *sicut ros*, inquit, *super herbam, ita & hilaritas regis.* Jobus itidem (3) ut verba sua avide excepta indicaret, *stillabat*, inquit, *in eos sermo meus, exspectabant me instar pluviæ, & ad serotinum imbrem os aperiebant.* Denique Sirachides (4): *& ipse*, inquit, *tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.*

Vers. 3. (כי שם יהוה אקרא *ki shem Jehovàh ekrà*; idest, *quoniam nomen Jehovæ vocabo.*) Vocare nomen Domini est ejus opem implorare, aut eum laudibus celebrare. Hæc porro verba & cum superioribus connecti possunt, ut fecerunt LXX Interpretes, & cum subsequentibus, ut est in hebræo exemplare: præsertim quum particula כי verti possit tum *quia*, tum *quando*, sive *quum.*

(הבו גדל לאלהינו *habbù gòdel lElohènu*; idest, *date magnitudinem Deo nostro.*) Præfandi finem facere videtur Moses his verbis, quibus non jam cælum & terram alloquitur, ut initio, sed ipsos Israelitas. Date, inquit, & vos, dum ipse Dei nomen invoco, date, inquam, magnitudinem Deo nostro; ipsum solum magnum, atque omnipotentem agnoscite, ac prædicate: Diis autem alienigenarum ne majestatis quidquam, aut potentiæ tribuatis.

Vers. 4. (הצור *hazzùr*; idest, *Petra.*) Deum commendat Moses in hoc versiculo, quod sanctissimus, quod summæ fidei, quod justissimus, quod rectissimus sit. Quæ omnia hic diserte præmonet, tum ut gravior sit objurgatio, quam subjicit, tum vero etiam ne Israelitæ ærumnis aliquando vexati Deum accusarent, dicerentque, *non est æqua via Domini*, id quod revera dixerunt postmodum, teste Ezechiele (5). Animadvertendum vero est, Scriptores sacros pluribus modis, ac nominibus eamdem rem sæpenumero declarare, uti Moses facit hoc in loco, ut scilicet quammaxime significent quod volunt. Quanquam nonnulla nomina modo nobis videntur synonyma, quæ fortasse hujus modi non erant Mosis tempore, tametsi nunc certa discriminis ratio vix statui queat.

Prima vocis צור litera צ in plerisque impressis, & manu scriptis Bibliis est רבתי, seu *majuscula*, quamvis a Massoretis inter literas majusculas non recenseatur. Id quod sufficiat indicasse: nec enim æquum est, inania Hebræorum commenta nos morari. Itaque vocabuli significationem potius perpendamus. Vox ergo hæc hebræa צור proprie *petram*, seu *rupem* denotat: immo inde *Tyrum*, seu *Sarram* dictam vult Christianus Vormius (6), quod inter altas præruptasque rupes ea urbs veluti suspensa esset. Deus tamen etiam hebraice sæpius vocatur צור, & in hoc ipso cantico occurrit non raro sub hac notione. Hoc modo acceptam vocem צור LXX Intt. modo vertunt θεὸν, ut hoc in loco, modo κτίστην (7), modo κύριον, modo βοηθὸν, modo φύλακα, modo etiam aliter. Jam vero quamvis voce צור Deum sæpenumero designari constet, unde tamen factum sit, ut hoc ei nomen tribueretur, certo non constat, sed conjecturis investigandum est. Ac pri-

(1) cap. lv vers. 10. (2) cap. xix vers. 12. (3) cap. xxix vers. 22. (4) cap. xxxix vers. 9. (5) cap. xviii vers. 25. (6) tom. 2 Thesauri Antiq. Sacr. ab Ugolino edit. pag. 245. (7) lib. 2 Sam. cap. xxii vers. 32.

mum quidem Deus dici potest צור quasi יוצר, idest *formator*, sive creator: nonnumquam enim radix צור idem valet ac יצר, idest *fingere*, ac *formare* (1). Hanc notationem nominis צור in animo habuisse videntur LXX Interpretes, quum verterunt *κτίστην*. Eamdemque fortasse indicant hæc Mosis verba (2), צור ילדך, idest, *Zur, qui te genuit*. Dici etiam rectissime potest, Deum vocari צור, seu *petram*, ac *rupem*, translatione ducta vel ab his, qui persequentibus inimicis se se recipiunt in rupem aliquam excelsam, præruptam, & omni ex parte munitam; vel ab ipsius petræ stabilitate: ut nimirum hæc denominatio significet, ad Deum debere Israelitas, atque adeo omnes homines confugere, in eoque duntaxat sibi confidere; vel ut Dei fortitudo, sublimitas, fidesque, qua firmissime stat promissis, eo nomine indicetur.

(תמים פעלו *tamim paholó*; idest, *perfectum est opus ejus.*) Illud dicitur esse תמים, quod omni ex parte perfectum sit, sanctum, integrum, immaculatum, in quo demum nihil sit quod reprehendatur. Itaque Moses divinam providentiam commendaturus, ejus modi esse prædicat omnia Dei opera, in primisque ea, quæ sive benefaciendo Israelitis, sive illos puniendo gessit. Sunt tamen qui paulo aliter explicent hæc verba, ita nimirum ut significent, Deum jam perfecisse, quod patribus promiserat: jam enim prope aberant Israelitæ a Chanahanitide. Sed prior interpretatio mihi magis probatur. LXX quoque Intt. vertunt, *ἀληθινὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ*, idest, *vera* (sive, ut explicat Euthymius, *irreprehensibilia*) *opera ejus*.

(כי כל דרכיו משפט *ki chol derachàv mishpát*; idest, *quoniam omnes viæ ejus judicium*, hoc est, *justissimæ*.) *Viæ* Dei sunt ejus opera, aut agendi modus. Vox vero משפט, quæ in sacris libris sæpissime occurrit, plurimis modis accipitur: hic autem videtur pro *justitia* usurpari. Vide, si libet, Marini Thesaurum.

(אל אמונה *El e-nunàh*; idest, *Deus veritatis.*) Verti etiam potest, *Deus fidei*, seu *fidelitatis*, ac *firmitatis*: ut scilicet quod semel pollicitus fuerit, id necessario futurum sit.

(ואין עול *veén hável*; idest, *& sine injustitia.*) עול id omne comprehendit quod sit contra jus.

(צדיק וישר הוא *zaddik, vejashàr hu*; idest, *justus, & rectus est ipse.*) Diversis verbis eadem pene quæ dixerat, hic repetit: id quod non raro faciunt Scriptores Sacri, ut monui paulo ante.

Vers. 5. (שחת לו לא בניו מומם דור עקש ופתלתל *shibéth lo lo banàv mumàm dor hikkésh uphthaltól*; idest, verbum e verbo, *corrupit ei non filii ejus macula eorum, generatio prava, & perversa.*) Implexus valde, ac perdifficilis ad explicandum hic locus est; adeo ut vix ulla verborum structura appareat, eorumque concursus asper, & hiulcus videatur. Ut enim cetera præteream, verbum שחת cum quo nomine jungi debeat, non constat: si enim illud jungas cum דור, quid durius? quid magis hebraicæ linguæ ingenio contrarium? sin autem jungere velis cum בניו, obstare videbuntur leges grammaticæ (3). equidem suspicor, exscriptorum inscitia, aut incuria vitiatum hic esse hebræum exemplar; suspicionemque meam augent tum codex Samaritanus, tum etiam LXX Intt. versio, & Onkelosi explanatio. Samaritæ quidem sic legunt שחתו, לא לו בני מום, id est, *corruperunt se, non ei sunt filii maculæ*. Quæ videtur esse germana lectio hujus loci: ponitur enim שחתו pro שחת, itemque לא לו pro לו לא, ac demum בני מום pro בניו מומם. LXX etiam Interpretes ita videntur legisse, uti nunc est in exemplare Samaritano: sic enim vertunt, *ἡμάρτοσαν, οὐκ αὐτῷ τέκνα μωμητὰ*, idest, *peccaverunt, non*

ei

(1) vide ps. 139 vers. 5. (2) vers. 18 hujus cantici. (3) dici tamen potest hic esse numeri enallagen.

ei filii vituperabiles, vel *contaminati*. Quin & ex Onkelosi explanatione chaldaica suspicari possumus, enm aliter legisse, qnam nunc hebræum exemplar habet: sic enim transfert חבילו להון, ולא ליה בניא דפלחו לטע תא, idest, *nocuerunt sibi ipsis, non ei, filii*, qui *coluerunt idola*. Vulgatus denique Interpres perinde vertit, quasi sic legerit, שחתו לו ולא בניו במומים, vertit enim, *peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus*.

At quamv.s hæc ita se habeant, danda tamen opera est, ut hic versiculus, qualis nunc est in hebræo exemplari, explicetur: præsertim quum omnes hebræi codices sive typis editi, sive manu exarati eodem modo se habeant. Itaque proposita verba ita videntur esse intelligenda, quasi hoc modo constructa, atque ordinata legerentur, שחת לו דור עקש ופתלתל לא בניו במומם, idest, *corrupit se generatio prava, atque perversa*, qui *non* sunt *filii ejus in macula sua*. Sed singula copiosius sic explico.

(שחת *shibéth.*) Hoc verbum plerumque idem valet, atque *corrupit*; aliquando tamen mea quidem sententia significat *corrupit se*, sive *corruptus est*. Usurpatur autem a sacris scriptoribus, quum de superstitioso falsorum numinum, atque idolorum cultu sermo est, ut videre licet in Exodo (1). Itaque gravissimum istud crimen hic procul dubio designatur, quod jam admiserant Israelitæ (2), iterumque admissuros esse prævidebat Moses, cultus scilicet falsorum numinum.

לו valet tum *ei*, tum *sibi*. Hoc in loco qui vertunt *ei*, pronomen istud referunt ad Deum, atque ea verba שחת לו explicant in hunc modnm, *corrupit ipsi* (nimirum Deo) *fidem, & pactum*; quidpiam enim addendum putant. Sed hæc interpretatio mihi non arridet. Malim potius sic interptetari, *corrupit se ei*, nempe Deo; idest, mores suos depravavit in Dei dedecus. Recte etiam לו vertere possumus *sibi*: verbum enim שחת aliquando conjungitur cum dandi casu, ut in illo Numerorum (3) ושחתם לכל העם הזה, idest, verbum e verbo, *& corrupistis omni populo huic*: quod latine diceremus, *& corrupistis populum hunc omnem*. Eodem igitur modo, ut equidem existimo, שחת לו verti potest ad verbum, *corrupit sibi*, idest latina syntaxi, *semetipsum corrupit*.

(לא בניו *lo banáv*; idest, *non filii ejus.*) Qui a vero Deo ad falsa numina descissunt, ii fœdissime corrumpuntur, nec jam Dei filii merentur dici.

(מומם *mumám.*) Ex hac voce מום ductum videtur Marino græcum vocabulum μῶμος, quod reprehensionem, ac vituperationem, & fictitium quemdam convicii Deum denotat. LXX sane Interpretes hebraicæ vocis sonum spectasse videntur, quum vertunt μωμητά. Porro מום vitium, sive maculam corporis, aut animi significat: itaque מומם reddi debet *macula eorum*. At quid sibi vult totum hoc, *non filii ejus macula eorum?* Equidem sic interpretarer, *non sunt filii ejus in macula eorum*: quasi מומם positum sit pro במומם; idest, propter maculam eorum, maculam scilicet ex infidelitate contractam: de hac enim potissimum loqui videtur Moses, ut jam monui. Dixerat autem in superiore versiculo, Dei opus esse תמים, videlicet *immaculatum*: itaque recte nunc negat eos esse Dei filios, qui *macula* aliqua inquinati, ac vitiati sint.

(דור *dor*, idest, *ætas*, sive *hominum progenies.*) Homines qui certa aliqua ætate, aut seculo vivunt, uno vocabulo hebraice dicuntur דור, quod LXX Interpretes vertunt γενεὰ, Vulgatus *generatio*, ego autem verti *ætas*. Eamdem

 enim

(1) cap. XXXII vers. 7. (2) Vide idem cap. XXXII Exodi. (3) cap. XXXII vers. 15. Vide etiam lib. 1. Sam. cap. XXIII vers. 10.

enim cum hebræo hoc vocabulo significationem aliquando habet hæc latinorum vox *ætas*, ut in illo Horatii (1): *Quid nos dira refugimus Ætas?*

(עקש ופתלתל *bikkésh uphthaltól*; idest, *perversa, & pravissima.*) Illud hebraice dicitur esse עקש, quod distortum, perversumque sit, seu quod a recto deflectat: sibi enim invicem opponuntur duæ radices עקש, & ישר, ut patet ex illo Michææ (2), את כל הישרה יעקשו idest, *omne rectum pervertent*, seu *distortum facient*. Ejusdem cum עקש significationis est etiam vox altera פתלתל, uti constat ex hisce Davidis verbis (3), עם עקש תתפתל, idest, *cum perverso perverteris*. Attamen duplicatio literarum radicalium in voce פתלתל significationem auget, ut proinde *depravatissimum* significare videatur.

Vers. 6. (הליהוה *halJovih*, idest, *numquid Domino*). Prima hujus hebrææ vocis litera ה in hebræis exemplaribus nunc est רבתי, seu *majuscula*: ex qua scriptione Rabbini perridiculo, ut solent, nescio quæ mysteria eliciunt. De literis hisce majusculis vide quæ scribit Brianus Valtonus (4).

(תגמלו זאת *tighmelú zoth*; idest, *retribuetis hoc?*) Quod ipse verti *hoc*, in hebræo exemplare est *hanc*: hebræi enim quum neutro genere careant, feminino id efferunt, quod latini neutro. Hinc fit, ut verba illa Davidis (5), אחת שאלתי מאת יהוה, אותה אבקש, apud Vulgatum Interpretem sic legantur, *Unam petii a Domino, hanc requiram*; idest; *unum petii, hoc requiram*.

Vehementissimis porro verbis in Hebræos hic invehitur Moses, quod a Deo ad falsa numina desciverint, tametsi maximis ab ipso beneficiis aucti. At dici etiam potest, divinum vatem prophetico spiritu Christi Domini mortem prævidisse, eamque ob rem in Hebræos ingratissimos, a quibus crudelissime affigendus erat cruci, invectum esse, uti nunc invehitur Ecclesia in Missa feriæ sextæ in Parasceve (6), ubi Christi necem vehementissime dolens, eadem fermo exprobrat Hebræo populo, quæ ipsi Moses in hoc cantico exprobravit.

(עם נבל, ולא חכם *ham nabbál, veló hachám*; idest, *popule stulte, & non sapiens*: hoc est, *populo stultissime.*) Stultum, nequam, ac nebulonem hebræi vocant נבל; immo vocem ipsam *nebulo* inde ductam Marinus putat. Porro hæc loquendi formula, *stultus & non sapiens*, stultissimum significat: nonnumqam enim hebræi, quo majorem orationi vim addant, non modo affirmant quod volunt, sed etiam contrarium negant. Hujus rei plura exempla invenies in sacris libris, cujus modi sunt hæc: nimirum in capite nono (7) Deuteronomii: *memento & ne obliviscaris*; & in capite xxx ejusdem libri (8): *vivat Ruben & non moriatur*: & apud Jesahiam (9): *morieris tu & non vives*.

(הלוא הוא אביך? *haló hu abhícha*; idest, *an non ipse est pater tuus?*) Deus peculiari quodam modo Hebræorum pater erat, ut testatus est ipsemet in Exodo (10) his verbis: *Filius meus primogenitus Israel*. Id potissimum indicare voluit Moses, non solam creationem, per quam non modo Israelitarum, sed omnium omnino hominum pater est Deus.

(קניך *kanécha*; idest, *qui acquisivit te.*) Respicit servitutem Ægyptiacam, a qua Israelitas redemit Deus. Clericus putat verti debere *genitor tuus*; ut אביך, & קניך sint synonyma. Sed de radice קנה vide quæ dixi in explanatio-

(1) lib. 1 Od. 35. (2) cap. III vers. 9. (3) psalm. 18 vers. 27. (4) in apparat. Biblic. in dissert. *de Masora, Keri, Ketib*, &c. Vide & Jo. Clericum ad hunc locum, & Jo. Buxtorf. Comm. Mass. c. VI. (5) psalm. 26 vers. 4. (6) in *improperiis*, ut vocant, quæ sic incipiunt: *Populo meus quid feci tibi?* &c. (7) vers. 7. (8) vers. 6.
(9) cap. XXXVIII vers. 1. Vide & cap. XXXIX vers. 4. (10) cap. XXIV vers. 22.

tione versiculi XVI superioris cantici (1).

(הוא עשך, ויכננך *hu hasechà, vaschonenécca;* ideft, an non *ipse fecit te, & firmavit te?*) Oleaster, aliique complures negant hunc locum de creatione intelligendum esse, sed de constitutione Reipublicæ hebraicæ explicandum censent, cujus auctor fuit Deus, ut fuse ostendit Ezechiel in capite XVI, ubi Hebræi populi infantiam, atque adolescentiam, & perpetua Dei in ipsum beneficia perquam elegantissime describit (2). LXX porro Interpretes vocem ויכננך sic vertunt, καὶ ἔπλασέ σε, idest, *& formavit te.* Simili modo Vulgatus interpres vertit, *& creavit te.* Itaque hos pro ויכננך legisse ויבנך, suspicatur Calmetus. E contrario Clericus putat, כונן, & עשה affinis esse significationis, propterea quod כונן & sæpe cum עשה conjungatur (3), & alicubi (4) *condere*, aut *instaurare* urbem significet (5).

Vers. 7. (זכר ימות עולם *zechór jemóth holám;* idest, *memento dierum seculi.*) Memoria, inquit, repete prisca tempora, quibus te Deus tot beneficiis cumulavit. Vox hebræa עולם (6) longinquum ac remotum tempus significat, non modo quod futurum sit, sed etiam quod transactum fuerit, ut hoc in loco: itaque latinorum vox *olim* hinc videtur derivari; namque עולם (*holám*), & *olim* tum sono, tum significatione fere congruunt.

(בינו שנות דר ודר *bìnu shenóth dor vadór;* idest, *considerate annos ætatis & ætatis.*) In proxime superiori hemistichio verbum adhibet Moses singulare, in hoc autem plurale; quæ numerorum mutatio in latino sermone invenusta est, sed in hebræo non item. De voce דור dixi alias (7). Quod autem nos latine dicimus *singulas ætates*, id sua lingua hebræi dicunt *ætatem & ætatem.*

(שאל אביך, ויגדך, זקניך, ויאמרו לך *sheàl abhìcha, vejaggbédcha, zekenécha, vejómeru lach;* idest, *interroga patrem tuum, & indicabit tibi, senes tuos, & dicent tibi.*) Sunt qui putent (8), voce quidem אביך, idest, *patrem tuum*, Mosem ipsum, qui dux populi erat, & quodammodo pater: voce vero altera זקניך, idest, *seniores tuos*, Josuam Nunis filium, & Chalebum filium Jephunnæ designari; hi enim soli supererant ex omnibus Israelitis, quos ex Ægypto eduxit Deus. At mea quidem sententia Moses, per poeticum elegantemque tropum, omnem Israelitarum non modo sui æqualium, sed & nepotum, posterorumque populum alloquitur, perinde quasi esset unus homo: quod autem ad universos Israelitas dicit, ad singulos referendum puto, quasi diceret, Interrogate singuli patres vestros, ac seniores.

Vers. 8. (בהנחל עליון גוים *beanhèl Heljón goìm;* idest, *quum possessiones* (sive *prædia*, aut *agros*) *daret Altissimus gentibus.*) Deus post diluvium regiones cunctis gentibus distribuit. Ita, exempli causa, in Deuteronomio (9) Deus ipse Idumæis Sehirem montem, Moabitis vero Harem possidendum se dedisse testatur. *In possessionem*, inquit, *Esau dedi montem Seir..... filiis Lot tradidi Har in possessionem.* Hæc tamen omnia non ita videntur esse accipienda, quasi Deus, sicut Israelitas Chanahanis terram occupare aperte jussit, ita certam quamque regionem a certa gente aperte jusserit occupari. Sed quum Dei providentia mundus universus administretur, proinde Moses agros, ac regiones unicuique genti a Deo datas dicit. Deum vero

(1) pag. 28 col. 2; & pag. 29 col. 1. (2) vide etiam Jesahiam cap. XLIII vers. 7, & 21; & cap. XLIV vers. 21. (3) cap. XLV Jesahiæ vers. 18; & psalm. CXIX vers. 73.
(4) Num. cap. XXI vers. 27; psalm. LXVIII vers. 10; Hab. cap. 2 vers. 12. (5) de radice כונן vide quæ dixi pag. 20 col. 2. (6) de voce עולם vide quæ dixi pagg. 30, & 31.
(7) pag. 43, & 44. (8) vide Euthymium ad hunc locum. (9) cap. 2 vers. 5, & 9.

vero vocat עליון, sive Excelsum, aut Altissimum, ut indicet, ipsum esse summum Deorum Deum, ac rerum omnium Dominum, id quod David etiam significat, quum ait (1) כי אתה יהוה עליון על כל הארץ; מאד נעלית על כל אלהים idest, *quoniam tu Domine Altissimus es super omnem terram, valde exaltatus es super omnes Deos*. Hoc porro unius Jehovæ proprium nomen Phœnices ab Hebræis mutuati sunt, illudque Deo cuidam suo, quem cum uxore Βήρυθ cælum ac terram genuisse censebant, perperam tribuerunt: ipsum enim vocarunt ἤλιουν, idest, ut interpretatur Philo Byblius (2), ὕψιστον, sive Altissimum.

(בהפרידו בני אדם *behaphridó bené Adám*; idest, *quum separaret Adami filios*.) De Noahi nepotibus, posterisque sermonem hic habet Moses, quos בני האדם vocat etiam in Genesi (3). Ex his oriundæ familiæ post diluvium divisæ (4), atque ex Babele per omnem terram a Deo dispertitæ sunt (5). Animadvertendum est autem, nomen illud *Adám* non modo proprium esse posse, sed etiam appellativum; ut enim apud latinos ex *humo* dictus est *homo*, ita apud hebræos ex *adamáh*, idest *terra*, homo dictus est *adám*; quod scilicet e terra factus sit. Itaque quod hic legimus בני אדם, vertere etiam licet *filios hominis*, hoc est *homines*.

(יצב גבלת עמים *jazzébh ghebhulóth hammím*; idest, *statuit terminos populorum*.) יצב esse infinitivum, non vero præteritum, fidenter affirmat Munsterus, qui proinde primam vocis literam *jod* habet ut radicalem, non ut tertiæ futuri personæ notam. Sed fallitur, ut equidem arbitror; primum enim radix יצב nusquam alibi hoc modo sumitur; deinde si res ita se habeat, ut vult Munsterus, mutila sit oportet, ac manca loci sententia, ut ei liquido constabit, qui totum versiculum legerit. Itaque hoc in loco יצב non infinitivum est, sed futurum ex הציב, præterito tamen vertendum (6). Quod autem ait Moses, Deum populorum terminos constituisse, id & divinus Paulus docet, clariusque exponit (7) his verbis: ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, quæ verba Vulgatus Interpres transfert in hunc modum: *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora* (8), *& terminos habitationis eorum*.

(למספר בני ישראל *lemispár bené Israél*; idest, *pro numero filiorum Israelis*.) Multo aliter verterunt hunc locum LXX Interpretes, apud quos ita se habet: κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ, hoc est, *secundum numerum Angelorum Dei*. Quare ipsi aut pro בני ישראל legerunt, ut equidem conjicio, מבשרי אל, idest, *nunciorum Dei*; aut, tribus omissis literis י ש ר, legerunt בני אל, idest, *filiorum Dei*; aut demum Israelis nomen ita hic accipiendum censuerunt, quasi significet *Dominatorem fortem*, vel *dominatorem Deum* (9); ideoque בני ישראל *filios dominatoris Dei*, sive *Angelos Dei*, interpretati sunt. Aliter tamen sentit doctissimus Augustinus Steuchus (10); is enim, *non dubium est*, inquit, *quin locus is apud Lxx sit depravatus ex alio ei simili* κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ, secun-

(1) in psalm. xcvii vers. 9. (2) Vide fragmentum Sanchoniathonis apud Eusebium lib. 1 Præp. Euang. cap. 10. (3) cap. xi vers. 5. (4) Vide vers. 32 capitis x Geneseos, totumque ipsum caput. (5) vide verss. 8, & 9 capitis xi Genes. (6) vide quæ dixi pag. 24 col. 2. (7) in versiculo 26 capitis xvii Act. Apost. (8) vide versiculum 16 capitis xv Genes. (9) vide quæ dixi de voce אל pag. 6 col. 2. Vide etiam, quæso, quæ dicta sunt de nomine ישראל ad postremum versiculum superioris cantici, pag. 32 col. 2. (10) in *Recognitione veteris testamenti ad hebraicam veritatem*, ad hunc locum.

secundum numerum angelorum Dei. *Est, ut dixi, hoc ex alio loco desumptum, ubi id dicitur, quod huc transpositum est, non ab ipsis factum.* Hactenus Steuchus. Sed quisnam sit locus ille, unde desumpta putat ea verba, κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ, fateor me ignorare.

LXX Interpretes hac in re secuti sunt quamplures Ecclesiæ Patres, quorum loca profert, expenditque doctissimus vir Petavius (1), tum hæc subjicit (2): Ceterum quum omnes isti, aliique, quos omittimus, Patres illa Mosis in Cantico verba sic ex græca editione capiant, tanquam Angelorum per nationes officia distributa sint, difficile est tamen eorum sententiam exponere. Nam quid sibi ista volunt: *Constituisse Deum terminos populorum, juxta numerum Angelorum Dei?* An plures Angeli non sunt, quam populi, vel regiones, aut provinciæ? Origenes quidem libro quinto contra Celsum partitionem illam populorum, quæ pro numero Angelorum instituta dicitur, refert ad eam linguarum divisionem, quæ Geneseos undecimo capite memoratur, in qua duæ & septuaginta linguæ, totidemque primigenii populi numerari solent. Sed quis ferat non plures dici Angelos, quam septuaginta duos? An ut præcipui quidam populi significantur, sic etiam certi ac præcipui intelligendi sunt Angeli, quibus peculiaris est illorum cura commissa? .... An plures Angeli singulis populis præsident, & turmatim illi pro populorum numero partiti sunt? Nihil horum est, in quo animus acquiescat. Sed neque Gregorii Papæ (3) probabilis est ratio, qui tantum hominum in cælum ascendere, *quantos illic contigit electos Angelos remansisse*, ex Deuteronomii illis verbis colligit; tanquam Moses dixerit definitum, ac terminatum esse gentium, idest hominum electorum, numerum secundum numerum electorum Angelorum. Cui nemo, ut opinor, assentietur. Hæc Petavius.

Porro quamvis plures e sanctis Patribus cum LXX Interpretibus legerint *secundum numerum Angelorum Dei*, fuerunt tamen etiam, qui legere mallent *secundum numerum filiorum Israel*, ac præ ceteris Origenes (4), & Hieronymus (5). Praterea hebræi exemplaris lectionem habet etiam exemplar Samaritanum; cum utroque vero consentiunt versiones tum Oncheloſi, tum Aquilæ, tum Symmachi, tum Vulgati interpretis, tum aliorum quoque. Quorum omnium auctoritate moveor, ut omnino legendum putem, *secundum numerum filiorum Israelis*. Nec quemquam probaturum censeo, quod Clericus totum hoc Mosis canticum in versiculos similiter desinentes dividens, observato ὁμοιοτελεύτῳ, conjicit (6), pro למספר בני ישראל legendum esse למספר בני ירשם, idest, *pro numero filiorum possessionis eorum*, seu *pro numero eorum colonorum*. Nefas enim est ullam vel minimam in sacros libros mutationem inducere, quacumque id tandem de causa fiat.

Quid ergo, inquies, sibi hoc vult, *Deum statuisse terminos populorum pro numero filiorum Israelis?* Difficultatis sane, & obscuritatis habent ista verba non-

(1) Theologicor. dogm. de Angelis libro 1 cap. 8; sive tomi 3 pag. 73, & seqq.
(2) numero x. (3) homil. 34. (4) in homil. XIII in Ezechielem, quæ ab Hieronymo latine reddita exstat in tomo 5 operum ipsius Hieronymi Veronæ a Vallarsio editorum anno 1736. *Secundum numerum* (inquit Origenes pag. 993) *Angelorum Dei*, sive, ut melius habet, *secundum numerum filiorum Israel*. (5) Commentariorum in Ezechielem lib. 9 ad caput Ezechielis 28, sive tomo 5 editionis Vallarsianæ pag. 328, ubi hæc habet Hieronymus: *Juxta numerum Angelorum Dei*, sive, ut melius habetur in hebraico, *juxta numerum filiorum Israel*. (6) in Notulis ad hoc Mosis canticum metrice descriptum, quæ exstant post ipsius Clerici comment. in cap. XXXII Deuteronomii.

nonnihil. Difficultatem tamen omnem sublatam putat Calmetus, si totum hunc octavum versiculum, & nonum ex hebræo in latinum sic convertamus: *Quum singulis nationibus tribuit Altissimus hereditatem, quum dispersit filios Adam, & cuilibet populo suos fines constituit: tunc filii Israel parvo erant in numero, quum Dominus elegit populum suum, & Jacob factus est hereditas ejus.* At num hujus modi interpretationem patiantur hebræa verba, judicent alii: mihi quidem nullo modo eam videntur pati.

Aliam hujusce versiculi explicationem afferunt nonnulli tum Ecclesiæ Patres, tum Rabbini. Hi primum illud statuunt, Jacobi, sive Israelis filios, ac nepotes, qui in Ægyptum perrexerunt, fuisse septuaginta, uti constat ex Genesi (1), Exodo (2), & Deuteronomio (3), quamvis in Genesi (4), & in Exodo (5) LXX Interpretum translatio non septuaginta ipsos exhibeat, sed quinque & septuaginta. Illud præterea statuere conantur, Noahi nepotes fuisse septuaginta; ex eodem enim Geneseos libro (6) colligi putant, totidem fuisse familiarum capita ex Noahi filiis derivata, ex Japheto scilicet quatuor ac decem, ex Chamo triginta, ex Semo autem sex & viginti. His præmissis versiculum hunc ita exponunt ut significet, Deum post diluvium, & Babylonicæ turris ædificationem tot in universo terrarum orbe populos, seu gentes esse voluisse, quot Jacobi filii ac nepotes in Ægyptum olim migraturi erant, nimirum septuaginta. At hæc quoque explanatio, videtur rejicienda: ut enim ostendit Brianus Valtonus (7), neque ex Genesi, neque ullo alio ex loco probari potest, gentes per omnem terrarum orbem dispersas fuisse septuaginta.

Probabilior itaque eorum interpretatio est, qui versiculum hunc ita explanant. Deus scilicet quum regiones & agros cunctis gentibus distribuit, tantum agri Hethæis, Gergezæis, Amoræis (8), aliisque Chanahanitidis incolis dedit, quantum olim Israelitis, qui eas gentes deleturi erant, excipiendis, alendisque satis futurum esset. At hoc sine exemplo est, inquit Clericus, ut Chanahanitidis incolæ *populi* λαοὺς dicantur. Sed, ni fallor, vox עמים, idest *populi*, eodem modo accipitur in versiculo XIV superioris cantici: ibi enim Moses, *Audivere*, inquit, *populi* (trajectionem scilicet maris Erythræi), *& timore perculsi sunt*. Quosnam autem timore tunc perculsos rectius putemus, quam illas, quas jam dixi, gentes, quarum regio Israelitis jam pridem a Deo promissa fuerat? Rectissime itaque generali *populorum* vocabulo certos aliquos populos, ideoque hic illos, de quibus memini, intelligere licet.

Vers. 9. (כי חלק יהוה עמו *ki helek Jehovah hammò*, idest, *quoniam pars Domini populus ejus.*) Putat Quirosus (9) hæc verba sic etiam transferri posse: *quoniam pars Dominus populi sui*. At Mosis menti absonam esse hujus modi interpretationem, patet ex verbis proxime subsequentibus. Porro ex חלק, quod valet *partitus est*, derivatur חלק, quod *partem* (10) significat, sive id, quod alicui obtingit, aut quod quis deligit, post divisam in partes hereditatem. Quum ergo Deus ex omnibus terræ populis Israelitas sibi delegerit, suosque peculiari modo esse voluerit, ut Moses testatur in Deuteronomio (11); hinc fit, ut Israe-

(1) cap. XLVI vers. 27. (2) cap. I vers. 5. (3) cap. X vers. 22. (4) cap. XLVI vers. 27. (5) cap. I vers. 5. (6) cap. X. (7) in Apparatu Biblico, prolegom. I, num. 12, pag. 215. (8) vide versiculum I capitis VII Deuteronomii. (9) in Comment. exeget. literalib. ad hunc locum. (10) Gallice diceres *partage*. (11) cap. VII vers. 6, & cap. X vers. 14, & 15.

Israelitarum populus *pars Domini* vocetur hoc in loco.

(יעקב *Jahacóbh*, sive *Jacobus*). Ita vocat Moses Israelitas, quod Jacobi sive Israelis progenies forent, qua de causa Hebræi sæpissime etiam *Israel*, eademque ratione Idumæi *Edom*, Assyrii *Assur*, Moabitæ *Moab*, Benjaminitæ *Benjamin* nuncupantur.

(חבל נחלתו *hébbel nahalathó*; idest, *tractus possessionis ejus*, seu *mensura hereditatis ejus*.) Translata hac loquendi formula sacris Scriptoribus usitatissima idem repetit Moses, quod in superiore hemistichio dixerat, nimirum Israelitas esse veluti hereditatem Dei: ut enim homines certum terræ tractum, quem possident, carum habent, ita Deus hebræum populum possedit, dilexitque quasi *peculium de cunctis populis* (1). Porro חבל proprie est *funis*; per translationem vero *ager* quoque, aut *regio* ipsa, quam quis possidet, eo nomine appellata est, propterea quod agros olim funibus metirentur. Videtur tamen ea vox certum agri regionisve tractum, aut certum mensuræ genus nobis hodie ignotum designare, ut colligere licet ex libro Josuæ (2). Ægyptii quoque certum agri modum nomine quodam appellabant, quod *funem* significabat: græci enim scriptores illud vertunt σχοῖνον, ut Herodotus libri 2 capite 6, ubi, ὁ σχοῖνος, inquit, ἕκαστος μέτρον ἐὼν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια, idest, *singuli schœni, quæ mensura est Ægyptiaca, sunt sexaginta stadia* (3).

Vers. 10. (ימצאהו *imzaébu*.) Verbum est futuri temporis præterito vertendum, ejusdemque modi sunt quæ sequuntur. Aquila, Theodotio, & Vulgatus Interpres dictionem hanc vertunt *invénit eum*. At Onkelosus transfert סיפק צרכיהון, idest, *tribuit eis necessaria*. Eademque ratione LXX Intt. reddunt, αὐτάρκησεν αὐτὸν, idest, *sufficientia dedit ei*: quæ LXX Interpretum verba depravata censet Steuchus, ut positum sit ab exscriptoribus αὐτάρκησεν pro εὑρὲν, vel εὕρηκε.

Porro מצא sæpissime valet *invénit*; aliquando tamen significare videtur *sufficit*, *satis fuit*, vel *satisfecit*, *contentum reddidit*, ut colligitur ex his verbis capitis XI (4) libri Numerorum, ומצא להם, itidemque ex hisce aliis libri Judicum (5), ולא מצאו להם כן. Hinc ergo orta est varietas interpretationum, quam diximus. Quum tamen מצא secundo modo sumitur, construitur cum *lámed*: itaque hoc in loco quum ita non construatur, sumendum videtur priori modo. Sed illud animadvertendum est, si ימצאהו vertamus *invénit eum* (in terra deserta scilicet), id non ita posse accipi, ut denotet, Deum populo sine illius ductu in Desertum Sinai jam profecto primum se conspiciendum præbuisse, aut, ut ita dicam, forte in eum incidisse: constat enim perspicue ex libro Exodi (6), hebræum populum non ita inventum fuisse in Deserto a Deo, sed potius ab ipso Deo post maris rubri trajectionem per Desertum deductum esse.

(בארץ מדבר *beérez midbár*; idest, *in terra Deserti*.) His verbis significari videtur Arabia deserta, sive solitudo montis Sinai, aut Pharan: ibi enim ea beneficia populo hebræo collata sunt, quæ in hoc versiculo commemorat Moses: ibi leges a Deo datæ, & Israelitarum Respublica constituta est. Sunt tamen qui *terræ desertæ* vocabulis Ægyptum, alii qui Urem Chaldæorum, ubi Deus, inquiunt, Abrahamum invenit, designari censeant. Sed potior videtur prior explicatio, quam plerique

(1) Exod. cap. XIX vers. 5. (2) vide cap. XVII vers. 5. (3) Plinius tamen lib. XII Hist. Nat. cap. 14. *Schœnus, inquit, patet Eratosthenis ratione stadia xl, hoc est passus quinque. M. Aliqui xxxii stadia singulis schœnis dedere.* (4) vers. 22. (5) cap. XXI vers. 14. Vide & lib. Josuæ cap. XVII vers. 16. (6) cap. XIII vers. 18.

tradunt Interpretes, quæque sequentibus verbis confirmatur.

(ובתהו *ubbthóbu*; idest, *& in vastitate.*) Pergit Moses loqui de horribili Arabiæ solitudine, *in qua*, ut alibi (1) ait idem Moses, *erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nullæ omnino aquæ*. Porro vox hebræa *thóbu*, quam *vastitatem* interpretatus sum, regionem hic designat veluti devastatam, quæ scilicet arboribus, herbisque carens nihil habet præter rupes, ac saxa. Neque aliam significationem habet in Genesi (2), ubi *inane* designat, non illud quidem, quod Epicurus, Newtonus, aliique philosophi significant, cum *Inane* dicunt, sed quale est in regione deserta. Atque hinc fit, ut Gentium Dii vocentur *thóbu* (3), quod nimirum sint *vana* numina, vel potius *inania* nomina.

(ילל *jelél*; idest *ululatus*, sive *ululatuum*.) *Vastitas ululatuum* est desertum, in quo ululatus duntaxat ferarum, non hominum voces audiuntur. Simili ratione ingentem vastamque solitudinem describit Jesahias (4). Porro nomen istud ילל nusquam alibi occurrit: quum tamen derivetur ex יָלַל, unde & derivatur הליל, quod est *ululavit*; proinde *ululatum* transtuli. Oleaster mavult vertere *ululam*; itaque totum hoc ובתהו ילל transfert in hunc modum, *& in desolatione ululæ*; idest, in desolatione, in qua ululæ solent ululare. Alii vero putant *Jelél* esse nomen proprium cujusdam solitudinis.

(ישימן *jeshimón*; idest, *Jescimonis*, aut *solitudinis*.) Solitudo, in qua Israelitæ per quadraginta annos fuerunt, a sacris Scriptoribus Jescimon vocatur, uti apparet ex libro Numerorum (5), ex libro Samuelis primo (6), atque e psalmis LXVIII (7), & LXXVIII (8): quam solitudinem fuisse in agro Moabitico, videtur colligi ex Numeris (9). Quoniam tamen ישימן deduci potest ex radice ישם, quæ idem valet ac *desolatus est*, sive *in solitudinem redactus fuit*, proinde vocem ipsam ישימן vertere etiam recte possumus *regionem desolatam*, aut *solitudinem*.

(יסבבנהו *jesobbebhénhu*, idest, *circumduxit eum*, vel *circumdedit eum*.) Utroque enim modo vertere possumus. *Circumduxit* Deus Israelitas per anfractus, & flexus viarum annis quadraginta in deserto, uti constat ex Deuteronomio (10), & ex libro Josuæ (11). *Circumdedisse* etiam Hebræos Deus in Deserto dici potest, quod eorum custos vigil fuerit, ac defensor: quo modo istam dictionem יסבבנהו sumere videtur David in psalmi XXII versiculo 10, ubi affirmat, eum qui Domino confidat, divina benignitate *circumdari*.

(יבוננהו *jebbonenéhu*, idest, *eum erudivit*.) Israelitas Deus per Mosem cæremonias, ritusque sacrorum docuit, eisque leges sanctissimas indixit, quibus vitam ad rectam rationis normam dirigerent.

(יצרנהו כאישון עינו *izzerénhu keishón benó*; idest, *custodivit eum ut pupillam oculi sui*.) Hac eleganti comparatione mirifice declarat Moses, quanto amore Israelitas Deus prosecutus sit, quantaque diligentia eos custodierit. Oculorum enim pupillam, qua nihil nobis carius in vita est, si vitam ipsam excipias, diligentissime natura ipsa duce custodimus, quod omni vel minimo tactu lædi possit. Itaque Dominus ipse per Zachariam, ut declararet, quam sibi cari essent Judæi, *qui tetigerit vos*, inquit (12), *tangit pupillam oculi mei*.

Vers.

(1) cap. VIII Deuter. vers. 15. (2) cap. I vers. 2. vide Jo. Clerici comment. ad eum locum. (3) lib. I. Sam. cap. XII vers. 21. (4) cap. XIII vers. 22. (5) cap. XXI vers. 20. (6) cap. XXIII vers. 19. (7) vers. 8. (8) vers. 40. (9) cap. XXI vers. 20. (10) cap. I, & cap. II vers. 1. (11) cap. V vers. 4. (12) cap. II vers. 8. הנגע בכם נגע בבבת עינו. Vide & psalm. XVII vers. 8, & Proverb. cap. VII vers. 2.

Vers. 11. (כנשר *kenésher*, idest, *sicut aquila*). Comparatione ab aquila eleganter ducta explicare pergit Moses, quantam habuerit Deus Israelitarum curam. Vocem porro נשר omnes Interpretes vertunt *aquilam*: & merito quidem; in eam enim conveniunt proprietates, quæ huic avi, quam Hebræi vocant נשר, a sacris Scriptoribus tribuuntur variis in locis, quæ apud Marinum collecta habes in Thesauro (1). Unde autem aquila hebraice dicatur נשר investigantes Rabbini, futilia attulerunt. Alii enim (2) ita dictam volunt ex chaldæo vocabulo נשר, quod est *decidit*; quia scilicet postquam volatu sese extulit, inquiunt, ad elementum ignis, inde præceps in mare decidit. Alii ex שור, quod est *aspicere*; propterea quod oculorum obtutum in solem figat (3). Alii demum, teste Marino (4), ex nomine ישר, quod *rectum* significat; quod scilicet in prædam recta involet. Quæ omnia quam inepta sint, nemo non videt. Samuel vero Bochartus (5) Arabes scriptores Giavharium, Damirem, & Alcamum secutus putat aquilam ideo dici *nésher*, quod *rostro* res *carpat*, *ac vellicet*, ex arabico scilicet vocabulo *nasara*, quod est *rostro vellicare*. Rostro quidem vellicant, inquit ipse, aliæ rapaces aves: tamen rapacium principi aquilæ id peculiariter tributur, quia rostro est magis adunco, & eo carpit fortius. Ita in prædam involare commune est omnibus, quod Hebræis est העיט. Unde עיט est in genere *avis rapax*. Tamen αετὸν, vel ἀιετὸν, inde deflexum, proprium esse aquilæ nomen voluit usus apud græcos.

(יעיר קנו *jabîr kinnó*; idest, *excitat nidum suum*). Ad volatum scilicet, ut explicat Vulgatus Interpres. Ferunt enim aquilam super pullos suos sese attollere, & agitatis alis ad volatum eos excitare, primosque ἱπταλισμοὺς docere. Aliqui tamen, ut Marinus (6), sic exponunt: *excitat pullos suos ad prædam allatam*. Porro *Nidus* hic per metonymiam sumitur pro pullis in nido contentis: quo modo loquitur etiam Virgilius (7), quum ait: *Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas*.

(על גוזליו *hal gozaláv*; idest, *super pullos suos*.) Nomen גוזל bis duntaxat occurrit in sacris libris, nimirum hic, & in Genesi (8). In Genesi quidem columbæ, aut alterius avis ejusdem generis pullum, seu pipionem significat: hic autem pullum aquilæ. Videntur autem pulli dici גוזלים a verbo גזל, quod est *rapuit*; propterea scilicet quod parentum cibum rapiant, aut quod rapina vivant.

Plures uni aquilæ pullos tribuit hic Moses: id quod difficultatem facere potest: ferunt enim aquilam e pullis suis unum duntaxat alere atque educare, idque testatur Musæus (9) hoc versu: ὃς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλεγίζει (10), idest, *quæ* (nempe aquila) *tria quidem parit, duo excludit, & unum curat*. At plures aquilæ pullos memorant etiam tum auctor libri Jobi (11), tum profani quoque scriptores. Aristoteles sane (12) fatetur quidem aquilas plerumque unum pullum alere; addit tamen, *nonnumquam tres visos esse*. Plinius vero (13) de melænaeto, quæ aquila est colore nigricans, hæc scribit:

 sola

(1) ad vocem נשר. Vide etiam Sam. Bochartum in Hierozoic. part. 2 lib. 2. ex quo multa huc transtulimus; &, si libet, Oleastrum ad hunc locum. (2) vide R. Bechaium in cap. 11 Genes. (3) vide Plin. lib. x Hist. nat. cap. 3. (4) in Thesauro, ad vocem נשר. (5) Hierozoic. part. 2. lib. 2. cap. 1. pag. 164.

(6) in Thesauro, ad vocem גוזל. (7) lib. 12 Æn. vers. 475. (8) cap. xv vers. 9.

(9) apud Aristot. Hist. lib. vi cap. 6. (10) sive, ut legit Plutarchus in Mario, ἀλυβάζει, idest, *alit*. (11) cap. xxxix vers. 30. (12) in eo, quem dixi, loco. (13) lib. x hist. nat. cap. 3.

sola aquilarum fœtus suos alit: ceteræ, ut dicemus, fugant (1).

(ירחף *jerabéph*, idest, *se se agitat, motatque.*) Sunt qui radice רחף designari putent *incubitum* avium super pullis: atque hoc modo eam accipit Chaldæus interpres. At probabilius multo est, רחף idem esse ac *se se motavit.* Tribus enim duntaxat in locis occurrit ea radix, nimirum hic, in Genesi (2), & apud Jeremiam (3): in singulis autem isto, quem dixi, modo intelligi potest, sed in Genesi, multoque magis apud Jeremiam, priorem illam *incubandi* significationem respuit.

(יפרש כנפיו *iphrós kenaphdv*, idest, *expandit alas suas.*) Ut nimirum pullos ad volatum, aut ad prædam allatam excitet, sive, ut alii explicant, ut eos super alis ipsis gestandos suscipiat.

(יקחהו, ישאהו על אברתו *ikkahébu, issaébu hal ebbrathó; idest, sumit eum, ac gestat super alam suam.*) Pronomen *eum* aut valet *quemlibet ex illis*, aut per numeri enallagen sumitur pro *illos*, aut ad superius nomen *nidus* refertur, quamvis paulo remotius sit, aut denique ad populum hebræum referri debet, ut mox explicabo. An vero aquila pullos alis diutius gestet, ignorare me fateor: verisimile quidem non videtur rem ita contingere: crediderim potius cum Bocharto, pullos ipsos volaturientes, & in ipso conatu deficientes parentum alis excipi ac sustineri, donec resumtis animis rursum se se audeant aeri committere.

Ceterum totum hunc versiculum ita etiam licet exponere, ut perpetuam habeat allegoriam, in hunc videlicet modum: *Quasi aquila excitavit* Deus *nidum suum, ac super pullos suos se se motavit;* idest, Israelitis proficiscentibus animos addidit, eorumque castris in nube imminuit, cujus nubis motu ad proficiscendum excitabantur. *Expandit alas suas;* Israelitas scilicet protexit. *Sumsit eum*, nempe Israelem, cujus meminit paulo ante, *& gestavit super alas suas.* Hac ipsa loquendi ratione utitur Deus in Exodo (4), ubi Israelitas alloquens, *vos ipsi vidistis*, inquit, *quomodo portaverim vos super alas aquilarum.*

Aquilam porro describit Moses in hoc versiculo ut filiorum amantissimam: in quo eum adversari fortasse quis putet naturalis historiæ scriptoribus. Aristoteles enim (5), *ejicit*, inquit, *aquila pullos suos, antequam tempus sit, & cibatus adhuc indigos, neque dum adeptos volandi facultatem: eos autem ejicere videtur per invidiam: natura enim invida est, & famelica.* Basilius vero (6), ἀδικωτατος, inquit. περὶ τὴν τῶν ἐκγόνων ἐκτροφὴν ὁ ἀετός; idest, *aquila in educanda prole iniquissima est.* Attamen aquilarum in pullos amorem testantur multi. Æliani quidem quadragesimum caput secundi libri totum est περὶ τῆς των ἀετῶν στοργῆς. idest, *de aquilarum amore in pullos.* Oppianus quoque (7) aquilarum in pullos amorem affirmat esse perpetuum. Quare merito Hieronymus (8), *Ajunt*, inquit, *qui de animantium scripsere naturis, omnium quidem bestiarum, & jumentorum, & pecudum, aviumque ingenitum esse in filios pullosque suos affectum, sed maximum esse amorem aquilarum.* Quod autem Aristoteles ait, ab aquila pullos e ni-

(1) in eodem capite hæc etiam scribit Plinius: *pariunt ova terna: excludunt pullos binos: visi sunt & tres aliquando. Alterum excludunt tædio nutriendi.* Apud Plutarchum vero narrat Marius, se olim valde juvenem, *delapsum aquilæ nidum cum septem pullis toga excepisse.* (2) cap. 1 vers. 2. (3) cap. XXIII vers. 9. (4) cap. XIX vers. 4.
(5) lib. IX cap. 34. (6) in Hexaemer. homil. 8. num. 6; seu tom. 1. edition. Patr. Garnieri, pag. 76. Vide & Eustathium Hexaemer. pag. 26. (7) lib. 3 de venatione vers. 115, & seqq. (8) commentarior. in Isaiam lib. XVIII, ad verss. 13, & 14 capitis LXVI, pag. 810 tomi 4. editionis Vallarsianæ.

nido ejici, id quo modo accipiendum fit, docet (1) ipsemet his verbis: *cum pulli adolescunt, unum ejicit tædio nutriendi*. Similique modo Basilius post verba paulo ante prolata, *Ubi*, inquit, *pullos duos exclusit* (aquila), *horum alterum dejicit in terram, ac pennarum verberibus protrudit: alterum autem duntaxat assumptum pro suo habet, atque quem genuit, propter victus comparandi difficultatem abdicat*. Ita quidem Basilius. At non unum duntaxat, ut videtur ipse significare, sed plures ab aquila pullos ali, ostendimus paulo ante.

Vers 12. (יהוה בדד ינחנו, ואין עמו אל נכר *Jehovih badád janhénnu, veén bimmó El nechár*; idest, *Dominus solus duxit eum, neque ullus cum ipso erat alienus Deus*.) Vide quæ scripsi ad versiculum XIII superioris cantici (2).

Vers. 13. (ירכבהו על במותי ארץ *jarkibbébu hal bamothé árez*; idest, *faciet ut equitet super excelsa terræ*.) Hactenus Moses de iis sermonem habuit, quæ jam præterierant: nunc ea prænunciare incipit, uti quidem plerique censent Interpretes, quæ futura erant, initium ducens ab Israelitarum in terram Chanahanis ingressu, qui videtur his verbis designari, ut mox dicam. Proposita porro verba equidem sic interpretor, ut per elegantem, ac poeticam translationem Israelitas exhibeant in jugis montium veluti insidentes, atque equitantes. Hanc sane explicationem videntur hebræa verba postulare: immo hanc eorum vim agnovisse videtur Vulgatus Interpres, quum sic transtulit, *constituit eum super excelsam terram*. Alii tamen ea malunt ita accipere, ut denotent, Israelitas, quasi equis, vel curribus vectos, in Chanahanis regionem deductos iri. Radix enim רכב adhibetur tum de eo, qui equo, tum de eo, qui currui insideat. Itaque sic vertunt: *efficiet Deus, ut vehatur hebræus populus sive equis, sive curribus super loca terræ editissima*. Quo modo si transferamus, indicare videbitur hic locus, Hebræos quasi victores in eam regionem ingressuros fuisse: insignes enim victorias retulerunt, quum illuc pergerent, ut est in sacra historia.

Exponenda nunc diligentius sunt ea verba על במותי ארץ, quæ apud Jesahiam (3) quoque occurrunt. LXX Interpretes hoc in loco sic ea vertunt: ἐπὶ τὴν ἰσχὺν τῆς γῆς, idest, *super fortitudinem terræ*. Apud Jesahiam vero paullo aliter, nimirum sic, ἐπὶ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς, idest, *super bona terræ*. Sed rectius Aquila transfert, ἐπὶ τὸ ὕψωμα τῆς γῆς, hoc est, *super altitudinem terræ*. Vox enim במה *altitudinem*, & *locum editum excelsumque* denotat. Videndum igitur, quænam sint loca hæc *terræ excelsa*, in quibus collocatos Israelitas Moses ait, quasi aquilam paulo ante memoratam respiciens, quæ pullos suos ad montium fastigia & cacumina adducit.

Quum porro scripsit hæc Moses, Galahaditidem jam, ac Basanitidem, ipsumque Galahadum montem occuparant Hebræi. Itaque Moses *loca terræ edita* quum dixit, Galahadum fortasse, aliosque, quos in iis regionibus exstitisse verisimile est, montes spectavit, eaque locutione regionem omnem Galahaditidem, ac Basanitidem designare voluit, præsertim quum in proximo versiculo Hebræos adipe agnorum, arietumque Basaniticorum pastos commemoret. Plerique tamen Interpretes spectari hic a Mose censent montes Chanahanitidis, ipsamque Chanahanitidem designari, in quam deductos tandem iri Hebræos alibi (4) Moses aperte prænunciaverat. Horum explicationem libens accipio: nam & apud Ezechielem (5) Israelitarum regio

(1) Hist. lib. VI cap. 6. (2) pag. 24, & 25. (3) cap. LVIII vers. 14. (4) Deut. cap. III verss. 20, & 28. (5) cap. XXXVI vers. 2.

gio vocatur במות עולם, ideſt *altitudines ſeculi*: & in ea creberrimi montes fuerunt (1), & Ægypto, unde egreſſi fuerant Hebræi, altior erat. Ex quo fit, ut qui in Ægyptum pergebant, illuc *deſcendere* dicerentur, & viciſſim qui illinc exibant, *aſcendere* (2).

(ויאכל תנובת שדי *vajjochàl tenubbóth ſadàj*; ideſt, *& comedet fructus agrorum.*) Verbis proxime ſuperioribus montoſa loca Moſes commemoravit, hic autem videtur ſpectare campeſtria, vel Moabitidis, qua potiti jam erant Hebræi, vel potius Cnanahanitidis, quam ipſos tandem Joſua duce potituros providebat, quamque tritico, hordeo, vino, ficubus, malis punicis, oleo, melle, rebus omnino omnibus abundaſſe, conſtat ex Deuteronomio (3). Quin ejus regionis fertilitatem prædicant alii quoque ſcriptores. Inſtar omnium ſit Ariſtæas, qui de ea ſic loquitur (4): τῆς χώρας πολλῆς οὔσης καὶ καλῆς, καὶ τινῶν μὲν πεδινῶν, τῶν κατὰ τὴν Σαμαρεῖτιν λεγομένην, καὶ τῶν συναπτόντων τῇ τῶν Ἰδουμαίων χώρᾳ. τινῶν δὲ ὀρεινῶν, τῶν πρὸς τὴν γεωργίαν, καὶ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς γῆς γίνεσθαι συνεχῶς, ἵνα καὶ διὰ τοῦτο οὗτοι τὴν εὐκαρπίαν ἔχωσιν. οὗ γενομένου, γεωργεῖται πάντα δαψιλείας πολλῆς ἐν πάσῃ τῇ προειρημένῃ χώρᾳ.... μεγάλη ἐστὶν ἡ τῶν γεωργουμένων φιλοπονία. Καὶ γὰρ ἐλαϊκοῖς πλήθεσι σύνδενδρός ἐστι, καὶ σιτικοῖς καρποῖς αὐτῶν ἡ χώρα, καὶ ὀσπρίοις, ἔτι δὲ ἀμπέλῳ, καὶ μέλιτι πολλῷ. τὰ μὲν τῶν ἄλλων ἀκροδρύων, καὶ φοινίκων οὐδ᾽ ἀριθμεῖται παρ᾽ αὐτοῖς. κτήνη τὰ πολλὰ παμμιγῆ, καὶ δαψιλὴς ἡ τούτων νομή; ideſt, *regio quum ſit ampla & bona; & quædam ſint campeſtria, ad tractum qui Samaritis dicitur, & ubi Idumææ contigua ſunt; alia vero ſint montana, ubi agri cultura, & cura perpetua indigent, ut & hi fertilitatem habeant, ex quo fit ut omnia excolantur, magnaque ſit per totam memoratam terram abundantia.... Eſt ibi magnum ſtudium agriculturæ, ideoque eorum regio conſita eſt plurimis oleis, & frumenti ferax, & leguminum, & vitis etiam, & multi mellis. Quum aliæ frugiferæ arbores, tum etiam palmæ apud eos non numerantur. Pecora omnis generis ſunt multa, & copioſum pabulum.*

(וינקהו דבש מסלע *vajjenikébu debbàſh miſſélah*; ideſt, *& lactabit eum melle ex petra.*) Ex verbo ינק, quod eſt *lac ſuxit*, ducitur verbum היניק, quod proprie de matre, aut nutrice infanti *lac præbente*, hic autem de Deo a Moſe dicitur, quaſi is matris inſtar, vel nutricis fuerit Iſraelitis, quos eum genuiſſe, ac ſumma cura tutatum eſſe antea affirmavit.

Mellis autem nomine (5) aquas attactu virgæ a Moſe in Deſerto e petra excuſſas deſignari exiſtimant nonnulli (6), eaſque ſic dictas eſſe, quod ob ſummam ſuavitatem melli ſimiles ſitientibus Hebræis viderentur. At ſi cetera, quæ ſive ſuperius dicta ſunt a Moſe, ſive dicentur inferius, ad Chanahanitidem pertinent, non ſatis recte ad Deſertum verba iſta referuntur. Itaque alia ratione malim exponere. Nimirum quod Deus Hebræis *mel ex petra*, ideſt, e ſaxoſis aſperiſque Chanahanitidis locis præbuiſſe dicitur, locutionem eſſe arbitror hyperbolicam, ac proverbialem, qua regio adeo fertilis ſignificatur, ut nullus in ea ſit ſterilis, atque infecundus

(1) vide quæ dixi ad verſ. 17 ſuperioris cantici, pag. 29. col. 1. (2) vide Geneſ. cap. xlii verſ. 18; cap. xlvi verſ. 3, & 4; & cap. l verſ. 24; & Exod. cap. xiii verſ. 19.
(3) cap. viii verſ. 8, & 9. Vide etiam cap. xiii Numer. verſ. 28. (4) apud Clericum in comment. ad verſ. 8 capitis iii Exodi. (5) Marinus putat voce דבש proprie quidem dactylum palmæ fructum, ſuccumque ex eo expreſſum; per tranſlationem vero *mel* ſignificari. Vide ejus Theſaurum ad eam vocem. (6) vide Oleaſtrum ad hunc locum.

dus locus, ne rupes quidem ipsæ, quod in eis apes mellificent. Simili ratione Hebræi fertilissimam regionem describere quum volunt, eam *lacte ac melle fluentem* solent appellare: quæ locutio occurrit in Exodo (1), in Numeris (2), in Levitico (3), in Josua (4), & alibi sæpius: ut proinde appareat eam esse παροιμιώδην: præsertim quum in Numeris (5) Israelitæ tumultuantes conquerantur, quod eos Moses ex terra, quæ lacte & melle manabat (idest, ex Ægypto) in Desertum deduxisset.

(ושמן מחרמיש צור *vesbémen mebalmish zur*; idest, *& oleo ex petra rupis*, vel *ex lapide durissimo*.) שמן & pro *oleo*, & pro *unguento*, & pro *pinguedine* sumitur: sed hic pro *oleo* videtur accipi. Oleaster autem *olei* nomine aquam e petra manantem hic intelligit, quam ideo Moses vocat *oleum*, *quod*, ut ipse inquit, *eo se populus lavaret*, *ac si oleo ungeretur*. Sed malim de oleo ex olearum olivis expresso locum hunc interpretari: quasi dicat Moses: in Chanahanitide ne saxa quidem durissima infecunda erunt, nam & inter ipsa oleæ fructificabunt, quas gaudere constat petrosis locis.

Quod autem attinet ad voces מחלמיש צור, quas alibi (6) Moses inverso ordine sic adhibet, מצור החלמיש, eæ quomodo ad verbum reddendæ sint, non satis liquet. Vox enim חלמיש non omnino certæ significationis est. Aliqui vertunt *duritiem*, plerique *lapidem*, Marinus autem *magnetem*: ut hebraico nomini simile sit Italorum nomen *Calamita* (7). An vero totum hoc מחלמיש צור ad verbum sic liceat interpretari, *e petra Dei*, idest, *e petra durissima*, judicent alii. Ea sane loquendi ratio Hebræis maxime familiaris est, ut *ventum Dei* (8), exempli causa, *luctationes Dei* (9), *ligna Dei* (10), *flammas Dei* (11), *soporem Dei* (12), *montes Dei* (13), ac *cedros Dei* (14) dicant, quod nos *ventum vehementissimum*, *luctationes validissimas*, *ligna præstantissima*, *flammas ardentissimas*, *soporem gravissimum*, *montes editissimos*, *cedrosque celsissimas* diceremus.

Vers. 14. (חמאת בקר *bem ith bakir* (15); idest, *butyro vaccæ*.) Vocem חמאה omnes vertunt *butyrum*. Haud scio tamen an colostrum potius, vel cremorem lactis significet, quam butyrum, cujus usus fortasse Mosis ætate nondum obtinuerat. Illud sane e multis veteris Testamenti locis (16) videtur colligi, חמאה liquidum aliquid fuisse, ac poculentum.

(וחלב צאן *vabalébb zon*; idest, *& lacte pecudum*.) צאן minuta animantia designat, ut oves, & capras: sed sæpius oves. Est autem formæ singularis: attamen perinde sumitur, quasi esset pluralis numeri.

(עם חלב כרים *bim bélebb carim*; idest, *cum adipe agnorum*.) An licuerit

---

(1) cap. III vers. 8; & cap. XIII vers. 5; & cap. XXXIII vers. 3. (2) cap. XIII vers. 28; & cap. XVI vers. 13. (3) cap. XX vers. 14. (4) cap. V. vers. 6. (5) cap. XVI vers. 13. (6) cap. VIII Deuter. vers. 15. (7) Vide, si libet, doctissimi viri Johannis Chrysostomi Trombellii, S. Salvatoris Bononiæ Abbatis epistolam ad Franciscum Mariam Zanottum *de acus nauticæ inventore*, editam superiore anno in parte 3 tomi 2 commentar. de Bonon. scient. atque Art. Instituto, atque Academia, pag. 361. (8) cap. I Genes. vers. 2. (9) cap. XXX. Gen. vers. 8. (10) psal. CIV vers. 16. (11) Cant. cap. VIII vers. 6. (12) lib. I Sam. cap. XXVI vers. 6.
(13) psalm. XXXVI vers. 7. (14) psalm. lXXX vers. XI. (15) de origine vocis בקר vide Marini Thesaurum, & Hierozoicon Bocharti tom. I lib. 2. cap. 28. Sunt qui latinum *vacca* nomen ex hebræo *bakár*, dempta R litera, factum censeant: quo modo ex מוסר (*musár*), idest, *doctrina*, facta videtur vox *Musa*. (16) Vide lib. Jobi cap. XX vers. 17; & cap. XXIX vers. 6; iisdemque lib. Judic. cap. V vers. 25; ac demum lib. Proverb. cap. XXX vers. 33.

rit Hebræis pecudum adipe vesci, in quæstione est (1). Rabbini quidem sibi interdictam putant comestionem omnis adipis ovilli, buceri, & caprini generis (2). Et sane in Levitico Moses, *jure perpetuo*, inquit (3), *in generationibus*, & *cunctis habitaculis vestris nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*. Et alibi (4): *adipem ovis*, & *bovis*, & *capræ non comedetis*. Quibus in locis videntur Hebræi aperte interdici comestione adipis. Non desunt tamen, qui ea sic explicare conentur, ut non de omni adipe sermo in iis sit, sed de adipe bestiarum duntaxat, quæ immolabantur Deo. Sed utcumque se res habeat (neque enim hac de re agere nunc tempus est), ex his sane Cantici verbis, quibus Israelitas agnorum, arietumque adipem comesturos ait Moses, colligi nequit Hebræis hujus modi adipem comedere licuisse. Nihil est enim, cur verba isthæc, *adeps agnorum atque arietum*, ita accipere nequeamus, ut nihil significent aliud, quam agnos arietesque pinguissimos, aut lectissimos; vox enim חלב quamvis proprie *adipem* denotet, sæpe tamen per translationem id designat, quod in qualibet re lectius potiusque sit. Itaque triticum lectissimum, exempli causa, in psalmo lxxxi (5) dicitur חלב חטה, idest *adeps tritici*; in Genesi pariter (6) terra lectissima vocatur חלב הארץ, hoc est, *adeps terræ*. Ac demum in Numeris (7), ut alia hujusmodi loca prætercam, hæc legere licet, כל חלב יצהר, וכל חלב תירוש ודגן, idest, *omnis adeps olei*, & *omnis adeps musti*, & *frumenti*.

(ואילים בני בשן, ועתודים *veelim bené Bashán, vebattudim*; idest, & *arietum filiorum Basan*, & *hircorum*.) Basan regio erat trans Jordanem inter binos torrentes Jabbocum, & Arnonem sita, quæ a Græcis dicta est Βαταναία. Ibi pecora uberrimis pascuis mirum in modum saginabantur: quam ob rem Gaditis, ac Rubenitis, quibus plurima erant pecora (8), a Mose concessa est (9). Ut ergo arietes pinguissimos describat Moses, eos vocat *filios Basan*, idest, in Basanitide natos, ac pastos. Simili modo David (10), & Hamos (11) pro tauris, & vaccis pinguissimis, *tauros*, *vaccasque Basanitidis* dixerunt. Quidam nomine ipso בשן *ferax solum* significari ajunt (12). LXX vero Interpretes cur בני בשן verterint υἱῶν ταύρων, non video: nec enim בשן pro tauris sumi potest.

(עם חלב כליות חטה *him bèlebh kiljòth hittàh*; idest, *cum adipe renum tritici*; sive, cum optimo & pinguissimo tritico.) Absurda Johanni Clerico videtur isthæc locutio, *adeps renum tritici*; quæ enim similitudo, inquit, inter renes animalium, & tritici grana? Itaque locum hunc arbitratu suo pervertens, sic legendum putat: עם חלב כליות וחטה, tum sic vertit: *cum adipe renum*, & *triticum comedisti*: quasi scilicet ex hebræo exemplare exciderit, vel certe subaudienda sit litera ו, itidemque addenda vox *comedisti*. At quum David (13) optimum & crassissimum triticum *adipem tritici* dixerit, quidni & Moses per poeticam translationem *adipem renum tritici* dicere potuerit? non tam parvorum renum cum granis tritici similitudinem respiciens, quæ vix ulla est, quam eorum pinguedinem, & crassitudinem.

ודם

(1) vide Calmetum, aliosque interpretes, ad versiculum 17 capitis III Levitici.
(2) vide Jo. Henr. Hottingerum in *Jure Hebræorum*, ad legem 147, tom. 2 Thesauri antiqu. Sacr. ab Ugolino editi pag. 1082. (3) cap. III vers. 17. (4) cap. VII Levit. vers. 23. (5) vers. 17. (6) cap. XLV vers. 18. (7) cap. XVIII vers. 12.
(8) cap. XXXII Num. vers. 1. (9) ibidem, vers. 33. (10) psalm. XXII, vers. 13.
(11) cap. IV vers. 1. vide & Ezech. cap. XXXIX vers. 18. (12) vide Bochart. Hieroz. part. 1. lib. 2. cap. 31; & Hieronymum ad cap. XXXIII Jesaiæ. (13) psalm. lxxxi vers. 17; & psalm. cxlvii vers. 14.

(ודם ענב תשתה *veddm bendbb tisbteb*; idest, *& sanguinem uvæ bibes*.) *Sanguis uvæ* est vinum, quod in Palæstina plerumque rubrum fuisse videtur, ut conjicere licet ex his Jesahiæ verbis (1): *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Jacobus quoque in Genesi (2), *lavabit*, inquit, *in sanguine uvæ pallium suum*. Et Jesus Sirachi filius (3), *libavit de sanguine uvæ*. Ac demum scriptor libri primi Machabæorum (4): *elephantis ostenderunt sanguinem uvæ*.

(חמר *hhimer*; idest, *merum*.) Vocem hanc LXX Interpretes omiserunt. Marinus autem existimat esse Syriacam, & vinum optimum, maximeque generosum significare.

Vers. 15. (וישמן ישרון, ויבעט *vajjisbmán Jesburún*, *vajjivbát*; idest, *& saginabitur Jesurun, & recalcitrabit*.) Nomine ישרון Israel procul dubio designatur (5). At de vocis etymo inter se non consentiunt Interpretes. Vulgatus quidem alibi vertit *rectissimus*, hic autem *dilectus*. At quum nulla sit radix, ex qua hæc *dilecti* significatio derivari queat, proinde putandum est, eum non propriam nominis significationem spectasse, sed loci sententiam duntaxat. Forerius autem (6) ישורון deducit ex שור, quod est *taurus*: quasi eo nomine significetur, Israelem fuisse inter populorum greges veluti taurum, ac principem. Steuchus (7) illud derivat ex שרה, quod ipse interpretatur *satiavit*: quasi *Jesurun* idem valeat ac *satur*, & *pinguis*. Sunt etiam qui deducant ex שור, quod est *aspicere*: propterea quod Jacobus, sive Israel Deum viderit. Oleaster denique illud deducens ex ישר, vertit *rectus*: ut tota sententia sic habeat: *Oleo unctus est rectus, & calcitravit*. Nimirum Israelis populus, qui in Ægypto, atque in Deserto quasi contractus fuerat, erectus est, & calcitravit. *Solemus enim*, inquit ipse, *contracta ungere, ut rectificentur, & extendantur*. Sed duriuscula videtur hæc interpretatio. Equidem crediderim potius, ut nos puerum blandiendi causa puellulum vocamus, sic Israelem vocari Jesurunem, quasi Israelulum (8): duo enim hæc nomina ישראל, & ישרון terminatione duntaxat differunt, quum tres priores literæ in utroque eædem sint.

Jam vero Israelitas plurimis, maximisque a Deo beneficiis auctos Deum ipsum contemptui tandem habuisse queritur hic Moses, translatione usus elegantissima, ex bestiis ducta, quæ bene pastæ ac saginatæ recalcitrant: ut enim tauri, asini, & equi si bono pabulo otiosi saginentur, lascivire solent, & recalcitrare vel contra pastores ac nutritores suos; ita Israelitæ pinguefacti adversus eum recalcitrarunt, a quo alti fuerant, atque enutriti. Nimirum res secundas, opum affluentiam, & vitæ prosperitatem sequitur plerumque arrogantia, & Dei hominumque contemptus: & quamvis Dei beneficentia ad eum amandum allicere nos debeat, fit tamen ut plurimum, ut immodica opum abundantia, honoribus, reliquisque vel animi, vel corporis, vel fortunæ bonis elati homines insaniant, atque ferociant. Quod ut caverent Israelitæ, præmonuerat ipsos Deus in Deuteronomio (9).

(שמנת, עבית, כשית *shamínta*, *babbítba*, *casbíta*; idest, *pinguis, & crassus evasisti, adipe obductus es*.) Verbum כשה quum nusquam occurrat alibi, vix definiri potest, quid significet. Marinus putat כשה paulum differre a

h כסה,

(1) vers. 2 cap. LXIII. (2) cap. XLIX vers. XI. (3) cap. L vers. 16. (4) cap. VI vers. 34. (5) vide cap. XXXIII Deuter. verss. 5, & 26; itemque vers. 2 capitis XLIV Jesahiæ. (6) ad caput XLIV Jesahiæ. (7) ad hunc locum. (8) Simili ratione ex voce איש, quæ *virum* significat, oculi pupilla dicta est אישון, quasi *parvi viri* imaginem repræsentans. (9) cap. VIII vers. XI, & seqq.

כסה, quod est *texit*; illud quidem passivum, hoc autem activum esse. Itaque כשית vertit *obductus es*, adipe scilicet. Et sane similis locutio occurrit in Jobi libro (1), כסה פניו בחלבו, idest, *operuit faciem suam in adipe suo*.

(ויטש אלוה עשהו, *vajjitósh Elóah, basibu*; idest, *& derelinquet Deum, qui fecit ipsum.*) Mutatio isthæc personæ latinis quidem auribus videtur absurda: sed apud Hebræos non inusitata est. Verbum vero נטש plus aliquid significat, quam עזב, seu *dereliquit*; projectionem enim quoque, & contemptum denotat.

(וינבל צור ישעתו *vajnabbél Zur jeshubathó*; idest, *& vilipendet Petram* (nempe *Deum*) *salutis suæ*.) De voce צור satis dictum est alibi (2).

Vers. 16. (יקניאהו בזרים *jakniúhu bezarim*; idest, *ad zelotypiam provocarunt eum in alienis*.) Nimirum falsos Deos colendo, quos Moses vocat *alienos*, idest, extraneos, veri Dei zelotypiam commoverunt. Ut enim zelotypus is dicitur, qui rivalem pati nequit, sic Deus quasi zelotypus (3) hic exhibetur, quod in cultu sibi debito socium ferre non possit.

(בתועבת יכעיסהו *bethohebhóth jachbisúhu*; idest, *in abominationibus ad iram ipsum provocarunt*.) Idola a sacris Scriptoribus passim vocantur abominationes (4), quod abominatione, exsecratione, ac detestatione digna sint.

Vers. 17. (יזבחו לשדים, לא אלוה *izbehú lashedím, lo Elóah*; idest, *Sacrificabunt cacodæmonibus, non Deo*.) Vulgatum, Lxx, aliosque Interpretes secutus, שדים *cacodæmones* interpretor, qui fortasse ita appellantur, vel, ut nonnulli conjiciunt, quod in *vastis* locis habitarent, vel potius ex שדד, hoc est *vastavit*, quasi *vastatores*, & malefici spiritus, vel sanguinarii, & grassatores, qui humano cruore pascerentur: his enim ipsis filios filiasque immolari a parentibus consuevisse, constat e psalmo CVI (5). Immo dirum hoc, & exsecrandum sacrificii genus fortasse hic spectat Moses. Calvinus tamen (6), *Israelitæ*, inquit, *filios suos immolasse dicuntur dæmoniis, & non Deo, tantum ob id, quod verum Dei cultum profanis cæremoniis corruperint*. Sed fallitur. Hic enim Moses ea prænunciat, quæ peracturi olim erant Hebræi in Chanahanitide: constat autem, ex Israelitis ibidem constitutis plures non modo verum Dei cultum profanis cæremoniis corrupisse, sed etiam a veri Dei cultu ad cultum Idolorum sæpius defecisse.

(אלהים, לא ידעום *Elohím, lo jedahúm*; idest, *Dii*, (vel *Diis*), *quos non noverant*.) Dii scilicet Ægyptiorum, Moabitarum, aliarumque gentium.

(חדשים מקרב באו *hadashím mikkaróbh báu*; idest, *novi ex vicinia venerunt*.) Nimirum novos finitimarum gentium Deos Bahal, Moloch, Astharoth, aliosque hujusmodi in regionem suam invexerunt. Sunt qui vocem מקרב, quæ ad verbum redditur *ex propinquo*, interpretentur *nuper*: ut nimirum Dii recentes ac nuperrime conflati significentur, sicque vero Deo opponantur, qui æternus est, & apud Jeremiam (7) negat se esse Deum מקרב, sive *ex propinquo*; inquit enim האלהי מקרב אני ולא אלהי מרחק, idest, ut vertit Vulgatus Interpres, *putasne, Deus e vicino ego sum, & non Deus de longe?*

(לא שערום אבתיכם *lo shebarúm abbothechém*; idest, *quos non timuerunt majores vestri*.) Paulo aliter vertunt Lxx Interpretes, nimirum sic: οὓς οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες αὐτῶν, idest, *quos non*

(1) cap. XV vers. 27. (2) ad vers. 4 hujus cantici: pag. 41, & 42. (3) vide Exod. cap. XX vers. 5. (4) vide Ezech. cap. XI vers. 18; & cap. VII vers. 20, itidem que Deuter. cap. VII vers. 25. (5) vers. 37. (6) lib. 4 Instit. cap. XIII, num. 17. Vide & Brentium ad hunc locum. (7) cap. XXIII vers. 23.

non cognoverunt patres eorum. Quod porro dicit Moses *timuerunt*, idem est atque *coluerunt*. Ita & in Genesi Deus, quem coluit Isaacus, vocatur *terror Isaaci* (1).

Vers. 18. (צור ילדך תשי, ותשכח אל מחללך *Zur, jeladechá, téshi, vatishchdh El meholécha*; idest, *Petræ, quæ te genuit, oblivisceris, & oblivisceris Dei, qui te peperit.*) Israelem genuisse, ac peperisse dicitur Deus, ut appareat, ipsum adeo Hebræum populum dilexisse, ut ei patris instar, ac matris fuerit. Sunt quidem qui vocem מחללך vertant *laudantis te* (2), alii qui reddant *initiantis te* (3): Sed minus recte, ut opinor. תשי autem, cujus postremam literam י minusculam scribunt Rabbini, positum est pro תשה (4).

Vers. 19. (וירא יהוה, וינאץ מכעס בניו *vajjár Jehovah, vajjináz miccábas banáv*; idest, *Et videbit Dominus, & repudiabit præ ira filios suos.*) Verti etiam potest: *& irritatus est ob provocationem filiorum suorum*. Porro tertia pars cantici hic initium habet, in qua plures pœnas Israelitis minatur, & prænunciat vates, in primisque eorum rejectionem, atque abdicationem.

(ובנתיו *ubbnothâv*; idest, *& filias suas.*) Mulieres Hebræas intelligit, quas ad idolorum cultum proclives fuisse, constat e pluribus veteris testamenti locis (5).

Vers. 20. (ויאמר, אסתירה (6) פני מהם *vajjómer, astîrah phanáj mehém*; idest, *Et dicet, abscondam faciem meam ab eis.*) Adversa facies favoris ac benevolentiæ indicium est, aversa autem indignationis, vel contemptus. Per translationem itaque a rebus humanis petitam respicere eos dicitur Deus, quibus favet; ab iis vero faciem avertere, quibus iratus est: quæ loquendi formulæ sæpissime occurrunt in sacris libris. Ita David in psalmo XII (7), *usquequo avertis*, inquit, *faciem tuam a me?* Et in psalmo XXVI (8), *ne avertas faciem tuam a me*. Ac Deus ipse in Deuteronomio (9): *abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem*. Quod porro in hoc versiculo futurum prædixit Moses, jam videmus effectum: avertit enim faciem suam a Judæis Deus, eosque omnino dereliquit: quod senserunt vel ipsi Hebræi (10), quando in bello cum Romanis gesto tot mala perpessi, ac tandem omnino profligati sunt, quemadmodum Christus Jesus aperte prænunciaverat (11).

(אראה, מה אחריתם *eréh, mah abarithâm*; idest, *videbo, quis futurus sit finis eorum.*) Videbo, inquit, quem fructum tandem ex idolis percepturi, vel quid ad extremum acturi sint, vel potius quid tandem illis eventurum sit. Lxx Intt. pro אֶרְאֶה legerunt צַרְאֶה; vertunt enim καὶ δείξω, idest, *& ostendam*.

(כי דור תהפכת המה, בנים, לא אמן בם *ki dor tahappuchóth hémmah, banîm, lo emún bam*; idest, *quoniam ætas versionum sunt ipsi, filii, in quibus non est fides.*) De vocibus דור (12), & אמן (13) vide quæ dicta sunt alibi. Hebræos autem dum vocat *ætatem versionum*,

(1) vide quæ dixi ad vers. XI superioris cantici, pag. 22 col. 1. (2) Calmet. ad hunc locum. (3) Oleast. ad hunc locum. (4) ex radice נשה. (5) Vide Ezech. cap. VIII vers. 14; & Jerem. cap. VII vers. 18; & cap. XLIV vers. 15. (6) סתר est *latuit*. Inde fit הסתיר, quod est *fecit ut lateret*, sive *abscondit*. Ex eadem radice, idest a *latendo*, dictus videtur *Saturnus*, sicut *Latium* dici volunt latini, quod Saturnus in eo latuerit. Ex eadem pariter dicti fortasse sunt *Satyri*, quasi סתורים, idest *latentes*. (7) vers. 1. (8) vers. 9. (9) cap. XXXI vers. 17. (10) Vide Joseph. lib. VII de Bell. Judaic. cap. 8. (11) Luc. cap. XIX vers. 43, & seqq. (12) ad vers. 5 hujus cantici, pag. 42, & 44. (13) de voce אמונה, quæ idem valet atque אמן, dixi ad vers. 4 hujus cantici, pag. 42 col. 2.

num, perinde est quasi diceret, genus hominum rebelle, inconstans, quod huc illucque facile vertitur.

Vers. 21. (הם קנאוני בלא אל *Hem kineúni bbeló El*; idest, *Ipsi me ad zelotypiam provocarunt in non Deo.*) Idolorum cultus passim in divinis libris scortatio vocatur, aut adulterium: Deus autem quasi rivalis ab idolorum cultore iis postpositus, qui Dii non sunt, ad zelotypiam provocari dicitur, translatione scilicet ab amatoribus, ac maritis petita, qui, quum se negligi sentiunt, zelotypi fiunt. Vide quæ dixi paulo ante ad versiculum xvi (1).

(כעסוני בהבליהם *kibasúni bebabblebém*; idest, *irritarunt me in vanitatibus suis.*) Dii Gentium merito a sacris scriptoribus (2) appellantur *vanitates*: nec enim Dii sunt, sed *inania* tantum Deorum nomina.

(ואני אקניאם בלא עם, בגוי נבל אכעיסם *vaanl akniém beló bam, begój nabbál acbisém*; idest, *& ego faciam ut ad zelotypiam provocentur in non populo, & faciam ut irritentur in gente stulta.*) Judæorum repudiationem, vocationemque Gentium his verbis designari, omnes tradunt Christiani Interpretes (3) sacrorum codicum. Et merito quidem. Nam & divinus Paulus (4) ut ostendat ignorare Judæos non debuisse, fore aliquando, ut Gentes vocarentur ad fidem, hæc ipsa Mosis verba profert sic reddita: ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς, sive, ut Vulgatus Interpres habet: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.*

Par pari ergo se relaturum ait hic Deus, justissimæque talionis formam prænunciat. Quum enim ad *zelotypiam* ipsum, atque ad *iram* provocassent Hebræi, honorem illis præstantes, qui *non* erant *Dii*, sed merum *nihil*; pari ratione Deus Hebræam gentem ad *zelotypiam*, atque ad *iram* se provocaturum prædicit, eos nimirum extollendo, honoribusque afficiendo, qui *non* erant *populus*, sed *nullius* pretii gens. Id quod reapse ita contigit, uti prædictum fuerat: Judæos enim non templi eversio, non dispersio, non servitus sic angit, ut Gentium Christi fidem sectantium religio, ac splendor dolore afficit, atque invidia: ex quo illud fieri animadvertit Origenes (5), ut odio longe majore Christianos prosequantur, quam cultores idolorum.

Porro Gentes hic dicuntur *non populus*, vel quod tunc Dei populus nondum florent, vel quod, quum legum, religionisque communio populum faciat, proinde populi nomine indigna sit multitudo, quæ aut legibus ac religione careat, aut certe superstitiosam religionem, pravasque leges habeat. Recte etiam dicuntur גוי נבל, idest, *gens stulta, ac prava* (6): ut enim inquit Paulus (7), *eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, & voluptatibus variis*. Vox autem גוי adhiberi plerumque a sacris Scriptoribus tum solet, quum de alienigenis, atque a Mosis lege, & a veri Dei

(1) pag. 58 col. 1. (2) lib. 3 Reg. cap. xvi vers. 13; Jerem. cap. viii vers. 19; & cap. xiv vers. 22, & cap. xvi vers. 18. (3) Vide Tertullian. lib. iv contr. Marcion. cap. xxxi; Clement. Alexandr. lib. 2 Strom. cap. 4; Origen. homil. 9 in Jerem. num. 2, tom. 3. editionis Parisiensis PP. S. Mauri, pag. 170; itidemque homil. 2 in Exod. num. 4, tom. 2 ejusdem edit. pag. 135; & Hilarium Pictavorum Episcopum lib. 5 de Trinit. num. 31, tom. 2 edit. Veron. ann. 1730, pag. 124, & alios. (4) in epist. ad Rom. cap. x vers. 9. (5) homil. 1 in psalm. 36, cujus initium est: *Noli æmulari*, &c. tom. 2 pag. 655. (6) de voce נבל vide quæ dixi ad vers. 6, pag. 44. col. 2. (7) in epist. ad Tit. cap. iii vers. 3.

Dei cultu alienis gentibus ſermo habetur.

Verſ. 22. (כי אש קדחה באפי *ki eſh kadehàh bheappì*; ideſt, *quoniam ignis accenſus eſt in ira mea.*) Totum hunc verſiculum de illo igne explicant nonnulli, quo terrarum orbis, Petro teſte (1), tandem abſumetur, aut de illo, quo impii ac ſceleſti homines ad omnem æternitatem excruciabuntur. Non negarim equidem hunc quoque ignem ſpectari a Moſe. Sed recte etiam dici poteſt, vehementi hoc, translatoque loquendi genere divinam ultionem, quæ igni a ſacris Scriptoribus paſſim comparatur (2), deſcribi, extremamque Jeroſolymæ excidionem potiſſimum deſignari. Quod autem vates ait, hunc divinæ ultionis ignem jam accenſum eſſe, id aut eſt præteritum futuro vertendum, aut ignem denotat prædeſtinatione Dei duntaxat accenſum, non reipſa.

(ותיקד עד שאול התחית, ותאכל ארץ ויבלה ותלהט מוסדי הרים, *vattikád bad sheòl tahtith, vattochàl érez, vibbulàba, vattelabèt moſedè barim*; ideſt, *& comburet uſque ad infernum inferiorem, & abſumet terram, & proventum ejus, & aduret fundamenta montium.*) Ut divinam ultionem vehementiſſime exprimat Moſes, eam quaſi ignem, non modo quæ in terræ ſuperficie ſunt, arbores, fruges, animantia, atque ædificia exuſturam eſſe ait, ſed & uſque ad montium fundamenta, immo uſque ad infernum infimum penetraturam ac ſævituram. Id quod nonnulli, ut modo indicavi, de extremo, æternoque improborum ſupplicio interpretantur, quaſi divinum furorem ita exarſurum indicet Moſes, ut ſceleſtos homines & maximis ante eorum obitum calamitatibus, & æternis poſt mortem cruciatibus puniturus ſit. Attamen *infernum infimum* loca etiam terræ infima, ſeu reconditiora telluris penetralia, in quibus ſepulcra ſunt hominum, interpretari licet.

Sed ut magis illuſtretur hic locus, videndum eſt paucis, quid notetur nomine שאול, de quo multa multi ſcripſerunt (3). Tres autem potiſſimum habere poteſt ſignificationes. Primum enim pro *ſepulcro* interdum ſumitur, veluti in illo pſalmi XXIX, ſeu XXX (4): *eduxiſti* משאול, ſive *ab inferno*, ideſt, *a ſepulcro animam meam*; itemque in pſalmo CXL, ſeu CXLI (5), in quo hæc legere licet: *diſſipata ſunt oſſa noſtra* לפי שאול, ſive *ſecus infernum*, ideſt *ſecus ſepulcrum* (6). Deinde שאול locum etiam denotat, quem *Infernum* dicimus, locum ſcilicet, in quem e carceribus corporis evolant humani animi, niſi ſtatim ad ſuperos abeant, modo quidem eum, in quo Patriarchæ olim degebant, modo eum, in quo impii torquentur, juſtive purgantur. Hujuſmodi loca procul dubio ſignificat tum apud Davidem, tum apud Jeſahiam. Apud Davidem enim in pſalmo XV, ſive XVI (7) Chriſtus eſt ſic loquens: *non derelinques animam meam* לשאול, ſive *in inferno*. Jeſahias vero in capite XIV de Baby-

(1) in epiſt. 2. cap. III verſ. 10: *elementa*, inquit, *calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* (2) pſalm. XVII verſ. 9: *aſcendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarſit.* Nahum cap. I verſ. 4: *indignatio ejus effuſa eſt ut ignis.* Vide etiam Jerem. cap. XLIV verſ. 6, & Michæ. cap. I verſ. 4. &c. (3) ex catholicis Genebrardus lib. 3. de Trin. pag. 281. & ad pſalm. 9 verſ. 19; Pererius tom. 4 in Gen. cap. 37, num. 62, Oleaſter in cap. 37 Geneſ., Steuchus ad eumdem locum, & alibi, Marinus in Theſauro, aliique; ex Heterodoxis vero Johannes Carreus in diſſert. *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, Nic. Joh. Leih in diſſert. de voce שאול, quæ exſtat tom. I. Theſauri Theologic. Philologici, in qua omnia Scripturæ loca expendit, in quibus occurrit ea vox; Mathias Flacius Illyricus in *clavi ſacræ Scripturæ* ad vocem *Infernus*, & alii plurimi.
(4) verſ. 4. (5) verſ. 7. (6) vide etiam, ſi placet, pſ. 88, ſive 89 verſ. 49, & Jobi cap. XVII verſ. 13. (7) verſ. 10.

bylonitorum rege verba faciens, primo ipsum שאולה, sive *in infernum* pergentem describit (1), deinde sepulcrum habiturum esse negat (2): ut appareat, ibi שאול pro *sepulcro* accipi nequaquam posse. Denique hæc ipsa vox שאול cavum quidpiam subterraneum significare videtur aliquando (3), uti fortasse hoc in loco, quem exponimus. Ex quo fit, ut Jonas (4) piscis ventrem, in quo fuerat, vocet ventrem בטן שאול.

Vers. 23. (אספה עלימו רעות *aspéh balémo rahósh*; idest, *consumam super ipsos mala.*) Clericus vertit *adjiciam iis mala*; quasi אספה deducatur ex יסף, idest *addidit*, id quod videtur absurdum, aut quasi הספה idem valeat ac יסף, id quod temere affirmaretur. Rectius Interpretes Lxx, & Vulgatus, quibus consentit Onkelosus: hi enim exponunt, *congregabo super eos mala.* Ac sane אספה derivatur, ut perspicuum est, ex radice ספה, quæ valet *absumpsit*, *fecit ut deficeret*, *in nihilum redegit*: ac proinde הספה in *hiphil*, ut ajunt, proprie significat *absumere fecit.* Quum ergo Deus hic ait, אספה עלימו רעות, perinde est, quasi diceret: quidquid usquam malorum est, atque ærumnarum, id totum ut experiantur efficiam.

(חצי אכלה בם *bizzáj achalléh bam*; idest, *sagittas meas absumam in eis.*) Pulcherrima, & elegans locutio, qua Deus veluti pharetra, & arcu instructus exhibetur: quam imaginem fusius persequitur David in psalmo VII (5), ubi, *arcum suum*, inquit, *tetendit Deus*, & *paravit illum*, & *in eo paravit vasa mortis*, *sagittas suas ardentibus effecit.* Simili ergo translatione usus hic Moses Deum sic loquentem inducit: *sagittas meas in eis absumam*, idest, sagittas omnes meas in eos projiciens, pharetram meam exhauriam. *Sagittæ* autem per metaphoram sacris Scriptoribus maxime usitatam (6) dicuntur calamitates, quibus pravos, sontesque homines punit Deus.

Vers. 24. (מזי רעב *mezé rahábh*, idest, *adustiones famis*, aut, si mavis, *adustos fame.*) Vox מזים, seu מזי, quæ hoc duntaxat in loco legitur, incertæ significationis est. Lxx Interpretes vertunt τηκόμενοι, idest, *liquescentes.* Oleaster vero eam deducit ex זוית, idest *angulo*, ideoque מזי רעב interpretatur *constrictos fame*, *quemadmodum constringitur res ad angulum redacta.* Sed Oleastri conjecturam non probant ceteri Interpretes; vertere enim fere solent *adusti*, vel *adustiones*: quasi scilicet מזי derivetur ex radice chaldaica אזא, quæ valet *adussit* (7).

(ולחמי רשף *u'humé résbeph*, idest, & *comestiones ardoris*, aut, si mavis, *comesos ardore.*) Quid significet vox רשף, non omnino certum est. Sex omnino sunt loca, in quibus occurrit, nec eodem in omnibus modo adhibetur, uti videre licet apud Oleastrum (8), & Marinum (9), qui ea loca afferunt, & exponunt. Hos adi, si libet: nos enim quid hoc in loco denotet ea vox, investigare contenti erimus. Lxx quidem Interpretes, ac Vulgatus, aliique nonnulli ex veteribus *avem* hic transferunt. Hebræi vero, Hieronymo teste (10), putarunt esse dæmonis nomen: quin Vulgatus ipse Interpres alibi (11) vertit *diabolus.* Plerosque tamen e recentioribus video in id convenire, ut רשף hic vertant anthracem, seu carbunculum, aut cauma, aut febrim ardentem ac pestiferam, ad summam morbum

(1) vers. 9, & seqq. (2) vers. 19, & 20. (3) vide Jesahi. cap. XIV vers. XI, & Job. cap. XXVI vers. 6. (4) cap. 2 vers. 2. (5) vers. 13, & 14. (6) Vide Job. cap. VI vers. 4; & ps. 17, sive 18 vers. 15; & ps. 37, sive 38 vers. 3, &c. (7) vide Daniel. cap. III vers. 18. (8) ad hunc locum. (9) in Thesauro. (10) ad Habac. cap. III vers. 4. (11) cap. 3 Habac. vers. 4.

bum quemdam instar prunæ adurentem. Itaque Cornelius a Lapide conjicit, רשף per μετάθεσιν factum esse ex שרף, quod est *incendit*.

(וקטב מרירי *vekétebh merirì*; idest, *& luem amaram*.) Lxx Intt. vertunt, καὶ ὀπισθότονος ἀνίατος, idest, *& opisthotonus insanabilis*. Opisthotonus autem, quem Plinius (1) *rigorem inflexibilem* vocat, est morbus, quo cervix, vel posticæ aliæ corporis humani partes ita rigescunt, ut flecti nequeant. At Salomon hebræus interpres non ignobilis (2) voce quidem קטב *aspictionem* denotari censet, מרירי autem vult esse Dæmonis cujusdam nomen, ab amaritudine ductum scilicet. Sed hæc temere finguntur. Equidem malim cum Marino, aliisque compluribus קטב interpretari *excidium*, & morbi potentissimi genus, quodcumque tandem illud sit (3), amarissime excrucians.

(ושן בהמת אשלח בם *veshén behemóth ashalláh bam*; idest, *& dentem bestiarum mittam in eos*.) Vox בהמות proprie majora bruta designat (4), sæpe quidem domestica, ut equos, ut boves, ut asinos; aliquando tamen etiam silvestria, ut leones, ut ursos, ut lupos, & alia id genus: atque hoc modo explicanda est hoc in loco. Palæstinam porro, finitimasve regiones hujus modi feris abundasse, colligitur e pluribus Scripturæ locis, ac præsertim ex libro Exodi (5), ubi Israelitas monet Deus, ne Chananæos intra annum omnes e suis finibus ejiciant, ne scilicet per vastam regionem sparsi ipsi Israelitæ a feris illuc concurrentibus nimium divexarentur. Nihil est ergo, cur quod hic ait Deus, se bestias in hostes suos immissurum, id per translationem explicemus, ut nonnulli faciunt, quasi *ferarum dentes* crudelitatem hostium denotent: præsertim quum hujus pœnæ crebra occurrat mentio in Scriptura (6).

(עם חמת זחלי עפר *him hamáth zohalé haphár*; idest, *cum furore* (seu *veneno*) *serpentium pulveris*.) Dictio חמה proprie *æstum*, ac *furorem* notat: derivarique videtur ex יחם, quod non recte quidam vertunt *iratus est* (7); idem enim valet atque *incaluit*, in coitu scilicet. Hic tamen חמה *venenum* etiam reddere licet, quo modo Vulgatus etiam Interpres eamdem vocem reddit alibi (8). זחלים autem dicuntur *serpentes*, a זחל, quod significare videtur *expavit* (9): vel quod hominum conspectum expavescant, vel potius, quod eorum conspectum homines expavescant, ut Marinus conjicit (10). Serpentes porro venenatos per poeticam periphrasim vocat Moses *furorem*, seu *venenum serpentium pulveris*, propterea quod serpentes humi, seu in pulvere repant, vel quod pulvere vescantur, ut est in Genesi (11): id quod tamen non ita accipiendum videtur, quasi serpentes reipsa vescan-

(1) lib. XXVIII cap. 12. Vide & l. 20 cap. 21; itidemque lib. 24 cap. 12. (2) apud Stench. ad hunc locum.
(3) vide Marini Thesaurum ad voces קָטֶב, & קֹטֶב. (4) vide vers. 24 primi capitis Genes.
(5) cap. XXIII vers. 29: itemque Deuter. cap. VII vers. 22, ubi hæc exstant: *non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ*. Vide etiam lib. 1. Reg. cap. XVII vers. 34, & Ecclesiastic. cap. XLVII vers. 3; & lib. Judic. cap. XIV vers. 6.
(6) lib. IV Reg. cap. XVII vers. 25, & cap. 2 vers. 24, & lib. 3 Reg. cap. XIII vers. 24; Ezech. cap. XIV vers. 15; Jerem. cap. XIV vers. 3; Sapient. cap. XI versS. 16, & 18; Ecclesiastic. cap. XXXIX vers. 36. (7) Oleaster ad hunc locum. (8) in vers. 33 hujus cantici; & in vers. 4 psalmi 130, sive 140. (9) Vide versiculum 6 capitis XXXII Jobi.
(10) in Thesauro ad vocem זחלים. (11) cap. III vers. 14. Vide etiam cap. 65 Jesahiæ vers. 25, & Michææ cap. VII vers. 17. Adi quoque, si libet, Sam. Bochart. Hieroz. part. 1. lib. 1. cap. 4, ubi e scriptoribus profanis sententias colligit in hanc rem.

scantur pulvere: sed quum humi repant, fieri vix potest, ut cum iis, quæ lambunt, aliquantum pulveris in os non ingeratur. Hujus autem pœnæ, quam hic Moses commemorat, mentio alibi sæpius fit, veluti in Numeris (1), in Deuteronomio (2), in Jeremia (3), & in Hamoso (4): quod adnotavi, ut appareat, nihil esse, cur hic ad allegorias confugiamus.

Vers. 25. (מחוץ תשכל חרב, ומחדרים אימה *mihúz teshakkél bérebb, umebadarim emáh*; idest, *foris interficiet ensis, & intus terror.*) Simile illud Jeremiæ in Threnis (5), מחוץ שכלה חרב, בבית כמות, idest, *foris interfecit ensis, domi* fuit veluti *mors*. Itemque illud Pauli (6), *foris pugnæ, intus timores*. Porro חוץ idem valet ac *foris*: at aliquando vicum quoque, compitum, plateam, & alia generis ejusdem denotat: itaque מחוץ verti etiam potest *a vico, a platea*, idest, latina phrasi, *in vicis, in plateis*: ut scilicet alteri voci מחדרים respondeat, atque opponatur; חדר enim *cubiculum*, seu *penetrale* designat. Verbum vero שכל proprie valet *orbavit, filios interemit*; sed interdum ἁπλῶς *interemit*: atque hoc modo malim hic interpretari, ne in secundo hemistichio, quod mox exponam, subaudire cogamur *occidet, perdet*, aut quid simile, ut nonnulli faciunt. Prædicit ergo Deus hic, fore ut Israelitæ *foris* quidem, sive in bello, aut in agris, aut in plateis, aut in vicis ferro trucidentur; *intus* autem, sive intra urbium mœnia, aut in penetralibus, penitisque domorum locis terrore exanimentur: quæ non mediocris pœna iis futura erat, quibus dixerat Deus in Levitico (7): *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis,... absque pavore habitabitis in terra vestra: dabo pacem in finibus vestris; dormietis, & non erit, qui exterreat: auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros*. Judæis autem ea reapse contigisse, quæ hic prænunciantur, tum ex Josepho (8) constat, tum multo magis ex veteris Testamenti libris (9).

(גם בחור, גם בתולה, יונק עם איש שיבה *gam bahúr, gam bethuláh, jonéck him ish sebháh*; idest, *& juvenem, & virginem, lactentem cum homine senectutis.*) Nimirum neque adolescentiæ flos juvenem, neque ætatis species virginem juvabit, neque aut commiseratione infantem, aut pietate ac reverentia senem hostes prosequentur.

Vers. 26. (אמרתי, אפאיהם *amírti, aphehém*; idest, *dixi, in extremitates jaciam eos.*) Nomen פאה *angulum, latus*, & cujusque rei *extremitatem* designat. Hinc derivavit Moses verbum הפאה, seu הפאיה, quo nusquam alibi sacri Scriptores usi sunt. Itaque quum ait Deus, אפאיהם, perinde est quasi diceret: si qui forte ex ipsis post tot tantasque calamitates, ac pœnas superarint, hos in omnes orbis terrarum angulos, atque extremitates disjiciam, captivi abducentur, ac servi facti levissimo pretio venundabuntur: quod revera tum sæpe antea, tum maxime tunc evenisse, quum Judæi a Romanis devicti sunt, nemini ignotum est. Simili ratione LXX Interpretes exponendum censuerunt; vertunt enim, εἶπα, διασπερῶ αὐτούς; idest, *dixi, dispergam eos*. Atque hinc dictas monet Grotius Israelitarum διασπορὰς in Babylonia, Media, Ægypto, Græcia,

(1) cap. XXI vers. 6. (2) cap VIII vers. 15. (3) cap. VIII vers. 17. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* (4) cap. IX vers. 3. Vide etiam, si libet, Ecclesiastic. cap. XXXIX. vers. 36; & Sap. cap. XVI vers. 5; & Judith cap. VIII vers. 25; & 1. Corinth. cap. X vers. 9. (5) cap. I vers. 20. (6) epist. 2 ad Cor. cap. VII vers. 5.
(7) cap. XXVI vers. 3, & 5, & seqq. (8) Lege, si libet, Josephi libros de Bell. Judaic.
(9) Vide lib. 2 Paralip. cap. XXXVI vers. 17; Jerem. cap. II vers. 22; lib 2. Machab. cap. V vers. 13.

cia, & alibi. At paulo aliter dictionem אפאיהם explicat Clericus: is enim, *videtur*, inquit, *hoc velle Deus: eos ita perdam, ut non plures supersint, quam reliquæ sunt spicæ in agro, quem messor הפאיה, idest ad extremitatem usque demessuit.* Sed probabilior videtur, quam priorem attuli, interpretatio.

Porro exemplari hebræo non consentit hic Samaritanum: etenim pro אפאיהם habet אפי הם; idest, *ira mea illos*, subaudi *perdet*. Cui lectioni consentanea est chaldaica Onkelosi explanatio, quæ est hujus modi: יחול רוגזי עליהון, ואשיצינון; idest, *manebit ira mea super eos, & consumam eos*. Denique Vulgatus Interpres quum vertat, *ubinam sunt?* oportet, ut vel unum vocabulum אפאיהם legerit divisum in tria אף אי הם, vel potius legerit אפוא הם, idest, *ubi ipsi?* Quod si hac ratione legamus, continebit hic locus amarissimam quamdam irrisionem in eos, qui in falsis numinibus, hominumque potentia, ac fidelitate sibi confidebant, prolatam, cujus exempla in Scripturis crebra sunt (1).

(אשביתה מאנוש זכרם *ashbîthah meenôsh zichrâm;* idest, *cessare faciam* (seu *delebo*) *ex hominibus memoriam eorum*.) Aut, si mavis, *delerem ex hominibus memoriam eorum*. Sequitur enim, *nisi iram inimici timerem*: &c. Porro eorum *memoriam delere* dicitur Deus, quos omnino de medio tollit, aut quos huc illucque dispergit. Ita in Exodo (2): *delebo*, inquit, *memoriam Amalech sub cælo*. Et apud Jobum (3) Baldad Suhites: *memoria*, inquit, *illius* (impii scilicet hominis) *pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis*. Ac David in psalmo XXXIII, seu XXXIV (4): *Vultus*, inquit, *Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (5). Quum ergo hic ait Deus, *delerem ex hominibus memoriam eorum*, perinde esse videtur, quasi diceret: de medio ipsos omnino sublatos vellem, ut nulla eorum memoria superesset.

Vers. 27. (לולי כעס אויב אגור *lulê cdhas ojêbh agûr;* idest, *nisi indignationem inimici timebo*, aut *timerem*.) Binas in hoc versiculo rationes affert Deus, ob quas Hebræos continuo non est deleturus: prima ex hostium furore petitur; altera ex eo, quod Judæorum hostes relatam de Judæis ipsis victoriam non Jehovæ attributuri essent, sed suis aut Diis, aut viribus. Prima autem continetur his verbis, altera subsequentibus. Sed ut germanam hujus loci sententiam assequamur, hæc adnotanda sunt. Nimirum vox כעס modo active sumitur, ut *provocationem* denotet (6), modo passive, ut significet *indignationem*. Radix vero גור quamvis plerumque significet *habitare*, interdum tamen etiam idem valet ac *timere*: quo modo quum accipitur, convenit cum radice יגר, id est *timuit*. Itaque אגור idem est ac *timebo*: posset tamen etiam derivari ex אגר, quod est *collegit, congregavit*.

His positis, apparet, unde fiat, ut tres potissimum propositorum verborum afferantur interpretationes. Ac primum quidem Onkelosus, quasi אגור ducatur ex אגר, chaldaice sic transfert paulo obscurius: אלולפון רוגזא דסנאה כניש, idest, *nisi ira inimici collecta esset*. Deinde Oleaster vocem כעס active exponens, transfert in hunc modum: *nisi provocationem inimici timerem.*

(1) vers. 37 hujus cantici: *ubi sunt Dii eorum?* Et Hose. cap. III vers. 10: *ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te*. Et Jesahi. cap. XIX vers. 12: *ubi sunt sapientes tui?* vide & cap. XXXIII vers. 18; & Nahum cap. 2 vers. XI; & Jerem. cap. XXXVII vers. 18; & epist. 1 ad Cor. cap. XV vers. 55. (2) cap. XVII vers. 14. (3) cap. XVIII vers. 17.
(4) vers. 17. (5) vide etiam ps. CVIII, sive CIX vers. 15; & Sap. cap. X vers. 20; & Jesahi. cap. XXVI vers. 14; & Ezech. cap. XXV vers. 10, &c. (6) vide quæ adnotavi ad vers. 19, pag. 59 col. 1.

rit Hebræis pecudum adipe vesci, in quæstione est (1). Rabbini quidem sibi interdictam putant comestionem omnis adipis ovilli, buceri, & caprini generis (2). Et sane in Levitico Moses, *jure perpetuo*, inquit (3), *in generationibus*, & *cunctis habitaculis vestris nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*. Et alibi (4): *adipem ovis*, & *bovis*, & *capræ non comedetis*. Quibus in locis videntur Hebræi aperte interdici comestione adipis. Non desunt tamen, qui ea sic explicare conentur, ut non de omni adipe sermo in iis sit, sed de adipe bestiarum duntaxat, quæ immolabantur Deo. Sed utcumque se res habeat (neque enim hac de re agere nunc tempus est), ex his sane Cantici verbis, quibus Israelitas agnorum, arietumque adipem comesturos ait Moses, colligi nequit Hebræis hujus modi adipem comedere licuisse. Nihil est enim, cur verba isthæc, *adeps agnorum atque arietum*, ita accipere nequeamus, ut nihil significent aliud, quam agnos arietesque pinguissimos, aut lectissimos; vox enim חלב quamvis proprie *adipem* denotet, sæpe tamen per translationem id designat, quod in qualibet re lectius potiusque sit. Itaque triticum lectissimum, exempli causa, in psalmo lxxxi (5) dicitur חלב חטה, idest *adeps tritici*; in Genesi pariter (6) terra lectissima vocatur חלב הארץ, hoc est, *adeps terræ*. Ac demum in Numeris (7), ut alia hujusmodi loca prætercam, hæc legere licet, כל חלב יצהר, וכל חלב תירוש, ודגן, idest, *omnis adeps olei*, & *omnis adeps musti*, & *frumenti*.

(ואילים בני בשן, ועתודים *veelim bené Bashán, vehattudim*; idest, & *arietum filiorum Basan*, & *hircorum*.) Basan regio erat trans Jordanem inter binos torrentes Jabbocum, & Arnonem sita, quæ a Græcis dicta est Βαταναία. Ibi pecora uberrimis pascuis mirum in modum saginabantur: quam ob rem Gaditis, ac Rubenitis, quibus plurima erant pecora (8), a Mose concessa est (9). Ut ergo arietes pinguissimos describat Moses, eos vocat *filios Basan*, idest, in Basanitide natos, ac pastos. Simili modo David (10), & Hamos (11) pro tauris, & vaccis pinguissimis, *tauros, vaccasque Basanitidis* dixerunt. Quidam nomine ipso בשן *ferax solum* significari ajunt (12). LXX vero Interpretes cur בני בשן verterint υἱῶν ταύρων, non video: nec enim בשן pro tauris sumi potest.

(עם חלב כליות חטה *him helebh kiljóth hittáh*; idest, *cum adipe renum tritici*; sive, cum optimo & pinguissimo tritico.) Absurda Johanni Clerico videtur isthæc locutio, *adeps renum tritici*; quæ enim similitudo, inquit, inter renes animalium, & tritici grana? Itaque locum hunc arbitratu suo pervertens, sic legendum putat: עם חלב כליות וחטה, tum sic vertit: *cum adipe renum*, & *triticum comedisti*: quasi scilicet ex hebræo exemplare exciderit, vel certe subaudienda sit litera ו, iridemque addenda vox *comedisti*. At quum David (13) optimum & crassissimum triticum *adipem tritici* dixerit, quidni & Moses per poeticam translationem *adipem renum tritici* dicere potuerit? non tam parvorum renum cum granis tritici similitudinem respiciens, quæ vix ulla est, quam eorum pinguedinem, & crassitudinem.

ודם

(1) vide Calmetum, aliosque interpretes, ad versiculum 17 capitis III Levitici.
(2) vide Jo. Ferr. Hottingerum in *Jure Hebræorum*, ad legem 147, tom. 2 Thesauri antiqu. Sacr. ab Ugolino editi pag. 1082. (3) cap. III vers. 17. (4) cap. VII Levit. vers. 23. (5) vers. 17. (6) cap. xlv vers. 18. (7) cap. XVIII vers. 12.
(8) cap. XXXII Num. vers. 1. (9) ibidem, vers. 33. (10) psalm. XXII. vers. 13.
(11) cap. IV vers. 1. vide & Ezech. cap. XXXIX vers. 18. (12) vide Bochart. Hieroz. part. 1. lib. 2. cap. 31; & Hieronymum ad cap. XXXIII Jesaiæ. (13) psalm. lxxxi vers. 17; & psalm. cxlvii vers. 14.

(ודם ענב תשתה *veddám bendbh tishtéh* ; ideſt, *& ſanguinem uvæ bibes*.) *Sanguis uvæ* eſt vinum, quod in Palæſtina plerumque rubrum fuiſſe videtur, ut conjicere licet ex his Jeſahiæ verbis (1): *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Jacobus quoque in Geneſi (2), *lavabit*, inquit, *in ſanguine uvæ pallium ſuum*. Et Jeſus Sirachi filius (3), *libavit de ſanguine uvæ*. Ac demum ſcriptor libri primi Machabæorum (4): *elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ*.

(חמר *hámer* ; ideſt, *merum*.) Vocem hanc Lxx Interpretes omiſerunt. Marinus autem exiſtimat eſſe Syriacam, & vinum optimum, maximeque generoſum ſignificare.

Verſ. 15. (וישמן ישרון , ויבעט *vajjishmán Jeshurún*, *vajjivhát* ; ideſt, *& ſaginabitur Jeſurun, & recalcitrabit*.) Nomine ישרון Iſrael procul dubio deſignatur (5). At de vocis etymo inter ſe non conſentiunt Interpretes. Vulgatus quidem alibi vertit *rectiſſimus*, hic autem *dilectus*. At quum nulla ſit radix, ex qua hæc *dilecti* ſignificatio derivari queat, proinde putandum eſt, eum non propriam nominis ſignificationem ſpectaſſe, ſed loci ſententiam duntaxat. Forerius autem (6) ישורון deducit ex שור, quod eſt *taurus*: quaſi eo nomine ſignificetur, Iſraelem fuiſſe inter populorum greges veluti taurum, ac principem. Steuchus (7) illud derivat ex שרה, quod ipſe interpretatur *ſatiavit*: quaſi *Jeſurun* idem valeat ac *ſatur*, & *pinguis*. Sunt etiam qui deducant ex שור, quod eſt *aſpicere*: propterea quod Jacobus, ſive Iſrael Deum viderit. Oleaſter denique illud deducens ex ישר, vertit *rectus*: ut tota ſententia ſic habeat: *Oleo unctus eſt rectus, & calcitravit*. Nimirum Iſraelis populus, qui in Ægypto, atque in Deſerto quaſi contractus fuerat, erectus eſt, & calcitravit. *Solemus enim*, inquit ipſe, *contracta ungere, ut rectificentur, & extendantur*. Sed duriuſcula videtur hæc interpretatio. Equidem crediderim potius, ut nos puerum blandiendi cauſa puellulum vocamus, ſic Iſraelem vocari Jeſurunem, quaſi Iſraelulum (8): duo enim hæc nomina ישראל, & ישרון terminatione duntaxat differunt, quum tres priores literæ in utroque eædem ſint.

Jam vero Iſraelitas plurimis, maximiſque a Deo beneficiis auctos Deum ipſum contemptui tandem habuiſſe queritur hic Moſes, translatione uſus elegantiſſima, ex beſtiis ducta, quæ bene paſtæ ac ſaginatæ recalcitrant: ut enim tauri, aſini, & equi ſi bono pabulo otioſi ſaginentur, laſcivire ſolent, & recalcitrare vel contra paſtores ac nutritores ſuos; ita Iſraelitæ pingueſacti adverſus eum recalcitrarunt, a quo alti fuerant, atque enutriti. Nimirum res ſecundas, opum affluentiam, & vitæ proſperitatem ſequitur plerumque arrogantia, & Dei hominumque contemptus: & quamvis Dei beneficentia ad eum amandum allicere nos debeat, fit tamen ut plurimum, ut immodica opum abundantia, honoribus, reliquiſque vel animi, vel corporis, vel fortunæ bonis elati homines inſaniant, atque ferociant. Quod ut caverent Iſraelitæ, præmonuerat ipſos Deus in Deuteronomio (9).

(שמנת , עבית , כשית *shamànta*, *habbìtha*, *cashìta* ; ideſt, *pinguis, & craſſus evaſiſti, adipe obductus es*.) Verbum כשה quum nuſquam occurrat alibi, vix definiri poteſt, quid ſignificet. Marinus putat כשה paulum differre a

h כבה ,

(1) verſ. 2 cap. lxiii. (2) cap. xlix verſ. 11. (3) cap. l verſ. 16. (4) cap. vi verſ. 34. (5) vide cap. xxxiii Deuter. verſ. 5, & 26; itemque verſ. 2 capitis xliv Jeſahiæ. (6) ad caput xliv Jeſahiæ. (7) ad hunc locum. (8) Simili ratione ex voce איש, quæ *virum* ſignificat, oculi pupilla dicta eſt אישון, quaſi *parvi viri* imaginem repræſentans. (9) cap. viii verſ. 11, & ſeqq.

כסה, quod est *texit*; illud quidem passivum, hoc autem activum esse. Itaque כשית vertit *obductus es*, adipe scilicet. Et sane similis locutio occurrit in Jobi libro (1), כסה פניו בחלבו, idest, *operuit faciem suam in adipe suo*.

(ויטש אלוה, עשהו *vajittósh Elóah, hasíbu*; idest, *& derelinquet Deum, qui fecit ipsum*.) Mutatio isthæc personæ latinis quidem auribus videtur absurda: sed apud Hebræos non inusitata est. Verbum vero נטש plus aliquid significat, quam עזב, seu *dereliquit*; projectionem enim quoque, & contemptum denotat.

(וינבל צור ישעתו *vajnabbél Zur jeshubathó*; idest, *& vilipendet Petram* (nempe *Deum*) *salutis suæ*.) De voce צור satis dictum est alibi (2).

Vers. 16. (יקניאהו בזרים *jakniúhu bezarím*; idest, *ad zelotypiam provocarunt eum in alienis*.) Nimirum falsos Deos colendo, quos Moses vocat *alienos*, idest, extraneos, veri Dei zelotypiam commoverunt. Ut enim zelotypus is dicitur, qui rivalem pati nequit, sic Deus quasi zelotypus (3) hic exhibetur, quod in cultu sibi debito socium ferre non possit.

(בתועבת יכעיסהו *bethohebhóth jachbisúhu*; idest, *in abominationibus ad iram ipsum provocarunt*.) Idola a sacris Scriptoribus passim vocantur abominationes (4), quod abominatione, exsecratione, ac detestatione digna sint.

Vers. 17. (יזבחו לשדים, לא אלוה *izbehú lasshedím, lo Elóah*; idest, *Sacrificabunt cacodæmonibus, non Deo*.) Vulgatum, Lxx, aliosque Interpretes secutus, שדים *cacodæmones* interpretor, qui fortasse ita appellantur, vel, ut nonnulli conjiciunt, quod in *vastis* locis habitarent, vel potius ex שדד, hoc est *vastavit*, quasi *vastatores*, & malefici spiritus, vel sanguinarii, & grassatores, qui humano cruore pascerentur: his enim ipsis filios filiasque immolari a parentibus consuevisse, constat e psalmo cvi (5). Immo dirum hoc, & exsecrandum sacrificii genus fortasse hic spectat Moses. Calvinus tamen (6), *Israelitæ*, inquit, *filios suos immolasse dicuntur dæmoniis, & non Deo, tantum ob id, quod verum Dei cultum profanis cæremoniis corruperint*. Sed fallitur. Hic enim Moses ea prænunciat, quæ peracturi olim erant Hebræi in Chanahanitide: constat autem, ex Israelitis ibidem constitutis plures non modo verum Dei cultum profanis cæremoniis corrupisse, sed etiam a veri Dei cultu ad cultum Idolorum sæpius defecisse.

(אלהים, לא ידעום *Elohím, lo jedahúm*; idest, *Dii*, (vel *Diis*), *quos non noverant*.) Dii scilicet Ægyptiorum, Moabitarum, aliarumque gentium.

(חדשים מקרב באו *hadashím mikkaróbh báu*; idest, *novi ex vicinia venerunt*.) Nimirum novos finitimarum gentium Deos Bahal, Moloch, Astharoth, aliosque hujusmodi in regionem suam invexerunt. Sunt qui vocem מקרב, quæ ad verbum redditur *ex propinquo*, interpretentur *nuper*: ut nimirum Dii recentes ac nuperrime conflati significentur, sicque vero Deo opponantur, qui æternus est, & apud Jeremiam (7) negat se esse Deum מקרב, sive *ex propinquo*; inquit enim האלהי מקרב אני ולא אלהי מרחק, idest, ut vertit Vulgatus Interpres, *putasne, Deus e vicino ego sum, & non Deus de longe?*

(לא שערום אבתיכם *lo shebarúm abbothechém*; idest, *quos non timuerunt majores vestri*.) Paulo aliter vertunt Lxx Interpretes, nimirum sic: οὓς οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες αὐτῶν, idest, *quos non*

(1) cap. xv vers. 27. (2) ad vers. 4 hujus cantici: pag. 41, & 42. (3) vide Exod. cap. xx vers. 5. (4) vide Ezech. cap. xi vers. 18; & cap. vii vers. 20, itidemque Deuter. cap. vii vers. 25. (5) vers. 37. (6) lib. 4 Instit. cap. xiii, num. 17. Vide & Brentium ad hunc locum. (7) cap. xxiii vers. 23.

non cognoverunt patres eorum. Quod porro dicit Moses *timuerunt*, idem est atque *coluerunt*. Ita & in Genesi Deus, quem coluit Isaacus, vocatur *terror Isaaci* (1).

Vers. 18. (צור ילדך תשי, ותשכח אל מחללך *Zur, jeladechá, téshi, vatishcháh El meholécha*; idest, *Petræ, quæ te genuit, oblivisceris, & oblivisceris Dei, qui te peperit*.) Israelem genuisse, ac peperisse dicitur Deus, ut appareat, ipsum adeo Hebræum populum dilexisse, ut ei patris instar, ac matris fuerit. Sunt quidem qui vocem מחללך vertant *laudantis te* (2), alii qui reddant *initiantis te* (3): Sed minus recte, ut opinor. תשי autem, cujus postremam literam י minusculam scribunt Rabbini, positum est pro תשה (4).

Vers. 19. (וירא יהוה, וינאץ מכעס בניו *vajjár Jehováh, vajjináz miccábas banáv*; idest, *Et videbit Dominus, & repudiabit præ ira filios suos*.) Verti etiam potest: *& irritatus est ob provocationem filiorum suorum*. Porro tertia pars cantici hic initium habet, in qua plures pœnas Israelitis minatur, & prænunciat vates, in primisque eorum rejectionem, atque abdicationem.

(ובנתיו *ubbnotháv*; idest, *& filias suas*.) Mulieres Hebræas intelligit, quas ad idolorum cultum proclives fuisse, constat e pluribus veteris testamenti locis (5).

Vers. 20. (ויאמר, אסתירה (6) פני מהם *vajjómer, astîrah phanáj mehém*; idest, *Et dicet, abscondam faciem meam ab eis*.) Adversa facies favoris ac benevolentiæ indicium est, aversa autem indignationis, vel contemptus. Per translationem itaque a rebus humanis petitam respicere eos dicitur Deus, quibus favet; ab iis vero faciem avertere, quibus iratus est: quæ loquendi formulæ sæpissime occurrunt in sacris libris. Ita David in psalmo XII (7), *usquequo avertis*, inquit, *faciem tuam a me?* Et in psalmo XXVI (8), *ne avertas faciem tuam a me*. Ac Deus ipse in Deuteronomio (9): *abscondam faciem meam ab eo, & eris in devorationem*. Quod porro in hoc versiculo futurum prædixit Moses, jam videmus effectum: avertit enim faciem suam a Judæis Deus, eosque omnino dereliquit: quod senserunt vel ipsi Hebræi (10), quando in bello cum Romanis gesto tot mala perpessi, ac tandem omnino profligati sunt, quemadmodum Christus Jesus aperte prænunciaverat (11).

(אראה, מה אחריתם *eréh, mah abarithám*; idest, *videbo, quis futurus sit finis eorum*.) Videbo, inquit, quem fructum tandem ex idolis percepturi, vel quid ad extremum acturi sint, vel potius quid tandem illis eventurum sit. Lxx Intt. pro אֶרְאֶה legerunt צַרְאָה; vertunt enim *καὶ δείξω*, idest, *& ostendam*.

(כי דור תהפכת המה, בנים, לא אמן בם *ki dor tahappuchóth hémmah, banîm, lo emún bam*; idest, *quoniam ætas versionum sunt ipsi, filii, in quibus non est fides*.) De vocibus דור (12), & אמן (13) vide quæ dicta sunt alibi. Hebræos autem dum vocat *ætatem versionum*,

(1) vide quæ dixi ad vers. XI superioris cantici, pag. 22 col. 1. (2) Calmet. ad hunc locum. (3) Oleast. ad hunc locum. (4) ex radice נשה. (5) Vide Ezech. cap. VIII vers. 14; & Jerem. cap. VII vers. 18; & cap. XLIV vers. 15. (6) סתר est *latuit*. Inde fit הסתיר, quod est *fecit ut lateret*, sive *abscondit*. Ex eadem radice, idest a *latendo*, dictus videtur *Saturnus*, sicut *Latium* dici volunt latini, quod Saturnus in eo latuerit. Ex eadem pariter dicti fortasse sunt *Satyri*, quasi סתורים, idest *latentes*. (7) vers. 1. (8) vers. 9. (9) cap. XXXI vers. 17. (10) Vide Joseph. lib. VII de Bell. Judaic. cap. 8. (11) Luc. cap. XIX vers. 43, & seqq. (12) ad vers. 5 hujus cantici, pag. 42, & 44. (13) de voce אמונים, quæ idem valet atque אמן, dixi ad vers. 4 hujus cantici, pag. 42 col. 2.

num, perinde eſt quaſi diceret, genus hominum rebelle, inconſtans, quod huc illucque facile vertitur.

Verſ. 21. (הם קנאוני בלא אל *Hem kineúni bbeló El*; ideſt, *Ipſi me ad zelotypiam provocarunt in non Deo.*) Idolorum cultus paſſim in divinis libris ſcortatio vocatur, aut adulterium: Deus autem quaſi rivalis ab idolorum cultore iis poſtpoſitus, qui Dii non ſunt, ad zelotypiam provocari dicitur, translatione ſcilicet ab amatoribus, ac maritis petita, qui, quum ſe negligi ſentiunt, zelotypi fiunt. Vide quæ dixi paulo ante ad verſiculum XVI (1).

(כעסוני בהבליהם *kibasúni bebabblebém*; ideſt, *irritarunt me in vanitatibus ſuis.*) Dii Gentium merito a ſacris ſcriptoribus (2) appellantur *vanitates*: nec enim Dii ſunt, ſed *inania* tantum Deorum nomina.

(ואני אקניאם בלא עם, בגוי נבל אכעיסם *vaani akniém beló ham, begój nabbál achisém*; ideſt, *& ego faciam ut ad zelotypiam provocentur in non populo, & faciam ut irritentur in gente ſtulta.*) Judæorum repudiationem, vocationemque Gentium his verbis deſignari, omnes tradunt Chriſtiani Interpretes (3) ſacrorum codicum. Et merito quidem. Nam & divinus Paulus (4) ut oſtendat ignorare Judæos non debuiſſe, fore aliquando, ut Gentes vocarentur ad fidem, hæc ipſa Moſis verba profert ſic reddita: *ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς*, ſive, ut Vulgatus Interpres habet: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam.*

Par pari ergo ſe relaturum ait hic Deus, juſtiſſimæque talionis formam prænunciat. Quum enim ad *zelotypiam* ipſum, atque ad *iram* provocaſſent Hebræi, honorem illis præſtantes, qui *non* erant *Dii*, ſed merum *nihil*; pari ratione Deus Hebræam gentem ad *zelotypiam*, atque ad *iram* ſe provocaturum prædicit, eos nimirum extollendo, honoribuſque afficiendo, qui *non* erant *populus*, ſed *nullius* pretii gens. Id quod reapſe ita contigit, uti prædictum fuerat: Judæos enim non templi everſio, non diſperſio, non ſervitus ſic angit, ut Gentium Chriſti fidem ſectantium religio, ac ſplendor dolore afficit, atque invidia: ex quo illud fieri animadvertit Origenes (5), ut odio longe majore Chriſtianos proſequantur, quam cultores idolorum.

Porro Gentes hic dicuntur *non populus*, vel quod tunc Dei populus nondum forent, vel quod, quum legum, religioniſque communio populum faciat, proinde populi nomine indigna ſit multitudo, quæ aut legibus ac religione careat, aut certe ſuperſtitioſam religionem, pravaſque leges habeat. Recte etiam dicuntur גוי נבל, ideſt, *gens ſtulta, ac prava* (6): ut enim inquit Paulus (7), *eramus aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis.* Vox autem גוי adhiberi plerumque a ſacris Scriptoribus tum ſolet, quum de alienigenis, atque a Moſis lege, & a veri Dei

(1) pag. 58 col. 1. (2) lib. 3 Reg. cap. XVI verſ. 13; Jerem. cap. VIII verſ. 19; & cap. XIV verſ. 22, & cap. XVI verſ. 18. (3) Vide Tertullian. lib. IV contr. Marcion. cap. XXXI; Clement. Alexandr. lib. 2 Strom. cap. 4; Origen. homil. 9 in Jerem. num. 2, tom. 3. editionis Pariſienſis PP. S. Mauri, pag. 179; itidemque homil. 2 in Exod. num. 4, tom. 2 ejuſdem edit. pag. 135; & Hilarium Pictavorum Epiſcopum lib. 5 de Trinit. num. 31, tom. 2 edit. Veron. ann. 1730, pag. 114, & alios. (4) in epiſt. ad Rom. cap. X verſ. 9. (5) homil. 1 in pſalm. 36, cujus initium eſt: *Noli æmulari*, &c. tom. 2 pag. 655. (6) de voce נבל vide quæ dixi ad verſ. 6, pag. 44. col. 2. (7) in epiſt. ad Tit. cap. III verſ. 3.

Dei cultu alienis gentibus sermo habetur.

Verf. 22. (כי אש קרחה באפי *ki esh kadehâh bheappi*; ideft, *quoniam ignis accensus est in ira mea*.) Totum hunc versiculum de illo igne explicant nonnulli, quo terrarum orbis, Petro teste (1), tandem absumetur, aut de illo, quo impii ac scelesti homines ad omnem æternitatem excruciabuntur. Non negarim equidem hunc quoque ignem spectari a Mose. Sed recte etiam dici potest, vehementi hoc, translatoque loquendi genere divinam ultionem, quæ igni a sacris Scriptoribus passim comparatur (2), describi, extremamque Jerosolymæ excidionem potissimum designari. Quod autem vates ait, hunc divinæ ultionis ignem jam accensum esse, id aut est præteritum futuro vertendum, aut ignem denotat prædestinatione Dei duntaxat accensum, non reipsa.

(ותיקד עד שאול תחתית, ותאכל ארץ ויבלה ותלהט מוסדי הרים, *vattikád had sheól tahtith*, *vattochál érez*, *vibhulâha*, *vattelahét mosedê harim*; ideft, *& comburet usque ad infernum inferiorem*, *& absumet terram*, *& proventum ejus*, *& aduret fundamenta montium*.) Ut divinam ultionem vehementissime exprimat Moses, eam quasi ignem, non modo quæ in terræ superficie sunt, arbores, fruges, animantia, atque ædificia exusturam esse ait, sed & usque ad montium fundamenta, immo usque ad infernum infimum penetraturam ac sævituram. Id quod nonnulli, ut modo indicavi, de extremo, æternoque improborum supplicio interpretantur, quasi divinum furorem ita exarsurum indicet Moses, ut scelestos homines & maximis ante eorum obitum calamitatibus, & æternis post mortem cruciatibus puniturus sit. Attamen *infernum infimum* loca etiam terræ infima, seu reconditiora telluris penetralia, in quibus sepulcra sunt hominum, interpretari licet.

Sed ut magis illustretur hic locus, videndum est paucis, quid notetur nomine שאול, de quo multa multi scripserunt (3). Tres autem potissimum habere potest significationes. Primum enim pro *sepulcro* interdum sumitur, veluti in illo psalmi XXIX, seu XXX (4): *eduxisti* משאול, sive *ab inferno*, ideft, *a sepulcro animam meam*; itemque in psalmo CXL, seu CXLI (5), in quo hæc legere licet: *dissipata sunt ossa nostra* לפי שאול, sive *secus infernum*, ideft *secus sepulcrum* (6). Deinde שאול locum etiam denotat, quem *Infernum* dicimus, locum scilicet, in quem e carceribus corporis evolant humani animi, nisi statim ad superos abeant, modo quidem eum, in quo Patriarchæ olim degebant, modo eum, in quo impii torquentur, justive purgantur. Hujusmodi loca procul dubio significat tum apud Davidem, tum apud Jesahiam. Apud Davidem enim in psalmo XV, sive XVI (7) Christus est sic loquens: *non derelinques animam meam* לשאול, sive *in inferno*. Jesahias vero in capite XIV de Baby-

(1) in epist. 2. cap. III vers. 10: *elementa*, inquit, *calore solventur*, *terra autem*, *& quæ in ipsa sunt opera*, *exurentur*. (2) psalm. XVII vers. 9: *ascendit fumus in ira ejus*, *& ignis a facie ejus exarsit*. Nahum cap. I vers. 4: *indignatio ejus effusa est ut ignis*. Vide etiam Jerem. cap. XLIV vers. 6, & Michæ. cap. I vers. 4, &c. (3) ex catholicis Genebrardus lib. 3. de Trin. pag. 281. & ad psalm. 9 vers. 19; Pererius tom. 4 in Gen. cap. 37, num. 02, Oleaster in cap. 37 Genes., Steuchus ad eumdem locum, & alibi, Marinus in Thesauro, aliique; ex Heterodoxis vero Johannes Carreus in differt. *de descensu Christi ad inferos*, Nic. Joh. Leih in differt. de voce שאול, quæ exstat tom. 1. Thesauri Theologic. Philologici, in qua omnia Scripturæ loca expendit, in quibus occurrit ea vox; Mathias Flacius Illyricus in *clavi sacræ Scripturæ* ad vocem *Infernus*, & alii plurimi.

(4) vers. 4. (5) vers. 7. (6) vide etiam, si placet, ps. 88, sive 89 vers. 49, & Jobi cap. XVII vers. 13. (7) vers. 10.

bylonicorum rege verba faciens, primo ipsum שאולה, sive *in infernum* pergentem describit (1), deinde sepulcrum habiturum esse negat (2): ut appareat, ibi שאול pro *sepulcro* accipi nequaquam posse. Denique hæc ipsa vox שאול cavum quidpiam subterraneum significare videtur aliquando (3), uti fortasse hoc in loco, quem exponimus. Ex quo fit, ut Jonas (4) piscis ventrem, in quo fuerat, vocet ventrem בטן שאול.

Vers. 23. (אספה עלימו רעות *aspéb halémo rahóth*; idest, *consumam super ipsos mala.*) Clericus vertit *adjiciam iis mala*; quasi אספה deducatur ex יסף, idest *addidit*, id quod videtur absurdum, aut quasi הספה idem valeat ac יסף, id quod temere affirmaretur. Rectius Interpretes LXX, & Vulgatus, quibus consentit Onkelosus: hi enim exponunt, *congregabo super eos mala.* Ac sane אספה derivatur, ut perspicuum est, ex radice ספה, quæ valet *absumpsit, fecit ut deficeret, in nihilum redegit*: ac proinde הספה in *biphil*, ut ajunt, proprie significat *absumere fecit.* Quum ergo Deus hic ait, אספה עלימו רעות, perinde est, quasi diceret: quidquid usquam malorum est, atque ærumnarum, id totum ut experiantur efficiam.

(חצי אכלה בם *bizzáj acballéb bam*; idest, *sagittas meas absumam in eis.*) Pulcherrima, & elegans locutio, qua Deus veluti pharetra, & arcu instructus exhibetur: quam imaginem fusius persequitur David in psalmo VII (5), ubi, *arcum suum*, inquit, *tetendit Deus, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Simili ergo translatione usus hic Moses Deum sic loquentem inducit: *sagittas meas in eis absumam*, idest, sagittas omnes meas in eos projiciens, pharetram meam exhauriam. *Sagittæ* autem per metaphoram sacris Scriptoribus maxime usitatam (6) dicuntur calamitates, quibus pravos, sontesque homines punit Deus.

Vers. 24. (מזי רעב *mezé rabább*, idest, *adustiones famis*, aut, si mavis, *adustos fame.*) Vox מזים, seu מזי, quæ hoc duntaxat in loco legitur, incertæ significationis est. LXX Interpretes vertunt τηκόμενοι, idest, *liquescentes.* Oleaster vero eam deducit ex זוה, idest *angulo*, ideoque מזי רעב interpretatur *constrictos fame, quemadmodum constringitur res ad angulum redacta.* Sed Oleastri conjecturam non probant ceteri Interpretes; vertere enim fere solent *adusti*, vel *adustiones*: quasi scilicet מזי derivetur ex radice chaldaica אזא, quæ valet *adussit* (7).

(ולחמי רשף *u'bumé résbeph*, idest, *& comestiones ardoris*, aut, si mavis, *comesos ardore.*) Quid significet vox רשף, non omnino certum est. Sex omnino sunt loca, in quibus occurrit, nec eodem in omnibus modo adhibetur, uti videre licet apud Oleastrum (8), & Marinum (9), qui ea loca afferunt, & exponunt. Hos adi, si libet: nos enim quid hoc in loco denotet ea vox, investigare contenti erimus. LXX quidem Interpretes, ac Vulgatus, aliique nonnulli ex veteribus *avem* hic transferunt. Hebræi vero, Hieronymo teste (10), putarunt esse dæmonis nomen: quin Vulgatus ipse Interpres alibi (11) vertit *diabolus.* Plerosque tamen e recentioribus video in id convenire, ut רשף hic vertant anthracem, seu carbunculum, aut cauma, aut febrim ardentem ac pestiferam, ad summam morbum

(1) vers. 9, & seqq. (2) vers. 19, & 20. (3) vide Jesahi. cap. XIV vers. XI, & Job. cap. XXVI vers. 6. (4) cap. 2 vers. 2. (5) vers. 13, & 14. (6) Vide Job. cap. VI vers. 4; & ps. 17, sive 18 vers. 15; & ps. 37, sive 38 vers. 3, &c. (7) vide Daniel. cap. III vers. 18. (8) ad hunc locum. (9) in Thesauro. (10) ad Habac. cap. III vers. 4. (11) cap. 3 Habac. vers. 4.

bum quemdam instar prunæ adurentem. Itaque Cornelius a Lapide conjicit, רשף per μετάθεσιν factum esse ex שרף, quod est *incendit*.

(וקטב מרירי *vekètebh merìri*; id-est, *& luem amaram*.) Lxx Intt. vertunt, καὶ ὀπισθότονος ἀνίατος, ideft, *& opisthotonus insanabilis*. Opisthotonus autem, quem Plinius (1) *rigorem inflexibilem* vocat, est morbus, quo cervix, vel poslicæ aliæ corporis humani partes ita rigescunt, ut flecti nequeant. At Salomon hebræus interpres non ignobilis (2) voce quidem קטב *afflictionem* denotari censet, מרירי autem vult esse Dæmonis cujusdam nomen, ab amaritudine ductum scilicet. Sed hæc temere finguntur. Equidem malim cum Marino, aliisque compluribus קטב interpretari *excidium*, & morbi potentissimi genus, quodcumque tandem illud sit (3), amarissime excrucians.

(ושן בהמת אשלח בם *veshèn behemòth ashallàh bam*; ideft, *& dentem bestiarum mittam in eos*.) Vox בהמות proprie majora bruta designat (4), sæpe quidem domestica, ut equos, ut boves, ut asinos; aliquando tamen etiam silvestria, ut leones, ut ursos, ut lupos, & alia id genus: atque hoc modo explicanda est hoc in loco. Palæstinam porro, finitimasve regiones hujus modi feris abundasse, colligitur e pluribus Scripturæ locis, ac præsertim ex libro Exodi (5), ubi Israelitas monet Deus, ne Chananæos intra annum omnes e suis finibus ejiciant, ne scilicet per vastam regionem sparsi ipsi Israelitæ a feris illuc concurrentibus nimium divexarentur. Nihil est ergo, cur quod hic ait Deus, se bestias in hostes suos immissurum, id per translationem explicemus, ut nonnulli faciunt, quasi *ferarum dentes* crudelitatem hostium denotent: præsertim quum hujus pœnæ crebra occurrat mentio in Scriptura (6).

(עם חמת זחלי עפר *him hamàth zohalè baphàr*; ideft, *cum furore* (seu *veneno*) *serpentium pulveris*.) Dictio חמה proprie *æstum*, ac *furorem* notat: derivarique videtur ex יחם, quod non recte quidam vertunt *iratus est* (7); idem enim valet atque *incaluit*, in coitu scilicet. Hic tamen חמה *venenum* etiam reddere licet, quo modo Vulgatus etiam Interpres eamdem vocem reddit alibi (8). זחלים autem dicuntur *serpentes*, a זחל, quod significare videtur *expavit* (9): vel quod hominum conspectum expavescant, vel potius, quod eorum conspectum homines expavescant, ut Marinus conjicit (10). Serpentes porro venenatos per poeticam periphrasim vocat Moses *furorem*, seu *venenum serpentium pulveris*, propterea quod serpentes humi, seu in pulvere repant, vel quod pulvere vescantur, ut est in Genesi (11): id quod tamen non ita accipiendum videtur, quasi serpentes reipsa vescan-

(1) lib. xxviii cap. 12. Vide & lib. 20 cap. 21; itidemque lib. 24 cap. 12. (2) apud Stench. ad hunc locum.
(3) vide Marini Thesaurum ad voces קֶטֶב, & קֹטֶב. (4) vide vers. 24 primi capitis Genes.
(5) cap. xxiii vers. 20: itemque Deuter. cap. vii vers. 22, ubi hæc exstant: *non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ*. Vide etiam lib. 1. Reg. cap. xvii vers. 34, & Ecclesiastic. cap. xlvii vers. 3; & lib. Judic. cap. xiv vers. 6.
(6) lib. iv Reg. cap. xvii vers. 25, & cap. 2 vers. 24, & lib. 3 Reg. cap. xiii vers. 24; Ezech. cap. xiv vers. 15; Jerem. cap. xiv vers. 3; Sapient. cap. xi vers. 16, & 18; Ecclesiastic. cap. xxxix vers. 36. (7) Oleaster ad hunc locum. (8) in vers. 33 hujus cantici; & in vers. 4 psalmi 130, sive 140. (9) Vide versiculum 6 capitis xxxii Jobi.
(10) in Thesauro ad vocem זחלים. (11) cap. iii vers. 14. Vide etiam cap. 65 Jesaiæ vers. 25, & Michææ cap. vii vers. 17. Adi quoque, si libet, Sam. Bochart. Hieroz. part. 1. lib. 1. cap. 4, ubi e scriptoribus profanis sententias colligit in hanc rem.

scantur pulvere: sed quum humi repant, fieri vix potest, ut cum iis, quæ lambunt, aliquantum pulveris in os non ingeratur. Hujus autem pœnæ, quam hic Moses commemorat, mentio alibi sæpius fit, veluti in Numeris (1), in Deuteronomio (2), in Jeremia (3), & in Hamoso (4): quod adnotavi, ut appareat, nihil esse, cur hic ad allegorias confugiamus.

Vers. 25. (מחוץ תשכל חרב, ומחדרים אימה *mibúz teshakkél berebb, umebadarim emáb*; idest, *foris interficiet ensis, & intus terror.*) Simile illud Jeremiæ in Threnis (5), מחוץ שכלה חרב, בבית כמות, idest, *foris interfecit ensis, domi* fuit veluti *mors*. Itemque illud Pauli (6), *foris pugnæ, intus timores*. Porro חוץ idem valet ac *foris*: at aliquando vicum quoque, compitum, plateam, & alia generis ejusdem denotat: itaque מחוץ verti etiam potest *a vico, a platea*, idest, latina phrasi, *in vicis, in plateis*: ut scilicet alteri voci מחדרים respondeat, atque opponatur; חדר enim *cubiculum*, seu *penetrale* designat. Verbum vero שכל proprie valet *orbavit, filios interemit*; sed interdum ἁπλῶς *interemit*: atque hoc modo malim hic interpretari, ne in secundo hemistichio, quod mox exponam, subaudire cogamur *occidet, perdet*, aut quid simile, ut nonnulli faciunt. Prædicit ergo Deus hic, fore ut Israelitæ *foris* quidem, sive in bello, aut in agris, aut in plateis, aut in vicis ferro trucidentur; *intus* autem, sive intra urbium mœnia, aut in penetralibus, penitisque domorum locis terrore exanimentur: quæ non mediocris pœna iis futura erat, quibus dixerat Deus in Levitico (7): *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, ... absque pavore habitabitis in terra vestra: dabo pacem in finibus vestris; dormietis, & non erit, qui exterreat: auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros*. Judæis autem ea reapse contigisse, quæ hic prænunciantur, tum ex Josepho (8) constat, tum multo magis ex veteris Testamenti libris (9).

(גם בחור, גם בתולה, יונק עם איש שיבה *gam babúr, gam betbuláb, jonéck bim isb sebbáb*; idest, *& juvenem, & virginem, lactentem cum homine senectutis*.) Nimirum neque adolescentiæ flos juvenem, neque ætatis species virginem juvabit, neque aut commiseratione infantem, aut pietate ac reverentia senem hostes prosequentur.

Vers. 26. (אמרתי, אפאיהם *amírti, aphebém*; idest, *dixi, in extremitates jaciam eos*.) Nomen פאה *angulum, latus*, & cujusque rei *extremitatem* designat. Hinc derivavit Moses verbum הפאה, seu הפאיה, quo nusquam alibi sacri Scriptores usi sunt. Itaque quum ait Deus, אפאיהם, perinde est quasi diceret: si qui forte ex ipsis post tot tantasque calamitates, ac pœnas supererint, hos in omnes orbis terrarum angulos, atque extremitates disjiciam, captivi abducentur, ac servi facti levissimo pretio venundabuntur: quod revera tum sæpe antea, tum maxime tunc evenisse, quum Judæi a Romanis devicti sunt, nemini ignotum est. Simili ratione LXX Interpretes exponendum censuerunt; vertunt enim, εἶπον, διασπερῶ αὐτούς; idest, *dixi, dispergam eos*. Atque hinc dictas monet Grotius Israelitarum διασπορὰς in Babylonia, Media, Ægypto, Græcia,

(1) cap. XXI vers. 6. (2) cap VIII vers. 15. (3) cap. VIII vers. 17. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* (4) cap. IX vers. 3. Vide etiam, si libet, Ecclesiastic. cap. XXXIX vers. 36; & Sap. cap. XVI vers. 5; & Judith cap. VIII vers. 25; & 1. Corinth. cap. X vers. 9. (5) cap. I vers. 20. (6) epist. 2 ad Cor. cap. VII vers. 5.
(7) cap. XXVI vers. 3, & 5, & seqq. (8) Lege, si libet, Josephi libros de Bell. Judaic.
(9) Vide lib. 2 Paralip. cap. XXXVI vers. 17; Jerem. cap. II vers. 22; lib 2. Machab. cap. V vers. 13.

cia, & alibi. At paulo aliter dictionem אפאיהם explicat Clericus: is enim, *videtur*, inquit, *hoc velle Deus: eos ita perdam, ut non plures supersint, quam reliquæ sunt spicæ in agro, quem messor הפאיח, idest ad extremitatem usque demessuit*. Sed probabilior videtur, quam priorem attuli, interpretatio.

Porro exemplari hebræo non consentit hic Samaritanum: etenim pro אפאיהם habet אפי הם, idest, *ira mea illos*, subaudi *perdet*. Cui lectioni consentanea est chaldaica Onkelosi explanatio, quæ est hujus modi: יחול רוגזי עליהון, ואשיצינון; idest, *manebit ira mea super eos, & consumam eos*. Denique Vulgatus Interpres quum vertat, *ubinam sunt?* oportet, ut vel unum vocabulum אפאיהם legerit divisum in tria אף אי הם, vel potius legerit אפוא הם, idest, *ubi ipsi?* Quod si hac ratione legamus, continebit hic locus amarissimam quamdam irrisionem in eos, qui in falsis numinibus, hominumque potentia, ac fidelitate sibi confidebant, prolatam, cujus exempla in Scripturis crebra sunt (1).

(אשביתה מאנוש זכרם *asbbîtbab meenôsb zicbrâm;* idest, *cessare faciam* (seu *delebo*) *ex hominibus memoriam eorum*.) Aut, si mavis, *delerem ex hominibus memoriam eorum*. Sequitur enim, *nisi iram inimici timerem*: &c. Porro eorum *memoriam delere* dicitur Deus, quos omnino de medio tollit, aut quos huc illucque dispergit. Ita in Exodo (2): *delebo*, inquit, *memoriam Amalech sub cælo*. Et apud Jobum (3) Baldad Suhites: *memoria*, inquit, *illius* (impii scilicet hominis) *pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis*. Ac David in psalmo XXXIII, seu XXXIV (4): *Vultus*, inquit, *Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (5). Quum ergo hic ait Deus, *delerem ex hominibus memoriam eorum*, perinde esse videtur, quasi diceret: de medio ipsos omnino sublatos vellem, ut nulla eorum memoria superesset.

Vers. 27. (לולי כעס אויב אגור *lulê cdbas ojêbb agûr;* idest, *nisi indignationem inimici timebo*, aut *timerem*.) Binas in hoc versiculo rationes affert Deus, ob quas Hebræos continuo non est deleturus: prima ex hostium furore petitur; altera ex eo, quod Judæorum hostes relatam de Judæis ipsis victoriam non Jehovæ attributuri essent, sed suis aut Diis, aut viribus. Prima autem continetur his verbis, altera subsequentibus. Sed ut germanam hujus loci sententiam assequamur, hæc adnotanda sunt. Nimirum vox כעס modo active sumitur, ut *provocationem* denotet (6), modo passive, ut significet *indignationem*. Radix vero גור quamvis plerumque significet *habitare*, interdum tamen etiam idem valet ac *timere*: quo modo quum accipitur, convenit cum radice יגר, id est *timuit*. Itaque אגור idem est ac *timebo*: posset tamen etiam derivari ex אגר, quod est *collegit, congregavit*.

His positis, apparet, unde fiat, ut tres potissimum propositorum verborum afferantur interpretationes. Ac primum quidem Onkelosus, quasi אגור ducatur ex אגר, chaldaice sic transfert paulo obscurius: אלולפון רוגזא דסנאה כביש, idest, *nisi ira inimici collecta esset*. Deinde Oleaster vocem כעס active exponens, transfert in hunc modum: *nisi provocationem inimici timerem.*

I

(1) vers. 37 hujus cantici: *ubi sunt Dii eorum?* Et Hose. cap. XIII vers. 10: *ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te*. Et Jesahi. cap. XIX vers. 12: *ubi sunt sapientes tui?* vide & cap. XXXIII vers. 18; & Nahum cap. 2 vers. XI; & Jerem. cap. XXXVII vers. 18; & epist. 1 ad Cor. cap. XV vers. 55. (2) cap. XVII vers. 14. (3) cap. XVIII vers. 17. (4) vers. 17. (5) vide etiam ps. CVIII, sive CIX vers. 15; & Sap. cap. X vers. 20; & Jesahi. cap. XXVI vers. 14; & Ezech. cap. XXV vers. 10, &c. (6) vide quæ adnotavi ad vers. 19, pag. 59 col. 1.

rem. Ideſt, niſi vererer, ne eorum hoſtes me provocarent, ſibi ſcilicet, aut ſuis Diis ea tribuentes, quæ ipſe feciſſem, nomenque meum blaſphemantes. Poſtremo ſic etiam interpretantur aliqui: *niſi indignationem*, ſeu *ferociam hoſtium vererer;* ideſt, niſi timerem, ne hoſtes præter modum contra ipſos ferocirent. Quin ſunt præterea qui vertant, *an non iram inimici timebo?* quaſi לולי, ſeu לולא ſignificet *an non*: quod an verum ſit, ipſi viderint. Lxx vero Interpretes vocem אגור omittentes, ſic vertunt, εἰμὴ δὶ ὀργὴν ἐχθρῶν, hoc eſt, *niſi propter iram inimicorum:* ſubaudi, *differendum cenſerem*, aut quid ſimile.

(פן ינכרו צרימו *pen jenakkerú zarémo;* ideſt; *ne forte alteri tribuant vexatores eorum.*) Miror Lxx Interpretes ita tranſtuliſſe: ἵνα μὴ μακροχρονίσωσι, καὶ ἵνα μὴ συνεπιθῶνται οἱ ὑπεναντίοι, ideſt, *ne forte diutius vivant, & ne inſurgant contrarii.* Nihil enim tale in hebræo exemplare hodie legitur. Rectius Vulgatus Interpres: *ne forte ſuperbirent hoſtes eorum;* ſimilique ratione Onkeloſus: דילמא יתרברב בעיל דבבא, ideſt, *ne forte ſe ſe magnificet inimicus.* Porro verbum נִכֵּר derivatur ex נֵכָר, quod eſt *alienatio*, unde & ducitur נכרי, ideſt *ignotus, alienus;* itidemque התנכר, hoc eſt, *inſtar ignoti*, aut *alieni ſe geſſit.* Quod ergo hic legimus פן ינכרו, id verti poteſt, *ne forte ſe ſe abalienarent a me*, vel, *ne forte inſtar ignotorum ſe gererent, ſimularentque ſe non agnoſcere, id a me factum eſſe;* vel denique potius, *ne forte alteri tribuerent*, nimirum falſis Diis. Ac ſane poſtremam hanc ſignificationem habere videtur hæc ipſa dictio ינכרו apud Jeremiam (1), ubi, *dereliquerunt me*, inquit Deus, ינכרו, ſive *aliis tribuerunt hunc locum, & adoleverunt Diis alienis.*

(פן יאמרו, ידנו רמה, ולא יהוה פעל כל זאת) *pen jomerú, jadénu ramáh, veló Jehováh phabál col zoth;* ideſt, *ne forte dicant, manus noſtra elata, & non Dominus operatus eſt hæc omnia.*) *Manus elata* invictas vires, ſummamque potentiam denotat, translatione ſcilicet ab his, ut videtur, petita, qui ſtricto enſe, & elato brachio feriunt (2). Vereri autem ſe dicit Deus, ne, ſi Iſraelitas continuo perdat, eorum deletionem Hebræorum hoſtes ſibimetipſis adſcribant, dicantque: *manus noſtra elata, non Jehova fecit hæc omnia.* Itaque extremum Iſraelitarum excidium, quod hic deſignare, ac reſpicere videtur, opportunius tunc eventurum eſſe indicat, quum per Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam unius Dei cognitio propagata fuerit. Porro Moſes quoque ut iratum Jehovam placaret, quidnam ex calamitatibus, quibus Hebræos afflicturus erat, contra ejus majeſtatem collecturi forent eorum hoſtes, ſæpius ei commemoravit. Ita in Numeris (3) quum dixiſſet Deus (4), *feriam eos peſtilentia, atque conſumam:* Moſes ut ejus indignationem mitigaret, *ut audiant*, inquit, *Ægyptii... & dicant: non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat: iccirco occidit eos in ſolitudine* (5).

Verſ. 28. (כי גוי אבד עצות המה *ki goj obbád bezóth hémmah;* ideſt, *quoniam gens carens conſiliis ipſi.*) Vocem גוי dixi antea (6) adhiberi plerumque, quum de gentibus a Moſis lege alienis ſermo eſt. Ex quo intelligitur hunc verſiculum ad Judæorum hoſtes, non ad Judæos ipſos referendum eſſe. אבד vero idem videtur eſſe atque אֹבֵד, ideſt *periens. Periens* autem *conſiliis* dicitur in he-

(1) cap. xix verſ. 4. (2) Virgilius lib. v Æneid. verſs. 426, & 427 de Darete, & Entello ſe ſe invicem percuſſuris ſic loquitur: *Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque, Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.* (3) cap. xiv. (4) verſ. 12.

(5) vide etiam Exod. cap. xxxii verſ. 10, & ſeqq. itemque Deuter. cap. ix verſ. 28.

(6) ad verſ. 21 hujus cantici, pag. 60 col. 2.

hebræo sermone is, qui imprudens sit, & inconsultus. Fuerunt tamen (1) qui observarent, radicem אבר significare apud Æthiopas *stultum esse*, quo modo hic quoque accipi eam posse censent, ut & apud Jeremiam (2). Quapropter גוי אבר עצות vertunt *gens insana consiliis*, idest, quæ insanis utitur consiliis. Verum ut vocis אבר significationem inveniamus, necesse non est ad linguam Æthiopicam confugere, si quid valent, quæ modo dicta sunt.

(ואין בהם תבונה *veén babém tebbunáb*; idest, *& non in ipsis intelligentia.*) Oportet sane intelligentia eum destitui, qui non Deo accepta refert, sed sibi tribuit, si qua facit laudabilia. Aquila sic transtulit: *ὀυκ ἔστιν ἐν ἀυτοῖς φρόνησις*, idest, *non est in illis prudentia*.

Jam vero quamvis ad Judæorum hostes versiculum hunc retulerimus, ad Israelitas tamen ipsos pertinere etiam potest: qua ratione si interpretari quis velit, versiculus iste cum superioribus ita connectendus erit, quasi dicat Deus: Efficerem ut Israelitarum memoria extingueretur, nisi vererer, &c. ideo autem id efficerem, quod Hebræi gens inconsulta sit atque stultissima. Quin & illud animadvertendum hic est, non modo versiculum hunc duodetricesimum, verum etiam reliquos proxime sequentes usque ad sextum & tricesimum ab aliis (3) quidem ad Judæos, ab aliis (4) vero, quorum mihi magis probatur opinio, ad eorum hostes referri.

Vers. 29. (לו חכמו, ישכילו זאת, יבינו לאחריתם *lu bachemú, jaskilu zotb, jabbinu leabaritbám*; idest, *utinam sapientes facti essent: næ illi intelligerent hoc, considerarent finem suum.*) Nimirum utinam Hebræorum hostes resipiscerent: næ illi providerent, quid ad extremum ipsis eventurum sit: si enim Israelitas ob eorum crimina tam graviter punio, quidni eorum quoque hostes pœnas tandem subituri sint? Quod autem ait, *intelligerent hoc*, id vel ad superiora referendum est, quasi dicat: intelligerent me perdidisse populum meum ob ejus peccata, ideoque ejus rei gloriam non sibi, sed mihi vindicarent: vel referendum est ad ea, quæ in versiculo proxime sequenti dicuntur. Porro locum hunc multo aliter interpretantur Lxx Interpretes: ita enim vertunt: *ὀυκ ἐφρόνησαν συνιέναι ταῦτα· πάντα καταδεξάσθωσαν εἰς τὸν ἐπιόντα χρόνον*, idest, *non sapientes fuerunt ad intelligendum: hæc omnia suscipiant in subsequens tempus*. In quo apparet eos hebraico exemplari, quale hodie exstat, non consentire.

Vers. 30. (איכה ירדף אחד אלף, ושנים יניסו רבבה? *echáb irdóph ehád élepb, usbnáim janísu rebbabbáb*; idest, *quomodo persequetur unus mille, & duo fugabunt decies mille?*) Duas habere potest hic locus interpretationes. Ac primum sic exponi posset: Deberent sane Israelitæ, aut eorum hostes (ad utrosque enim hæc referri possunt) secum ipsi hoc reputare: Qui fiebat olim ut Israelitarum unus decem e suis hostibus, ac duo millenos insequerentur, fugarentque? Fieri profecto non potuisset, ut tam pauci Israelitæ tam multos hostes vincerent, nisi hos in illorum manus omnipotens Jehova tradidisset. Porro eam locutionem, qua unus decem, ac duo millenos persequi dicuntur, ferme proverbialem esse existimo, nec aliud quidquam ea significari, quam paucissimos plurimis superiores esse. Constat autem unicuique in sacris historiis vel mediocriter versato, sæpe maximos exercitus a paucis Israelitarum copiis profligatos esse, præsertim in bellis, quæ contra Amalecitas, Amorræos, ac Madianitas

 ges-

(1) vide Cleric. ad hunc locum. (2) cap. xv vers. 9. (3) ab Euthymio scilicet, Malvenda, Cornelio a Lapide, aliisque. (4) a Vatablo, Abulensi, Tirino, Bonfrerio, Calmeto, & aliis.

gesserunt. Quin etiam in Levitico (1) haud absimili modo Israelitas alloquens Deus, *persequentur*, inquit, *quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia.* Et in libro Josuæ (2): *Unus e vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit.*

Deinde proposita verba ita etiam interpretari licet, quasi Moses Prophetarum more in futuras ætates animo se transferens, atque ultimam potissimum Judæorum excidionem per Romanos faciendam respiciens sic loquatur: Partam de Hebræis victoriam sibimetipsis non vindicarent eorum hostes, si saperent: cogitare enim deberent, fieri non potuisse, ut Romanæ copiæ munitissimam, ac fere inexpugnabilem Jerosolymæ urbem caperent, omnemque Judæorum gentem dispergerent, nisi Hebræos Deus Romanis veluti vendidisset.

(אם לא כי צורם (3) מכרם ? *im lo ki Zurím mecharím*; idest, *an non quia Petra* (nempe *Deus*) *eorum vendidit eos?*) Venditæ rei fit dominus cui venditur. Itaque Hebræos (de ipsis enim malim hæc verba intelligere) *vendidisse* ideo dicitur Deus, quod eos quasi vilissimos servos in dominium hostium tradiderit. Simili modo David in psalmo xliv, seu xliii (4) ait: תמכר עמך בלא הון, idest, *vendes populum tuum sine substantia*, sive, ut recte Vulgatus Interpres vertit, *sine pretio*. Ceterum quamvis מכר proprie significet *vendidit*, aliquando tamen nihil aliud denotare videtur, quam *tradidit*, veluti in illo Judicum (5) ביד אשה ימכר יהוה את סיסרא, idest, *in manum fœminæ tradet Dominus Sisaram*. Et apud Ezechielem (6) ומכרתי את הארץ ביד רעים, idest, *& tradidi terram in manum improborum*. Eamdemque significationem habere potest in hoc Mosis loco.

(ויהוה הסגירם? *viJhovah isghirám*; idest, *& Jehova clausit illos?*) Ne qua scilicet effugium pateret. הסגיר tamen non modo significat *clausit*, sed etiam *tradidit* (7).

Vers. 31. (כי לא כצורנו צורם *ki lo cheZurénu Zurím*; idest, *quoniam non ut Deus noster Deus eorum.*) Negat Moses Hebræorum Deum Diis gentium similem esse, eum scilicet esse negat, qui injurias sibi illatas inultas impunitasque dimittat, aut qui suis prodesse, eosque e quovis periculo, ac discrimine eripere nequeat. Onkelosus vocem צור interpretatur *fortitudinem*; sic enim chaldaice transfert: ארי לא כתוקפנא תוקפהון; idest, *quoniam non est fortitudo nostra fortitudo eorum.*

(ואיבינו פלילים *veojebhénu phelilím*; idest, *& nostri inimici sunt judices.*) Lxx Interpretes ita vertunt, *οἱ δὲ ἐχθροὶ ἡμῶν ἀνόητοι*, hoc est, *inimici autem nostri stulti*: quasi pro פלילים legerint אוילים. Nam פלילי sine dubio *judicem*, aut *censorem* significat: ducitur enim ex פלל, quod est *judicavit*. Porro totum hoc, *& nostri inimici sunt judices*, Salomon interpres hebræus (8) sic exponit: Inimici nostri ideo nostri judices sunt, quia vendidit nos illis Deus tanquam mancipia. Nostri autem Interpretes ita fere explicant, quasi dicat Moses: *vel hostibus nostris judicibus*. Notissima scilicet omnibus erant, quæ in Ægypto, in mari Erythræo, & in Deserto mirabilia pro Israelitis Deus gesserat: ac proinde cum Jehova alios Deos nullo modo conferendos esse, vel ipsi Hebræorum hostes poterant judicare: quin revera id sæpius profiteri, ac Jehovæ potentiam agnoscere coacti sunt. In Exodo (9) enim Ægyptii, *fugiamus*, inquiebant, *Israelem*; *Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Et in libro Josuæ (10) Rahaba, *Dominus Deus vester*,

(1) cap. xxvi vers. 8. (2) cap. xxiii vers. 10. (3) de voce צור dixi pag. 41, & 42. (4) vers. 13. (5) cap. iv vers. 9. (6) cap. xxx vers. 12. (7) vide Marini Thesaurum. (8) vide Steuchum ad hunc locum. (9) cap. xiv vers. 25. (10) cap. 2 vers. 11.

ster, inquit, *ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum*. Et in libro Samuelis primo (1) Philistæi, *væ nobis*, inquiunt, *quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?*

Vers. 32. (כי מגפן סדם גפנם *ki miggbépben Sedóm gapbnám*; idest, *quoniam ex vite Sedom vitis eorum.*) De Judæorum hostibus videntur hæc dici, quamvis multi ad Judæos ipsos ea referant (2). Sedomæ porro, ac finitimarum, quæ postmodum subversæ sunt, urbium incolas in omne flagitiorum genus se se ingurgitasse nemo nescius est: qui vel eo nequitiæ venerant, ut hospites violare impudentissime conati sint (3). Ex quo fit, ut sceleratos homines Sedomæis passim, Gomorræisque comparent divini Scriptores, veluti Jesahias, dum Jerosolymitanos ita alloquitur (4): *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorræ*. Simili ratione Moses in hoc versiculo, ut eorum, de quibus loquitur, pravissimos deterrimosque mores describat, a Sedoma, & Gomorra comparationem ducit. Utitur autem translatione a vitibus petita, quam & in hoc, & in subsequenti versiculo per continuam allegoriam eleganter persequitur. *Ex vite Sedomæ*, inquit, *est vitis eorum*; idest, eorum mores moribus Sedomæorum sunt quam simillimi: atque ut palmites, traducesve fructum matricibus, e quibus desumti sunt, similem generant, sic isti quasi propago quædam sint vitium Sedomæ, fructus proferunt earum fructibus non dissimiles. Ita quidem videtur explicandus hic locus. Aliter tamen eum explanat Onkelosus: chaldaice enim sic interpretatur: ארי כפורענות עמא דסדום פורענותהון; idest, *quoniam sicut vindicta populi Sedomæ erit vindicta eorum*. Vulgatus autem Interpres ita fere vertit, uti nos transtulimus: omittit tamen particulam כי, idest *quoniam*: nec immerito; sæpe enim παρέλκει (5), ac fortasse hoc etiam in loco.

(ומשדמת עמרה *umissbadmóth Hamoráh*; idest, *& ex vastationibus Gomorræ*.) Onkelosus chaldaice sic reddidit, ולקותהון כעם עמרה, idest, *& percussio eorum sicut populi Gomorræ*. Lxx vero Interpretes ita transferunt: καὶ ἡ κλῆμα τὶς αὐτῶν ἐκ Γομοῤῥας. hoc est, *& vitis eorum ex Gomorra*. At neutri vertunt vocem משדמות, quam tamen non omittit Vulgatus Interpres. Quid autem sint proprie שדמות, liquido non constat. Alii *arva*, alii *suburbanos agros*, alii *vineas* interpretantur. Mihi arridet Marini opinio, qui eo vocabulo *devastationes, ac loca arida, quæ fruges non afferunt*, significari putat.

(ענבמו ענבי רוש *hanabbémo binnebbé rosb*; idest, *uva eorum uvæ toxici*.) Uva venenata actiones pravas designat. Vox autem רוש, quæ hic contra perpetuam consuetudinem habet ו literam, alibi autem sic semper scribitur ראש, plerumque *caput* denotat: interdum tamen aliquid letale. At quum hoc altero modo accipitur, non omnino liquet, quid proprie significet: alii enim *toxicum*, alii *cicutam*, vel *aconitum*, alii *caput venenatum*, alii denique, ut Lxx Interpretes, & Vulgatus (6) *fel* interpretantur. Onkelosus autem sic παραφράζει: מחתהון בישין כרישי חיוין, idest, *plagæ eorum pessimæ sicut capita colubrorum.*

(אשכלת מררת למו *asbkelóth merothróth lámo*; idest, *racemi amaritudinum ipsis*.)

---

(1) cap. IV vers. 8. (2) vide quæ dicta sunt paulo ante ad vers. 28, pag. 67. col. 1.
(3) vide Genes. cap. XIX. (4) cap. I vers. 10. Vide etiam Jerem. cap. XXIII vers. 14; Thren. cap. IV vers. 6; & Ezech. cap. XVI vers. 48, & 40. (5) psalm. CXVIII verss. 10, 11, & 12; & psalm. CXXII vers. 5, & alibi. (6) vide apud vulgatum Interpretem psalm. LXIX vers. 22; & Jerem. cap. XXIII vers. 15; & cap. VIII vers. 14; & Thren. cap. III vers. 5.

ipsis.) In eadem, qua prius, metaphora persistens, diversis verbis, quæ dixit jam, repetit exornatque. Onkelosus explanat in hunc modum: ותשלומת עובדיהון כמררותהון, idest, *& retributio operum eorum sicut venenum eorum.*

Vers. 33. (חמת תנינם יינם *bamáth tanninim jenám*; idest, *venenum* (sive *furor*) *draconum vinum eorum.*) De voce חמה, quam Vulgatus Interpres hic transfert *fel*, dictum est alibi (1). Videtur autem Moses quum hæc scripsit, in animo habuisse acetum, vinumque myrrhatum, quod Christo Domino e cruce pendenti vinea Domini exercituum, idest domus Israel, potandum dedit. Ita sane locum hunc explicant Cyrillus Jerosolymitanus (2), Rufinus (3), aliique. Attamen ut per uvam venenatam actiones pravas designari supra diximus, ita hic per vinum venenatum doctrinam pessimam intelligere possumus cum Origene (4), quæ venenum draconum dicatur, quod instar illius maxime noxia sit. Denique, ut recte monet Oleaster, hic locus sic etiam exponi potest: Vinum, quod eis paravi, venenum draconum est. Cui explicationi subsequens versiculus adstipulatur.

(וראש פתנים אכזר *verósh pethanim achzár*; idest, *& toxicum aspidum sævissimum.*) Lxx Interpretes vertunt, *καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος.* Ac similiter Vulgatus, *& venenum aspidum insanabile:* quasi pro אכזר legerint utrique אין זר, hoc est, *non est curatio* (5). Est autem venenum aspidum acutissimum, ac vitalia celerrime penetrat, ut testantur Aristoteles (6), Plinius (7), Galenus (8), atque Ælianus (9), cujus sunt hæc verba: *ὀξύτατόν ἐστι τὸ ἐξ αὐτῆς φάρμακον, καὶ διαδραμεῖν ὤκιστον.* Hinc ortum adagium, *δῆγμα ἀσπίδος*, idest, *morsus aspidis*, quo vulnus insanabile denotatur.

Porro de voce ראש dixi paulo ante (10). אכזר autem *sævitiem* quidem designat, sed hic adjectivi nominis vim habet, ac pro *sævissimo* ponitur: quo modo & latini *scelus* interdum dicunt pro *scelesto* (11). Denique pro voce פתנים Jonathanus habet פיתוניא derivatum ex פיתון (*pithún*). Ex quo ductum etiam videtur græcum *Pythonis* nomen, quo ingens quidam draco designatur, quem ab Apolline sagittis interfectum esse Poetæ finxerunt (12).

Vers. 34. (הלוא הוא כמס עמדי? *haló hu camús bimmadí*, idest; *an non ipsum reconditum est penes me?*) Vox כמוס nusquam alibi quidem occurrit, plerique tamen vertunt *absconditum*, aut *reconditum*. Ita sane eam vocem interpretantur Interpretes Lxx, & Vulgatus, Jonathanus, aliique e recentioribus Interpretibus. At Onkelosus exponit contrario sensu: sic enim habet: *nonne omnia eorum opera* גלן, sive *retecta*, aut *patefacta sunt apud me?*

Quod autem spectat ad pronomen masculinum הוא, id significat quidem *ipse*, aut *ille*; sæpissime tamen ponitur pro verbo substantivo tertiæ personæ: itaque הוא כמוס sic verti debet: *reconditum est*. Referri autem potest ad יין, idest *vinum*, quod in superiore versiculo memoratum est; ita ut tota sententia sic habeat: An non vinum hoc mortiferum, idest pœnas ac supplicia, quibus eos castigaturus sum, vel eorum scelera, ac flagitia, penes me veluti recondita habeo?

(חתום באוצרתי? *hathúm beozerothái*; idest, *obsignatum in thesauris meis?*)

אוצר

---

(1) ad vers. 24 hujus cantici, pag. 63 col. 2. (2) catech. XIII. (3) in expositione Symboli. (4) lib. 1 in Canticum Canticorum pag. 30 tomi III edit. PP. S. Mauri. (5) Vide Jesahi. cap. 1 vers. 6. (6) lib. VIII Hist. cap. 29. (7) lib. VIII cap. 23. (8) lib. 1 *de theriaca* cap. VIII. (9) lib. IX cap. 61. (10) ad versiculum superiorem. (11) Terent. And. 3. 5, & Plaut. Truc. 2. 7. 60. (12) vide Ovid. lib. 1 Metamorph.

אוצר thesaurum, penum, cellam, in summa locum omnem, in quo aliquid reconditur, ac servatur, designat. Per translationem itaque elegantissimam, *nonne*, inquit Deus, *obsignata hæc sunt in thesauris meis?* quasi diceret: eorum flagitia, vel pœnas, quibus ipsos tandem multabo, non solum reconditas penes me in promptuariis locis, sed etiam sigillo impresso munitas habeo. Quod si de ærumnis, ac pœnis, quibus eos, ad quos hæc referuntur, puniturus erat Deus, versiculus iste explicetur, translatio desumpta erit ex cellis, in quibus homines recondunt, ac diligentissime claudunt quæ volunt asservare. Sin autem de eorum sceleribus hæc intelligenda sunt, ducta erit translatio ex tabulariis, in quibus magistratus aut reges accusationes servant, ut opportuno tempore rem cognoscant, quæque γραμματοφυλακεῖα, atque ἀρχεῖα græce appellantur, barbare autem *archiva*. Deum vero singulorum crimina veluti in tabulas referre, ne ulla unquam oblivione deleantur, locutio est translata in Scriptoribus sacris crebro occurrens. Ita Jobus (1), *obsignatum est*, inquit, *in fasciculo delictum meum*. Et apud Jesahiam (2): *Ecce scriptum est coram me*, ait Deus, *non tacebo, sed reddam, & retribuam in sinum eorum* (3). Simile quiddam, ut recte ait Clericus (4), Plauti animo de Divina providentia obversabatur, quum hæc in Rudentis prologo scribebat, ubi Arcturus postquam dixit Sidera interdiu inter homines versari, ut eorum facta observent, ita pergit:

Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.

. . . .

Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.

Vers. 35. (לי נקם, ושלם *li nakám, vesbillém*; idest, *mihi vindicta, & rependet*.) שלם quibusdam videtur nomen esse, quod *retributionem* significet; alii, ut Marinus, malunt esse verbum; ut scilicet divinæ vindictæ id tribuatur, quod Deo tribuendum foret. Sed parvi dissensio isthæc momenti est: utcumque enim se res habeat, eadem est loci sententia. Nimirum, meum est, inquit Deus, injurias ulcisci, sontesque punire, idque apto tempore reipsa efficiam. *Qui ergo vindicari vult*, ut Ecclesiastici verbis utar (5), *a Domino inveniet vindictam.* Qua de causa etiam Jehova *ultionum Deus* a Davide (6) appellatur. Germanam hanc esse istius loci explicationem, patet ex Paulo: is enim ad Romanos scribens, *non vos*, inquit (7), *defendentes* (8) *carissimi*, *sed date locum iræ: scriptum est enim: mihi vindicta, & ego retribuam*. Hæc tamen non ita accipias velim, quasi Christiano homini non liceat, adversus eos, a quibus injuriose læditur, opem sibi a magistratu, aut a Rege exposcere. Horum enim vindictam, non hominis, sed Dei vindictam esse putandum est: namque, ut Paulus docet (9), *non est potestas nisi a Deo... non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*. Licet ergo nobis, si lædimur, ad magistratus confugere, modo ne vindicem

(1) cap. XIV vers. 17. (2) cap. LXV vers. 6. (3) vide etiam lib. 1 Sam. cap. XV vers. 2; & Dan. cap. VII vers. 9; & Apocalyps. cap. XX vers. 12. (4) ad Exod. cap. XXXII vers. 32. (5) cap. XXVIII vers. 1. (6) psalm. XCIII, seu XCIV vers. 1.
(7) cap. XII vers. 10. Vide etiam epist. ad Hebr. cap. X vers. 30. (8) *Defendendi* verbum apud vulgatum Interpretem significat sæpe *ulcisci*, veluti in libro Judith cap. I vers. 12; cap. 2. vers. 1; & cap. IX vers. 2. Quin Tertullianus in libro 2 contr. Marcion. cap. XVIII locum hunc sic vertit: *mihi defensam, & ego defendam*. (9) in epist. ad Rom. cap. XIII vers. 1, & seqq.

cem animum habeamus, aut ne mutuam mali vicem (quæ esset vindictæ cupiditas) rependere optemus.

(לעת תמוט רגלם *lebéth tamút raglám*, idest, *quo tempore movebitur pes eorum.*) Vox לעת jungi etiam potest cum verbis superioribus. *Pedes* autem *moveri*, mea quidem sententia, significat in mala, aut in calamitates incidere, translatione scilicet ab iis deducta, qui in cursu prolabuntur: quin locutionem esse arbitror ferme proverbialem apud Hebræos, quum sæpe occurrat in exemplari Hebræo (1). Eorum tamen interpretationem non respuo, qui locum hunc ita exponunt: quum legem meam violare cœperint, aut quum in gravissima crimina lapsi fuerint, maximeque quum Christi necem perfecerint, ut explanat Euthymius. Onkelosus vero in hunc modum chaldaice interpretatur: לעידן דיגלון מן ארעהון, idest, *in tempore, quo migrabunt de terra sua.*

(כי קרב יום אידם *ki karóbb jom edám*; idest, *quoniam proximus est dies calamitatis eorum, atque exitii.*) Dies calamitatis, de quo hic sermo habetur, interprete Euthymio, dies est, quo Jerusalem capta, ac prorsus eversa est.

(וחש עתדת למו *vehásh hatbidóth lámo*; idest, *& præsto est cum his quæ parata sunt ipsis*). Quoniam חש numeri singularis est, עתדת autem pluralis, proinde חש aut refertur ad superius vocabulum יום, aut per numeri enallagen ad plurale עתדת.

Vers. 36. (כי ידין יהוה עמו *ki jadín Jehováh bammó*; idest, *quoniam judicabit Jehova populum suum.*) Dimidium hunc versiculum sextum ac tricesimum exscripsit auctor psalmi cxxxv, seu cxxxiv (2). *Judicare* autem *Israelitas* hic est eorum patrocinium suscipere, ac pœnas ab illorum hostibus reposcere. Hanc certe vim habet *judicandi* verbum in his Scripturæ locis. *Judica me Domine* (3), *quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Et, *Judicavit pauperes populi* (4), *& salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Et, *Deus in nomine tuo salvum me fac* (5), *& in virtute tua judica me.* Et alibi quoque (6). At malunt aliqui, ut Euthymius, *judicandi* verbum contrario modo hic interpretari, ita scilicet ut *condemnare*, ac *punire* significet. Quin alii etiam, ut Quirosus, hoc tantum modo accipi posse contendunt: ita enim illud accepisse ajunt Paulum in epistola ad Hebræos data (7), quum hæc scripsit: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit? .... scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* At quod hi volunt, id ex istis Pauli verbis non effici, ostendit Calmetus in commentariis ad eum locum. Ipsum adi.

(ועל עבדיו יתנחם *vehál habbadáv ithnehám*; idest, *& servorum suorum miserebitur.*) Illorum scilicet, qui ei ex animo serviunt, sive, ut Euthymio placet, qui in Christum crediderint. Porro verbum התנחם ad *mutationem animi* designandam adhibetur, quæ si ex consolatione oriatur, idem valet ac *sese consolatus est*; si ex commiseratione, significat *misertus est*; sin demum ex facti pœnitentia, significat *eum pœnituit*. Hinc orta interpretationum varietas. Lxx enim Interpretes sic transferunt: *καὶ ἐπὶ τοῖς δούλοις αὐτοῦ παρακληθήσεται.* Eodemque modo interpretabantur hunc locum Machabæi (8), quum hæc dicerent:

(1) ps. xciii, seu xciv vers. 18: *Si dicebam, motus est pes meus.* Et ps. 38, sive 37 vers. 17: *dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Et ps. 66, seu 65 vers. 9: *non dedit in commotionem pedes meos.* Et ps. 73, seu 72 vers. 2: *mei autem pene moti sunt pedes*, &c. (2) vers. 14. (3) ps. xxvi, seu xxv vers. 1. (4) ps. lxxii, seu lxxi vers. 4. (5) ps. liv, seu liii vers. 1. (6) Gen. cap. xxx vers. 6; & ps. xliii, seu xlii vers. 1. &c. (7) cap. x vers. 30. (8) lib. 2 Machab. cap. vii vers. 6.

rent: ὁ Κύριος ὁ θεὸς ἐφορᾷ καὶ, ταῖς ἀληθείαις ἐφ' ἡμῖν παρακαλεῖται. καθάπερ διὰ τῆς κατὰ πρόσωπον ἀντιμαρτυρούσης ᾠδῆς διεσάφησε Μωυσῆς λέγων: καὶ ἐπὶ τοῖς δούλοις αὐτοῦ παρακληθήσεται, idest, ut Vulgatus Interpres transfert, *Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur.* Vulgata vero editio hic quidem habet, *& in servis suis miserebitur*; in psalmo autem cxxxv, seu cxxxiv, in quo dimidium hunc versiculum exstare diximus, sic habet: *& in servis suis deprecabitur*, idest, ut clarius vertit Hieronymus, *placabilis erit.* Onkelosus autem ita explanat ופורענות עבדוהי צדיקיא יתפרע, hoc est, *& ultionem servorum suorum justorum ulciscetur.* Denique יתנחם vertere etiam possemus *pœnitebit eum*: quin reapse ita vertit Pagninus. Pœnitentia autem Dei actionis tantum mutatio est, non sententiæ (1).

(כי יראה, כי אזלת יד *ki irèh, ki azelàth jad*; idest, *quoniam* (vel *quando*) *videbit, quod abierit manus.*) Dictio אזלת, in qua positum est ת pro ה more chaldaico, derivatur ex radice chaldaica אזל, quæ significat *abiit, recessit*. Vox vero יד proprie quidem *manum*, per translationem vero fortitudinem, ac vires denotat, quas in manibus præcipue homines habent. Ut ergo *manus confortare* est vires animumque addere (2), ita e contrario *manum recedere* est vires animumque deficere.

(ואפס עצור ועזוב *veèphes bazúr vebazúbh*; idest, *& defectionem clausi, ac derelicti.*) Locum hunc, atque adeo totum versiculum in mente sine dubio habuit scriptor libri secundi, sive, ut a Vulgato Interprete vocatur, quarti Regum, quum hæc scriberet (3) כי ראה יהוה את עני ישראל, ואפס עצור ואפס עזוב, ...ויושיעם; idest, *quoniam vidit Jehova afflictionem Israelis. i..., & defectionem clausi, & defectionem derelicti, ... & salvavit eos.* Quin similis loquendi modus occurrit alibi sæpius: in capite enim decimoquarto libri primi, seu tertii Regum hæc legimus (4) והכרתי לירבעם משתין בקיר עצור ועזוב בישראל idest, *& excidam Jerobobamo mingentem in pariete, clausum, & derelictum in Israele.* Quæ verba in capite xxi ejusdem libri (5) iterum de Achabi posteris dicuntur. Hinc patet, locutionem istam, qua *deficere* dicitur *clausus, & derelictus*, proverbialem esse, eaque bellum internecinum, & omnimodam excidionem significari, tantam scilicet, ut nullus supersit neque ex his, qui in arcibus, aut in urbibus, aut in domibus *clausi*, neque ex his, qui in agris dispersi, ac veluti *derelicti* erant. Sunt quidem qui hæc verba, *clausum & derelictum*, sic exponant, ut significent opes in thesauris clausas, ac pecus in agris dispersum. Sed potior videtur prior interpretatio.

Vers. 37. (ואמר, אי אלהימו? *veamár, e Elohémo*; idest, *& dicet: ubi sunt Dii eorum?*) Vocem ואמר Clericus ita accipit, quasi passivam habeat significationem, ac significet *& dicetur*, vel *dicet quispiam*. Abenus vero Hezra, quasi post eam vocem subaudiendum sit אויב, idest *hostis*, censet ea verba אי אלהימו, hoc est, *ubi est Deus eorum?* hostium esse captos Judæos irridentium. At equidem malim Dei ipsius Hebræos,

k qui

(1) Vide Petavium, Theologicor. dogm. de Deo, Deique propriet. lib. III cap. 2 num. 17, & 18. (2) Jesahi. cap. XXXV vers. 3 חזקו ידים רפות, idest, *confortate manus dissolutas*. Et Jerem. cap. XXIII vers. 14. *Confortaverunt manus pessimorum, ut non converterentur unusquisque a malitia sua*. Vide etiam Hose. cap. VII vers. 15; Et Ecclesiastic. cap. XXV vers. 32. (3) cap. XIV vers. 26, & 27. (4) vers. 10. (5) vers. 21. Vide etiam lib. 2, sive 4 Reg. cap. IX vers. 8.

qui idola coluerant, compellantis, verba esse: itaque cum Lxx Interpretibus sic transfero: Et dicet Jehova: ubi sunt Dii eorum?

(צור חסיו בו׃ *Zur basjju bbo*; idest, *Petra, in quam se receperunt?*) Verbum חסה aliqui vertunt *speravit*; at proprie significat *se se recepit*. De voce autem צור dictum est alibi (1).

Vers. 38. (אשר חלב זבחימו יאכלו *asher helebb zebbabemo jochêlu*; idest, *Qui adipem victimarum ipsorum comedent*.) Duobus modis potest accipi particula אשר, primum ut sit adverbium, & significet *quoniam*; deinde ut sit pronomen relativum. Itaque duobus itidem modis potissimum exponi possunt hæc verba: ac primum quidem ita, ut tota versiculi sententia sic habeat: Quoniam adipem victimarum Diis, quos coluistis, oblatarum comedistis, & vinum eorum libaminum bibistis, ferant nunc vobis opem, si possunt. Deinde ut sensus sit: Qui comederunt adipem victimarum vestrarum, ac vestrorum libaminum vinum biberunt, surgant modo, ac vobis opitulentur. Quasi scilicet Gentium Deos victimarum adipem comedere, ac vinum libaminum bibere dicat Moses, propterea quod in eorum honorem adeps in sacris adolebatur, vinumque effundebatur ab eorum cultoribus (2).

(ישתו יין נסיכם *ishtû jen nesichâm*; idest, *bibent vinum libatoris ipsorum.*) Vocem נסיך alii *libationem*, alii *libatorem* seu *sacrificulum* vertunt. Rabbini porro, teste Johanne Buxtorfio (3), ex hoc loco colligunt, non licere Hebræis vinum Idololatrarum, in quibus etiam Christianos numerant, bibere, illudque vocant יין נסך, idest *vinum libaminis*, cujus modi vinum se unquam bibisse negat Esthera (4).

(יקומו, ויעזרכם, יהי עליכם סתרה *jakúmu, vejabzeruchêm, jehi balechêm sithrâh*; idest, *surgant, & vobis opem ferant, sit super vos latibulum.*) Particulam על dandi casui aliquando inservire (5), recte docet Clericus. Itaque יהי עליכם סתרה verti potest: sit vobis latibulum, sive absconsio, idest protectio.

Vers. 39. (ראו עתה, כי אני אני הוא, ואין אלהים עמדי *reû hattâh, ki ani ani hu, veên Elohîm bimmadi*; idest, *videte nunc, quod ego ego ipse, nec Dii mecum*) Nimirum: videte nunc, me nullius Dei ope indigere, nec quemquam parem habere: ego enim, ego, inquam, solus sum ille, qui vobis opem ferre possum, ego, qui & occido, & ad vitam revoco, quum libet. Lxx vero Interpretes, & Onkelosus ita vertunt, quasi sensus sit: Videte nunc, me esse illum *Qui est*.

(אני אמית, ואחיה, מחצתי, ואני ארפא *ani amîth, vaabajjéh, mabâzti, vaani erpâh*; idest, *ego morte afficiam, & vivificabo, vulneravi, & ego sanabo.*) Summæ potentiæ, ac divinitatis argumenta certissima, quæ passim in sacris libris usurpantur (6). Atmachanus autem (7), teste Cornelio a Lapide, se a docto quodam Hebræo accepisse ait, verba hæc aliis vocalibus punctis appositis passive legenda, ac scribenda esse in hunc modum אֲנִי אֻמַת וְאֶחְיֶה מֻחֲצְתִּי נַאֲנִי אֵרָפֵה *ani umâth, veehjéh, mubâzti, vaani erapbéb*; idest, *ego occidar, & vivam, transfigar, & sanabor*. Quin & illud addit Armachanus, *ita scriptum esse in codice conscripto manu Esdræ, qui* Bo-

(1) pag. 41, & 42. (2) Vide Clericum ad hunc locum. (3) in *Synagoga Judaica* cap. xxxv; tom. iv Thes. Antiqu. Sacr. ab Ugolino editi pag. 1088. (4) cap. xiv vers. 17. (5) vide Gen. cap. 2 vers. 16; Exod. cap. iii vers. 18; & Deuter. cap. vii vers. 16. (6) vide lib. 1 Sam. cap. 2 vers. 6; Job. cap. v vers. 18; Hose. cap. vi vers. 2; & Sap. cap. xvi vers. 13. (7) in quæst. Armen.

Bononiæ apud Patres Dominicanos asservatur. Quod si res ita se haberet, apertissime hoc in loco Servatoris nostri divinitas, cruciatus, mors, reditusque ad vitam prænunciarentur. Itaque miror sane, hujusmodi lectionem nulli unquam Interpreti, aut Christiano homini cognitam fuisse, & Hebræum illum, a quo hæc Armachanus se accepisse affirmat, quum ita sentiret, hebræum tamen adhuc esse potuisse: quem proinde potius Armachano verba dare voluisse crediderim. Quod autem spectat ad eum codicem, quem indicat Armachanus (1), quemque Esdræ ipsius manu exaratum vulgo ajunt, eum oculis egomet meis vidi paucis abhinc mensibus, diligenterque lustravi, nec vel unum vocale punctum in eo reperi.

(ואין מידי מציל *veén mijjadi mazzil*; idest, *& nemo est, qui de manu mea eripiat.*) Eos scilicet, quos punire decreverim (2).

Vers. 40. (כי אשא אל שמים ידי *ki essá el shamáim jadi*; idest, *quoniam attollam ad cælum manum meam.*) Particula כי omittitur a Vulgato Interprete: dixi autem supra (3), eam aliquando redundare. Aliqui vero eam vertunt *quum*, & hunc versiculum cum superiore sic jungunt: de manu mea nemo eripit, quum ipsam ad cælum juraturus sustulero. Porro jurantes manum olim tollebant ad cælum (4), quasi eo gestu Deum, quem testabantur, indicare vellent. Hinc illæ loquendi formulæ apud Sacros Scriptores: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum* (5), idest, per Deum juro. Et: *Levavit manum suam* (Angelus videlicet) *ad cælum, & juravit per viventem in secula seculorum* (6). Quin Ethnici quoque juraturi eum gestum agebant, ut colligitur ex his Virgilii versibus (7):

> *Sic prior Æneas, sequitur sic deinde Latinus*
> *Suspiciens cælum, tenditque ad sidera dextram,*
> *Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro.*

Quod ergo hic ait Deus, *attollam ad cælum manum meam*, idem est ac si diceret, Jurabo (8). Jurare autem dicitur Deus non quod injuratus fallere quemquam possit (si enim fallere posset injuratus, juratus etiam posset), sed ut divinorum decretorum fides ac firmitas vehementius declaretur. Quid est enim jurare, nisi testari Deum? Quod ergo Deus juret, nihil aliud est, nisi quod ipse se testetur, testem scilicet ipsam vocet veritatem, cui nihil magis contrarium est, quam falsitas, aut mendacium. Itaque quod Deus non minitando, aut hortando dixit, sed veritatem ipsam testando, id certissimum exitum habiturum esse significatur.

(ואמרתי, חי אנכי לעלם *veamárti, haj anochi leboldm* (9); *Et dixi: Vivo ego in seculum.*) Hæc quidem jurisjurandi formula est; res autem jurejurando confirmata duobus, qui proxime subjiciuntur, versiculis exponitur. Porro quum jusjurandum apud Hebræos sanctum maxime ac religiosum tunc foret, quum ajebant, *vivit Dominus*; proinde Deus ad hominum mores se se demittens eodem modo jurat inquiens: *Vivo ego in æternum*; idest, per me ipsum juro, qui in æternum vivam;

(1) de isto codice vide, si libet, quæ scribit Montfauconius in *Diario Italico*, cap. XXVII pag. 390, & 400. (2) vide Tobi. cap. XIII vers. 2; & Sap. cap. XVI vers. 15.
(3) ad vers. 32, pag. 69 col. 2. (4) vide, si libet, Thomæ Goodvini *Mosem & Aaronem* lib. VI cap. 6: tom. 3 Thesauri Antiq. Sacr. ab Ugolino editi pag. 427. (5) Gen. cap. XIV vers. 22. (6) Apocal. cap. X vers. 5, & 6. Et Daniel. cap. XII vers. 7: *Cum elevasset dexteram, & sinistram suam in cælum, & jurasset per Viventem in æternum.*
(7) lib. XII Æneid. vers. 195, & seqq. (8) Vide etiam Exod. cap. VI vers. 8; & Ezech. cap. XX vers. 5, & 6. (9) de voce עולם dixi pag. 30, & 31; iisdemque pag. 45 col. 1.

Ideo autem per semetipsum juravit Deus, *quia*, ut inquit Paulus (1), *neminem habuit, per quem juraret; majorem*.

Vers. 41. (אם שנותי ברק חרבי *im shannóthi berák barbl*; idest, *si acuero micantem gladium meum.*) Translata, & valde elegans locutio, quæ in Veteri Testamento crebro occurrit (2), quum de divina vindicta sermo est. Vulgatus Interpres perinde vertit, quasi pro ברק legerit כְּבָרָק, hoc est, *tamquam fulgur.* ברק autem quamvis proprie *fulgur* denotet, eleganter tamen de aliis rebus etiam dicitur, quæ micantem quemdam ac tremulum fulgorem emittunt vibratæ. Itaque ברק חרב designat *fulgorem gladii*, idest, ensis laminam instar fulguris coruscantem, oculosque perstringentem. Quod vero attinet ad voculam אם, commoda maxime, & expedita erit interpretatio, si dixerimus ei hoc in loco non illam vim inesse, quam habere solet in juribusjurandis, sed esse conditionalem, ut vocant. In sacramentis enim vim habet negationis (3); nisi si forte addatur ipsi negationis particula; tunc enim e contrario vim habet affirmationis. Itaque quum Ezechiel ait (4): חי אני, נאם ארני יהוה, אם בן, אם בת יצילו, hoc est, *vivo ego, ait Dominus Jehova, si filium, si filiam liberabunt*; perinde est quasi diceret: vivo ego, ait Dominus Jehova, filium filiamque non liberabunt. At in hoc Mosis loco, negandi sane vim non habet ea particula אם; videtur ergo esse conditionalis. Attamen aliqui ut negandi vim illi particulæ etiam hic tribuere videantur, ita hæc verba explicant, ut juncta cum superioribus istam habeant sententiam: ne vivam ego in æternum, nisi exacuam gladium meum.

(ותאחז במשפט ידי *vetbobéz bemishpát jadi*; idest, *& apprehenderit eum in judicio manus mea.*) Vertere etiam sic possumus: *& apprehenderit judicium manus mea*: quo modo vertunt LXX Interpretes, & Vulgatus. Vox autem משפט justitiam hic, aut vindictam denotat (5).

(אשיב נקם לצרי, ולמשנאי אשלם *ashibb nakám lezarái, velimsanáij ashallém*; idest, *reddam vindictam hostibus meis, & his, qui me odio habent, rependam.*) Idolorum scilicet cultoribus, aut, si vis, Christi interfectoribus. Quamquam omnes, qui Dei legem violant, eum *odisse*; qui contra ejus præceptis parent, eum *amare* dicuntur. *Hæc est enim caritas Dei*, ut inquit Johannes (6), *ut mandata ejus custodiamus*.

Vers. 42. (אשכיר חצי מדם *ashkír bizzái middám*; idest, *inebriabo sagittas meas sanguine.*) Versiculus ille translationibus abundat elegantissimis, quibus maxima strages indicatur. *Inebriabo*, inquit Deus, *sagittas meas sanguine*, hoc est, cruore eas copiosissime tingam, atque inficiam. Sagittarum vero nomine quid designetur, explicavi supra (7). Simile illud Jesaiæ (8): *Inebriatus est in cælo gladius meus*: Itidemque Jeremiæ illud (9): *Devorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum.*

(וחרבי תאכל בשר. *vebarbl tochál basár*; idest, & *ensis meus devorabit carnem.*) Quum quis gladio necatur, gla-

(1) in epist. ad Hebr. cap. VI vers. 13. (2) Ezech. cap. XXI vers. 9, & 10: *Gladius, gladius exacutus est, & limatus: ut cadat victimas, exacutus est; ut splendeat, limatus est.* Et vers. 15: *dedi conturbationem gladii acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem.* Et ps. VII vers. 13: חרבו ילטוש, idest, *gladium suum exacuet.* Vide etiam Gen. cap. III vers. 24; Nahum cap. III vers. 3; Job. cap. XX vers. 25, & Habac. cap. III vers. 11. (3) vide ps. LXXXIX vers. 36; & lib. I Reg. cap. XVII vers. 1; & Hamos. cap. VIII vers. 7. &c. (4) cap. XIV vers. 16. (5) vide quæ dixi pag. 42 col. 1. (6) in epist. I cap. V vers. 3. (7) ad vers. 23 hujus cantici, pag. 62. (8) cap. XXXIV vers. 5. (9) cap. XLVI vers. 10.

gladius ipse eum *devorare* dicitur in hebræo sermone: quæ loquendi ratio sacris Scriptoribus est valde usitata (1), atque ex eo orta est, quod gladii acies hebraice vocetur פה, sive *os* (2). Unde & duarum acierum gladius *duo ora* habere dicitur in libro Judicum (3).'

(מדם חלל ושביה *middam halal, veshibbjah*; idest, *sanguine, inquam, interfecti, & captivitatis.*) Subaudi, *inebriabo sagittas meas*: Nimirum quum exercitus cæditur, alii necantur e militibus, alii vero in captivitatem abducuntur, quod vulnere accepto non obierint: iccirco Deus ut maximam internecionem stragemque significet, utrorumque cruore inebriaturum se dicit sagittas suas. Quidam tamen, ut Pagninus, Vatablus, Oleaster, aliique, מדם vertunt *propter sanguinem*: nonnumquam enim litera מ nomini præfixa idem valet ac *præ*, vel *propter*. Itaque sic explicant: Ulciscar eorum, qui populi mei sanguinem suderunt, eumque captivum abduxerunt. Perspicuum est autem nomen שביה, quod *captivitatem* denotat, vim hic habere adjectivi nominis, *captivos*que designare (4). Demum חלל non modo *interfectum*, sed & *vulneratum* significare potest; quamvis hic priore modo accipi videatur.

(מראש פרעות אויב *merosh parhoth ojebh*; idest, *a capite vindictarum hostium.*) Paulo obscurior hic locus est, cujus varias interpretationes antequam tradimus, singulas voces, perspicuitatis ergo, placet expendere. Itaque ראש & *caput* designare potest, & *initium*, & *primum, ac principem* virum (5). Nomen vero singulare אויב, quod *hostem* denotat, pluralem significationem hic habere perspicuum est (6). Radix demum פרע modo *retrocessit*, modo *repulit*, modo *ultus est*, modo *cessavit*, modo *ut cessaret effecit*, modo denique *detexit*, ac *denudavit* significat apud Hebræos (7): at apud Arabes idem valet, ac *summum gradum tenuit*, vel *dominatus est*, ut alias monui (8).

Jam vero pro variis harum vocum, quas diximus, significationibus, variæ itidem sunt hujus loci interpretationes. Vulgatus Interpres vertit: *nudati inimicorum capitis*; ut scilicet פרעות *denudationes* denotet, *caput* autem *denudationum* idem sit atque *caput denudatum*, galea scilicet, & alio quovis tegmine non munitum. Eamdem radicis פרע significationem in animo habuisse videtur Onkelosus, quum sic transtulit: לאעדאה כתרין כריש סנאה ובעיל דבבא, hoc est, *ut auferam coronas de capite hostis, & inimici.* Lxx vero Interpretes radicis פרע significationem arabicam amplexi ita vertunt: ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐχθρῶν, idest, *a capite principum inimicorum*: ut scilicet פרעות *dominationes* significet: *dominationes* vero pro *dominatoribus* ponantur (9). Subaudiendum autem vult Clericus, *ad infimæ sortis homines*, sive עד עם הארץ (10). E recentioribus vero interpretibus nonnulli sic vertunt: *in principio vindictarum hostium*; idest, quum primum ab hostibus meis pœnas repetam. Alii ita explicant: Gladius meus devorabit carnes de capitibus ipsorum hostium; ense scilicet eorum capita amputabo. Alii denique in hunc modum interpretantur: Ulcisci ingrediar *a capite*, idest initio in-

(1) Jesahi. cap. 1 vers. 20: *Gladius devorabit vos.* Nahum cap. 2 vers. 13: *Leunculos tuos comedet gladius.* Vide etiam Jerem. cap. xii vers. 12; & cap. 2 vers. 30; & cap. xxxvi vers. 10. (2) Exod. cap. xvii vers. 13; Jos. cap. vi vers. 21; Judic. cap. iv vers. 5; psal. 149 vers. 6; Jerem. cap. xxi vers. 7; & Proverb. cap. v vers. 4. (3) cap. iv vers. 3. (4) Vide quæ dixi ad vers. 33. hujus cantici, pag. 70 col. 2. (5) Vide Marini Thesaurum ad eam vocem. (6) Vide quæ adnotavi ad vers. 9 superioris Cantici, pag. 20 col. 1. (7) Vide Marini Thesaurum. (8) ad vers. 4 superioris Cantici, pag. 14 col. 1. (9) In hoc ipso versiculo *captivitas* ponitur pro *captivis*; & in vers. 33 *sævities* pro *sævissimo.* (10) Adi ipsum Clericum ad hunc locum.

injuriarum, quas mihi hostes intulerunt, neque vel unam dimittam impunitam. Ex omnibus hisce explanationibus eam amplectere, quæ magis placeat.

Vers. 43. (הרנינו גוים עמו *harninu goim bammò;* idest, *Celebrate Gentes populum ejus.*) Loquitur in hoc versiculo Moses, atque ad Gentes, quarum vocationem ad fidem non obscure indicat, sermonem convertens Cantico suo finem imponit. *Populi* quidem nomine hic illos Judæos designari docet Euthymius, qui Christum secuti sunt, *Gentium* autem vocabulo eos notari, qui ex variis Gentium populis Christianam religionem amplexuri erant. At Mosis verba sic etiam puto transferri posse: *Ovate o Gentes, quæ estis populus ejus:* quo liquidius appareat, Mosem Gentes ad Fidem conversas alloqui. Lxx Intt. hoc in loco neque verbum pro verbo reddunt, nec omnium verborum vim servant: quinhis, quæ habet exemplar hebræum, multa de suo adjiciunt. Ita enim habent: εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ. Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ Θεοῦ; idest, *Lætamini cœli simul cum eo, & adorent eum universi angeli Dei. Lætamini gentes simul cum populo ejus, & roborentur in eo omnes filii Dei.* Ex horum translatione protulit Paulus in epistola ad Romanos (1) hæc verba: *Lætamini gentes cum plebe ejus.*

(כי דם עבדיו יקום, ונקם ישיב לצריו *ki dam babbadáv ikkòm, venakám jashibb lezaráv;* idest, *quoniam sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam reddet hostibus suis.*) Effusum servorum suorum sanguinem ulcisci Deum, sæpe testantur sacri scriptores (2). Respicit autem hic fortasse Moses Apostolorum, Christique martyrum cædes.

(וכפר אדמתו עמו *vecbiPpér admathò bammò;* idest, *& expiabit terram suam, populum suam.*) Exemplar Samaritanum pro אדמתו עמו habet אדמת עמו, idest, *terram populi sui:* quomodo legunt etiam Lxx Interpretes, & Vulgatus. Porro כפר significat *expiavit, mundavit, scelus abstulit.* Itaque videtur Moses Christi necem respicere, qui, ut verbis Jesahiæ utar (3), *vulneratus est propter iniquitates nostras, cujus livore sanati sumus, qui in scientia sua justificavit multos, peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.*

CAN-

(1) cap. xv vers. 10. (2) Gen. cap. iv vers. 11: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et lib. 4 Reg. cap. ix vers. 7: *ulciscar sanguinem servorum meorum.* Vide etiam Matth. cap. xxxiii vers. 35; & Luc. cap. xviii vers. 7, & Apocal. cap. vi vers. 10. (3) cap. liii.

CANTICUM HANNÆ.

(*Exstat in lib.* I *Samuelis cap.* II.)

עלץ לבי ביהוה, רמה קרני ביהוה; רחב פי על איבי, כי שמחתי בישועתך.	1. *Exsultavit cor meum in Jehova, elatum est cornu meum in Jehova; dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salute tua.*	1. Exsultavit cor meum in DOMINO, & exaltatum est cornu meum in DEO *meo*; dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.
אין קדוש ביהוה, כי אין בלתך, ואין צור כאלהינו.	2. *Non* est *sanctus* quisquam *ut Jehova, nec enim* est quisquam *præter te, neque est* ullus *Deus ut Deus noster.*	2. Non *est* sanctus ut *est* DOMINUS, neque enim *est alius* extra te, & non *est* fortis sicut Deus noster.
אל תרבו תדברו גבהה גבהה, יצא עתק מפיכם, כי אל דעות יהוה, ולא נתכנו עללות.	3. *Ne multiplicetis loquamini altum altum, ne exeat durum ex ore vestro, quia Deus cognitionum* est *Jehova, & ei dispositæ sunt actiones.*	3. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum DOMINUS *est*, & ipsi præparantur cogitationes.
קשת גברים חתים, ונכשלים אזרו חיל.	4. *Arcus fortium fracti* sunt, *& vacillantes cinxerunt vim.*	4. Arcus fortium superatus *est*, & infirmi accincti sunt robore.
שבעים בלחם נשכרו, ורעבים חדלו, עד עקרה ילדה שבעה, ורבת בנים אמללה.	5. *Saturi, in pane conducti sunt, & famelici cessarunt; donec sterilis peperit septem, & multa filiorum, infirma facta est.*	5. Repleti *prius*, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & *quæ* multos *habebat* filios, infirmata est.
יהוה ממית, ומחיה; מוריד שאול, ויעל.	6. *Jehova morte afficiens, & vivificans, descendere faciens* in *sepulcrum, & faciet ascendere.*	6. DOMINUS mortificat, & vivificat, deducit *ad* inferos, & reducit.
יהוה מוריש, ומעשיר; משפיל, אף מרומם.	7. *Jehova pauperem faciens, & ditans, deprimens, etiam extollens.*	7. DOMINUS pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat.

8. Suf-

מקים מעפר דל, מאשפת ירים אביון, להושיב עם נדיבים; וכסא כבוד ינחלם, כי ליהוה מצקי ארץ, וישת עליהם תבל.	8. *Erigens de pulvere pauperem, de stercore attollet egentem, ut sedere faciat cum nobilibus, & sedem gloriæ tenere faciet eos, quoniam Jehovæ* sunt *fundamenta terræ, & posuit super ea orbem.*	**8.** Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat; DOMINI enim *sunt* cardines terræ, & posuit super eos orbem.
רגלי חסידיו ישמר, ורשעים בחשך ידמו, כי לא בכח יגבר איש.	9. *Pedes piorum suorum custodiet, & iniqui in obscuritate silebunt, quoniam non in vi* sua *fortis erit vir.*	9. Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine *sua* roborabitur vir.
יהוה יחתו מריבו, עלו בשמים ירעם: יהוה ידין אפסי ארץ, ויתן עז למלכו, וירם קרן משיחו.	10. *Jehova, frangentur animo contendentes* cum *eo, super ipsum in cælis tonabit: Jehova judicabit fines terræ, & dabit robur regi suo, & extollet cornu Christi sui.*	10. DOMINUM formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in cælis tonabit: DOMINUS judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

EXPLANATIO.

Elcanæ Jerohami filio, ex tribu Levitica oriundo, binæ erant uxores, Hanna, & Phenenna. Multos hæc liberos procreaverat, Hanna autem nullos: qua ex re ei sterilitatem Phenenna identidem exprobrabat: dedecori enim erat ac probro Hebræis feminis sterilitas, quod quasi Dei vindicis pœna haberetur (1). Mœsta ob eam rem Hanna filium sibi a Deo petit in Silo, eumque vovet, si impetret, se Deo ipsi consecraturam, ejusque ministrum perpetuo fore. Brevi fit gravida ex Elcana, ac filium parit, cui Samuelem dixit nomen. Hunc ab uberibus abductum ad domum Domini, votum solutura, adducit in Silum, ubi eum Domino sistit; rite offert, ac dicat. Hac data occasione Canticum istud, cujus explicationem suscipimus, cecinit, ut gratias Deo pro accepto beneficio ageret. Sunt quidem qui conditum ab Hanna statim ab ortu Samuelis velint: sed horum opinio minus videtur consentanea his, quæ scribit auctor libri primi Samuelis (2). Porro idem hocce Canticum, cui simillimum illud est, quod Maria Elisabethæ, quæ ob conceptum Christum *beatam* ipsam dixerat, respondens cecinit (3), Deo afflante ab Hanna recitatum esse

(1) Gen. cap. xxx vers. 23 de Rachele hæc dicuntur: *concepit, & peperit filium, dicens: abstulit Deus opprobrium meum.* Et Luc. cap. 1 vers. 24: *Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus* (Zachariæ scilicet), *& occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.*

(2) Vide totum caput primum, & initium secundi.

(3) exstat apud Lucam cap. 1 vers. 46, & seqq.

esse, in eoque prophetica multa contineri, docent Origenes, Theodoretus, Euthymius, ac præsertim Augustinus (1), qui illud perinde explanat, quasi in eo non tam Hanna loquatur, quam Ecclesia (2).

Vers. 1. (עלץ לבי ביהוה *balâz libbi bijhovàh*; idest, *Exsultavit cor meum in Jehova.*) Nimirum, animus meus, qui summo mœrore præ sterilitate concepto excruciabatur, jam gestit ob natum filium. Simile Mariæ illud in Cantico: *Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Porro עלץ, quamvis Lxx Interpretes vertant ἐστερεώθη, hoc est, *confirmatum est*, idem tamen valet atque עלז, nimirum *exsultavit*, seu potius *exsultat atque tripudiat:* est enim præteritum præsentis loco. *Exsultare* autem *cor* dicitur, quum incredibili quodam gaudio perfundimur: qua in locutione *cordis* vocabulo *animus* designari potest (3), cujus præcipuam in corde sedem esse veteres putabant. Attamen præ gaudio *cor* etiam ipsum exsultare dicitur. Hinc illud Plauti in Milite glorioso (4): *dicito docte & cordate, ut ei cor saltat.* Addit vero Hanna *in Jehova* (5), idest per Jehovam; ut significet se Deo acceptam referre caussam gaudii sui.

(רמה קרני ביהוה *râmah karni bijhovàh*; idest, *elatum est cornu meum in Jehova.*) Vox hebræa קרן, cui & sono, & significatione congruit latina *cornu*, per translationem plura ac varia significat apud sacros Scriptores: interdum *fiduciam*, aliquando *splendorem*, & *gloriam*, nonnumquam *imperium*, ut dicemus ad postremum hujus cantici versiculum, passim vero *potentiam*, ac *vires* denotat. Simile quidpiam ea vox apud Horatium quoque significat (6) in hisce versibus: *Tu spem reducis mentibus anxiis, Viresque, & addis cornua pauperi.* Ducuntur autem hæ translationes a bobus, ceterisque cornigeris animalibus, quæ quum se cornibus tutentur, in iis *vires*, ac veluti *fiduciam* habent: quumque alto excelsoque capite incedant, cornua quasi ostentare, in iisque *gloriari* videntur: qua de caussa hujus modi animalia *cornibus superba* Virgilius dicit (7). Jam vero *cornu* alicujus *extolli* tunc dicitur, quum aut firma ei spes adjicitur, aut ad ejus decus, aut ad vires, ac potentiam accessio facta fuerit. Quod ergo hic ait Hanna, *elatum est cornu meum in Jehova* (8), perinde est, quasi diceret, se Dei ope ac beneficio gloriari jam posse, neque jam ob sterilitatem dedecori, atque contemptui, ac ceteris, quæ sterilitatem consequebantur, incommodis obnoxiam esse.

(רחב פי על אויבי *râhabh pi hal ojebhàj*; idest, *dilatatum est os meum super inimicos meos.*) Inimicos Hanna eos dicit, qui sterilitatem ipsi antea exprobrabant, ac Phenennam præsertim, ejusque liberos indicare videtur, quasi diceret: antea præ pudore vix loqui audebam, at jam habeo quod Phenennæ, ceterisque inimicis meis respondeam. Hos aperte non nominat tum ut omnem evitet invidiam, tum ut eorum famæ parcat, ac nomini. Quidam Chaldæum Interpretem secuti sic explicant: apertum est os meum ad laudandum Deum, quod inimicorum meorum arrogantiam retuderit. Alii: dilatatum est os meum præ risu & gaudio: *os* enim *dilatare* super aliquem est nonnumquam *eum irridere*, veluti in psalmo xxxv, seu

(1) lib. xvii de Civ. Dei cap. 4: tom. 7 edit. PP. S. Mauri. (2) Lege etiam, si libet, Johannis Chrysostomi *de Hanna* sermones quinque: tom. 4 ejus operum, edit. PP. S. Mauri, pag. 699, & seqq. (3) Vide quæ dixi pag. 20 col. 2. (4) Act. 4 scen. 2 vers. 96. (5) Vide ps. v vers. 12; & ps. ix. vers. 3; & ps. 28, sive 27 vers. 7; & ps. 84, sive 83 vers. 3; & Habac. cap. iii vers. 17. (6) Carm. lib. iii Od. 21. ad Bacchum vers. 18. vide etiam Ovidium lib. iii Eleg. xi. vers. 6. (7) Georg. lib. iii vers. 217, & 218. (8) Vide ps. 75, seu 74 vers. 5. &c.

xxxiv (1), & apud Jeſahiam (2): quod ſcilicet irridentium is geſtus eſſe ſoleat. Alii voculam על vertunt *contra*: quomodo vertenda eſt etiam in illo Deuteronomii (3), פן תרבה עליך חית השדה, ideſt, *ne forte multiplicentur contra te feræ agri*. Alii demum, ut Menochius, ajunt, על, ſive *ſuper*, idem eſſe ac *magis*; ut ſenſus hic ſit: plus ego poſſum uno Samuele nato, quam Phenenna multiplici ſua prole, gloriari. At equidem poſtremam hanc interpretationem non probarim.

(כי שמחתי בישועתך *ki ſamáhti biſchuhatbécha*; ideſt, *quoniam lætata ſum in ſalute tua*.) Nimirum, ob ſalutem, quam mihi tuliſti o Jehova. Dicendum videbatur בישועתו, non בישועתך, nam prius dixerat, *elatum eſt cornu meum in Jehova*. At ſæpe in veteri teſtamento hujusmodi loquendi ratio occurrit: ita enim fert hebræi ſermonis conſuetudo, ut videre licet in ſubſequenti verſiculo hujus cantici, & alibi non raro. Vocem vero בישועתך Vulgatus, aliique veteres Interpretes transferunt *in ſalutari tuo*, ideſt, in Servatore tuo. Itaque Auguſtinus (4), & alii complures Eccleſiæ Patres Chriſtum Jeſum, hoc eſt Chriſtum Servatorem, hic ab Hanna deſignari docent. Ac ſane id maxime credibile eſt, eam, quum Deo afflante loqueretur, a peculiaris beneficii cogitatione ad maximi illius beneficii, quod univerſo hominum generi collaturus olim Deus erat, animum tranſtuliſſe.

Verſ. 2. (אין קדוש כיהוה *en kadósh kiJhováh*; ideſt, *nemo eſt ſanctus ut Jehova*.) Ipſe enim eſt *ſanctus*, *& ſanctificans*, *juſtus*, *& juſtificans*, ut ait Auguſtinus, neque ulla ſanctitas cum illius ſanctitate æquari poteſt. Vertere etiam poſſes: *Nullus eſt Deus uti eſt Jehova*. Nomen enim קדוש, quod eſt *ſanctus*, Deum ipſum ſæpe deſignat, qui omnis ſanctitatis fons eſt, atque origo. Itaque Jeſahias ſæpe Iſraelis Deum vocat *Sanctum Iſraelis* (5). Habaccucus vero (6): *numquid non tu a principio*, inquit, *Domine Deus meus*, *Sancte meus?* (7)

(כי אין בלתך *ki en biltécha*; ideſt, *quoniam non eſt quiſquam præter te*.) Tribus modis hæc verba explicari poſſunt. Ac primum quidem ſic: *quoniam non eſt ſanctus quiſquam præter te*. Solus enim Deus per ſe ſanctus eſt. Deinde in hunc modum: *quoniam non eſt ullus Deus præter te*: quo modo etiam Juditha (8) ait: *Tu es Deus*, *& non eſt alius præter te*. Demum nonnulli ſic etiam transferunt: *quoniam nihil eſt præter te*. Solus enim Deus vere eſt (9), eamque ob rem in Exodo ſe vocat illum *Qui eſt* (10), & ex eo quod *ſit*, Jehova appellatur.

(ואין צור כאלהינו *veén Zur kElohénu*; ideſt, *& non eſt ullus Deus ut Deus noſter*.) De voce צור dixi ad verſiculum quartum Cantici ſecundi Moſis (11). Ex iis autem, quæ ibi dicta ſunt, conſtat, quare hæc verba alii quidem ſic vertant: *nulla eſt Rupes*, *ad quam confugiamus*, *præter Deum noſtrum*. Alii vero: *non eſt fortis quiſquam ut Deus noſter*. Alii denique: *non eſt formator*, *ut Deus noſter*, qui ſcilicet filium in utero meo effinxit, atque formavit.

Verſ. 3. (אל תרבו תדברו גבהה גבהה *al tarbú thedabberú ghebhoháh gbebboháh*; ideſt, *ne multiplicetis loquamini al-*

(1) verſ. 21: *Dilataverunt ſuper me os ſuum*. (2) cap. lvii verſ. 4: *Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam?* (3) cap. vii verſ. 22. (4) lib. xvii *de Civ. Dei* cap. 4. (5) cap. xli verſ. 14; & cap. 1 verſ. 4; & cap. x verſ. 10, & alibi. (6) cap. 1 verſ. 12. (7) vide etiam Job. cap. vi verſ. 10; & Jeſahi. cap. xliii verſ. 15; & Baruch. cap. iv verſs. 22, et 37. (8) cap. ix verſ. 19. (9) vide Petavium tom. 1. lib. 1 cap. 6. (10) vide quæ annotavi ad verſ. 3 cantici primi Moſis, pag. 10. (11) pag. 41, et 42.

altum altum.) Quoniam Phenenna arroganter superbeque ipsam contempserat, proinde hinc occasionem captat Hanna superbos omnes alloquendi. *Ne multiplicetis*, inquit, *loquamini altum altum;* ideſt, ne verba amplius ſuperbiæ atque arrogantiæ plena effundatis. Porro *ne multiplicetis loquamini* modus eſt loquendi omnino hebræus, quem latinus ſermo non admittit. Simile illud apud Hoſeam (1), לא אוסיף עוד ארחם, hoc eſt, verbum e verbo, *non addam amplius miſerebor;* nimirum, non amplius miſerebor. Illud vero גבהה גבהה (2), hoc eſt *altum altum*, loco ſuperlativi nominis ponitur, quod non habet hebræa lingua, & ſuperbiſſimam orationem indicat. Nec enim mihi arridet Tremellii, Juniique interpretatio, qui transferunt *admodum clare*, propterea quod qui elata voce loquuntur, clare loquuntur.

(יצא עתק מפיכם *jezê hathâk mippichèm;* ideſt, *ne exeat durum quidquam ex ore veſtro.*) Subaudiendam hic cenſeo particulam אל, ideſt *ne*, quæ initio verſiculi poſita eſt. Etenim עתק, ſive *durum*, eſt ſuperba & arrogans oratio: ut patet ex illo pſalmi XCIV (3) loco, יביעו, ידברו עתק, יתאמרו כל פעלי און, ideſt, ut vertit Marinus, *eructabunt*, *loquentur durum*, *jactabunt ſe omnes operatores iniquitatis* (4). *Exire* autem *ex ore* idem eſt atque *proferri*, ſeu pronunciari: quam ob rem in Deuteronomio (5) verbum quod ore profertur, dicitur *egreſſio oris*. Quod ergo ait Hanna יצא עתק מפיכם, id, niſi ſubaudiretur particula *ne*, hanc haberet ſententiam: Verba arrogantia proferte. Sunt tamen qui eam particulam non ſubaudiant: hi autem ſic fere transferunt: *Recedat durum ex ore veſtro*. Sententia tamen eadem fere eſt.

(כי אל דעות יהוה *ki el debóth Jehováh;* ideſt, *quoniam Deus cognitionum eſt Jehova.*) Nihil Deum præterit, ac quæcumque agunt, aut loquuntur homines, omnia novit: ipſe enim, ut eſt in pſalmo XXXIII, ſeu XXXII (6), *finxit ſingillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum*. Eamque ob rem dicitur *Deus cognitionum*.

(ולא נתכנו עללות *veló nithkenû halilòth;* ideſt, *& ei diſpoſitæ ſunt actiones.*) Hebræi hoc in loco ſcribunt ולא, ideſt *& non;* ſed legunt ולו, ideſt *& ei* (7): eodemque modo legit Vulgatus Interpres. At LXX Interpretes legiſſe videntur ואל, ideſt *& Deus;* ſic enim vertunt, καὶ Θεὸς ἑτοιμάζων ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ; ideſt, *& Deus præparans adinventiones ſuas*. Porro נתכן deducitur ex radice תכן, quæ ſignificat *diſpoſuit, ordinavit, aptavit:* atque ex eadem ducta eſſe aliqui conjiciunt Græcorum verba τεχνάομαι, & τεχνάζω; ideſt *fabrico*. Vox vero עלילה plerumque *opus*, *actionem*, *conatum*, ac *ſtudium*, aliquando etiam *occaſionem* (8) denotat. Itaque quæcumque homines aut agunt, aut meditantur, ea Deo *diſpoſita eſſe* ait Hanna, ideſt a Deo perſpici, expendi, ac veluti numerari, vel ab ipſo ad fines æquiſſimos nobis ignotos ſæpe ordinari, ac *diſponi*. Johannes Clericus pro ולו legens ולא interrogative ſic transfert: *an non perfecta eſſent ejus opera?* Aliorum Interpretum explanationes apud Malvendam collectas habes.

Verſ. 4. (קשת גברים חתים *késheth ghibborim hattim;* ideſt, *arcus fortium fracti ſunt.*) In hoc, & ceteris, qui ſubſequuntur, verſiculis uſque ad nonum, hoc

(1) cap. I verſ. 6. Vide etiam Num. cap. XX verſ. 4, et Gen. cap. XXVI verſ. 28. etc.
(2) Vide quæ dixi de vocula מאד pag. 44 col. 1. (3) ſeu XCIII verſ. 4. (4) Vide etiam pſ. XXXI ſeu XXX verſ. 19. (5) cap. VIII verſ. 3. vide etiam Num. cap. XXX verſ. 3; & pſ. 89 verſ. 35. (6) verſ. 15. (7) Vide quæſo Apparatum Biblicum Briani Valtoni prolegom. 8, quod eſt *de Majora, Keri, & Ketib, lectionibus variis*, etc. pag. 288; ſed lege potiſſimum num. 18, et ſeqq. (8) Deuter. cap. XXII verſ. 14.

hoc vult Hanna, superbos a Deo deprimi, humiles vero attolli; omniumque humanarum vicissitudinum auctorem esse ipsum Deum. Habent autem hæc verba implexam quamdam constructionem, quam latinus sermo omnino respuit. Nam קשת, idest *arcus*, numeri singularis est, חתים vero pluralis, quæ vox proinde referri videtur ad גברים. Simile loquendi genus occurrit in libro Jobi (1), in quo hæc legere licet: קול נגידים נחבאו, idest, verbum e verbo, *vox præfectorum occultabantur*. Et in Genesi (2), ubi sic Deus Cainum alloquitur: קול דמי אחיך צעקים אלי, idest, *vox sanguinum fratris tui clamant* (3) *ad me*. Porro *arcus* nomine arma quævis hìc designantur, aut vires, ac potentia: quæ sola hominibus quidquam prodesse negat hìc Hanna: facile enim, si Deus velit, potentissimus quisque prosternitur, ut Goliatho accidit, qui etsi viribus valeret quam maxime, ab adolescente tamen devictus est.

(ונכשלים אזרו חיל *venichshalim àzeru hàil*; idest, *& vacillantes cinxerunt vim*.) Deus scilicet *dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat*, ut inquit Jesahias (4). Porro נכשלים ii dicuntur, qui vacillant, cespitant, labascunt. Hos etiam *vi accingi* ait, quod perinde est ac si diceret, eos fortitudinem induere, seu viribus instrui. Ejusmodi loquendi genus adhibent passim Scriptores sacri (5).

Vers. 5. (שבעים בלחם נשכרו *sebhebìm ballèhem nisc'àru*; idest, *Saturi, in pane mercede conducti sunt*.) Nimirum qui antea ad satietatem de suo vescebantur, ad tantam inopiam rediguntur, quum Deo libuerit, ut operam suam locare cogantur, ut panem, idest victum, sibi comparent. Hoc scilicet vult Hanna, divitias, & inopiam a Deo esse; non a fato, non a fortuna, non a Gentium numinibus. Simili modo Maria, *esurientes*, inquit, *implevit bonis, & divites dimisit inanes* (6). Porro vocem בלחם, idest *in pane*, Lxx Intt. malunt jungere cum שבעים, idest *saturi*: vertunt enim, πλήρεις ἄρτων, hoc est, *repleti panibus*. Aquila vero pro נשכרו legit נשברו, quum transferat συνετρίβησαν, idest, *contriti sunt*.

(ורעבים חדלו *urbebhim badèlu*; idest, *& famelici cessarunt*.) Nimirum qui fame antea conficiebantur, ii fame laborare desierunt, vel operam suam locare cessarunt: quo modo hæc verba accepisse videntur Lxx Interpretes; sic enim transtulerunt: καὶ οἱ πεινῶντες παρῆκαν γῆν, idest, *& esurientes dimiserunt terram*.

(עד עקרה ילדה שבעה *had bakaràh jaledàh sbivhàh*; idest; *donec sterilis peperit septem*.) Particulam עד Lxx Intt. hìc transferunt ὅτι, idest *quia*; Vulgatus autem Interpres vertit *donec*. Ac sane hæc plerumque est ejus particulæ significatio: attamen locus iste, ut perspicue explicetur, aliam videtur ejus voculæ interpretationem exposcere; nimirum hìc significare videtur *quin immo*, aut quid simile; quasi diceret Hanna: Quid plura? *Habitare* etiam me *faciet* Deus *sterilem in domo, matrem filiorum lætantem* (7). Nec enim videtur Hanna in secundo hujus versiculi hemistichio de rerum humanarum varietate generatim atque universe duntaxat loqui, ut superius fecit, sed peculiariter de se primum, deinde in verbis subsequentibus de Phenenna. Hìc scilicet filios respicit, quos Deo inspirante se parituram prævidebat, quos ait fore *septem*, idest multos; ut enim recte monet (8) Hieronymus

---

(1) cap. xxix vers. 10. (2) cap. iv vers. 10. (3) Samariticum exemplar pro צעקים habet צעק. (4) cap. xl vers. 29. (5) Vide Marini Thesaurum ad rad. אזר. (6) vide etiam ps. xxxiv, seu xxxiii vers. xi. (7) ps. 113, seu 112 vers. ult. (8) Comment. in Isai. lib. xv ad cap. 54; tom. 4 edit. Vallars. pag. 626.

mus, septenarius (1) sæpe multitudinem indefinite significat in sermone hebræo (2). Ac reipsa quidem plures Hanna liberos postmodum peperit, nimirum sex. Quidam e Rabbinis, ut nugis maxime delectantur, ajunt voce שבעה Samuelem ipsum designari (3), propterea quod duorum nominum שבעה, & שמואל literæ parem numerum faciant, nempe 377.

(ורבת בנים אמללה *verabbâth banim umlâlah*; idest, *& multa filiorum, infirma facta est.*) Nimirum feminas Deus sæpe e fecundis infecundas facit. Videtur autem Hanna Phenennam potissimum his verbis designare, ut jam dixi, quasi illud indicet, eam ante illud tempus, quo parere cessant feminæ, effetam factam esse. Vox enim אמללה ad id denotandum adhibetur a Sacris Scriptoribus, quod nullum fructum proferre possit. Ita Joel ficum infecundam ac sterilem vocat (4) התאנה אמללה, & Jeremias in capite xv (5) sic loquitur: אמללה ילדת השבעה, idest, *infirma, sterilis, infecunda facta est, quæ pepererat septem*, nempe multos liberos. Porro Hebræi ajunt, nato vix Samuele, e Phenennæ filiis natu majorem primum occubuisse, tum alios omnes, eaque de causa Phenennam hic dici אמללה, idest *infirmam factam*. At id temere affirmant, neque ex verbis Hannæ, neque aliunde colligitur. Non prætereunda est autem hujus versiculi interpretatio, quam plures Ecclesiæ Patres tradunt (6), quamque ex Euthymio libet exponere. *Juxta anagogen*, inquit, *per sterilem intelligere possumus Ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ olim infructuosa fuit, & postmodum recepto fidei, ac Religionis semine multos peperit filios. Contra autem Judæorum synagoga multa olim fuit in filiis; multos enim peperit prophetas, sanctosque ac justos viros, verum postmodum infirmata est, quia gloriam ejus ac famam Ecclesia ex gentibus collecta superavit.*

Vers. 6. (יהוה ממית, ומחיה *Jehovâh memîth, umhajjêh*; idest, *Jehova morte afficiens, & ad vitam revocans.*) Lege quæ adnotavi ad versiculum 39 Cantici secundi Mosis (7), ubi eadem est sententia.

(מוריד שאול, ויעל *morîd sheól, vajjâhal*; idest, *descendere facit in sepulcrum, & faciet ascendere.*) De voce שאול, ejusque significationibus dixi alias (8). Generalem autem mortuorum omnium ad vitam reditum Hannam divino spiritu afflatam hic designasse merito suspicari possumus. Attamen hæc verba ita etiam interpretari licet, quasi significent, Deum ægrotos ac jam desperatos (9) ad sanitatem, bonamque valetudinem interdum revocare, aut homines sæpe e maximis vitæ discriminibus eripere (10). Ac sane David in psalmo xxx, seu xxix (11) gratias Deo pro accepta sanitate agens simili utitur locutione: sic enim ait; *Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me: Domine ascendere fecisti* מן שאול, idest, *a sepulcro animam meam*, me ipsum videlicet (12).

Vers. 7. (יהוה מוריש (13), ומעשיר; משפיל, אף מרומם *Jehovâh morîsh, umahashîr; mashpîl, aph meromêm*; idest, *Jehova depauperans, & ditans; deprimens, & extollens.*) Has rerum humanarum vicissitudines a Deo proficisci agno-

(1) De septenario vide, Aulum Gellium lib. III Noct. Attic. cap. 10; et Macrobium lib. I in Somnium Scipionis cap. 6. (2) vide Jerem. cap. XV vers. 9; et Jesahi. cap. IV vers. 1; et Levit. cap. XXVI vers. 18; et Proverb. cap. XXIV vers. 16; et Ruth. cap. IV vers. 15; etc. (3) vide Marianam ad hunc locum. (4) cap. I vers. 12. (5) vers. 9. Vide etiam Jesahi. cap. XXIV vers. 7. (6) vide August. lib. XVII de civ. Dei cap. IV num. 4, et alios. (7) pag. 74 col. 2. (8) ad vers. 22 Cantici secundi Mosis, pag. 62 col. 2. Vide etiam Tob. cap. XIII vers. 2, et Sap. cap. XVI. vers. 13. (9) vide Jesahi. cap. XXXVIII. (10) vide Dionysium Carthusianum ad hunc locum. (11) vers. 3, et 4. (12) Lege, si libet, quæ dixi de voce נפש pag. 20 col. 2. (13) de verbo הוריש dixi ad vers. 9 Cantici primi Mosis, pag. 21 col. 1.

gnoverunt vel ipsi Ethnici. Itaque Æsopus a Chilone Spartiate interrogatus (1), quid Deus in cælo ageret, sic respondit: τὰ ὕψηλα ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινὰ ἀνυψοῖ, idest, *alta deprimit, humilia extollit*.

Vers. 8. (מקים מעפר דל *mekím mehaphár dal*; idest, *Erigens de pulvere inopem*.) Versiculum hunc exscripsit auctor psalmi CXIII, seu CXII. Lege Marinum ad eum locum (2). Porro *erigere de pulvere* (3) idem est atque ex abjecta conditione ac fortuna ad summos gradus Reipublicæ evehere: quod in Josepho Jacobi filio, in Mose, in Saule, in Davide, in aliis fecisse Deum cuique notum est. Dictio vero דל proprie *tenuem, macrum*, ac *macilentum* denotat, sed pro *paupere* etiam adhibetur. Jonathanus vertit מסכנא, quo ex vocabulo ducta videtur Italorum vox *meschino*.

(מאשפת ירים אביון *meashpóth jarím ebhjón*; idest, *e stercore eriget pauperem*.) *E stercore* idem valet atque e sordibus, e statu sordidissimo, ex abjectissimo loco. Junius, Tremelliusque vertunt *e sterquiliniis*; nimirum censent, אשפות nomen plurale esse: sed hallucinantur: est enim singulare ejusdem formæ cum אחות, quod est *soror*; plurale autem est אשפתות, quod in Threnis adhibet Jeremias (4).

(להושיב עם (5) נדיבים *lehoshíbh him nedibhím*; idest, *ut collocet cum nobilibus*.) נדיב proprie *liberalem*, ac *munificum* significat, & per translationem virum *nobilem*, ac *principem* denotat; quod eum maxime deceat beneficentia. Itaque Christus apud Lucam (6): *Reges Gentium*, inquit, *dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*.

(וכסא כבוד ינחלם *vechissé chabhód janhilém*; idest, *& sedem gloriæ tenere faciet eos*.) *Sedes gloriæ* idem est ac sedes, aut sella gloriosa, atque honorifica, qua honores, ac magistratus Reipublicæ indicantur. *Pronomen* vero plurale *Eos* referendum puto ad nomen אביון, quod etsi singulare sit, quia tamen collective sumitur, proinde jungitur cum pronomine plurali (7).

(כי ליהוה מצקי ארץ *ki liJhováh mezukè érez*; idest, *quoniam Jehovæ sunt fundamenta terræ*.) Translata, & elegans locutio (8), qua nihil aliud Hanna significat, quam terrarum orbem a Deo conditum esse: ex quo illud recte colligit, facili negotio posse ab ipso in res humanas quamlibet mutationem induci. Dissentit autem hic prorsus ab hebræo exemplari LXX Interpretum translatio, quæ ita se habet: διδοὺς εὐχὴν τῷ εὐχομένῳ, καὶ εὐλόγησεν ἔτη δικαίου, idest, *dans votum oranti, & benedixit annis justi*. Dissentit itidem in sequentibus, id quod facile ei patebit, qui eam interpretationem cum hebræo exemplari contulerit. Porro vocem מצקים quidpiam denotare, cui pondus aliquod imponatur, cujusmodi est *fundamentum*, aut *basis*, colligitur ex verbis, quæ proxime subjiciuntur in hoc versiculo. Eam vero dictionem derivat Marinus ex יצק, quod est *fudit*, quasi *bases* ex metallo aliquo *fusæ* per translationem hic terræ tribuantur: nam simili ratione Jobus (9) a Deo *commoveri* ait *terram de loco suo, & columnas ejus concuti*. Malunt tamen alii dictionem מצקים derivare ex radi-

(1) Vide Diogen. Laert. in Chil. num. 69. (2) part. 2 Annotat. literal. in psalmos, pag. 97. (3) vide lib. 1 seu III Regum cap. XVI vers. 2; et Jesahi. cap. XLVII vers. 1.
(4) cap. IV vers. 5. (5) ex עם ducta videtur græcorum particula ἅμα. (6) cap. XXII vers. 25. (7) vide quæ annotavi ad vers. 4 Cantici primi Mosis, pag. 16 col. 1.
(8) vide ps. CIV, seu CIII vers. 5, et Prov. cap. VIII vers. 29; quibus in locis similes occurrunt locutiones. (9) cap. IX vers. 6.

radice צוק, quæ interdum, inquiunt, ſignificat *arctavit*: ut ſcilicet מצקים dicantur *firmiſſimæ baſes*, propterea quod pleraque arctando firmantur, & quo magis arctantur, eo ſunt firmiora (1). Sunt etiam qui *fundamenta terræ* juſtos hìc interpretentur, quos in pſalmo xlvii, ſeu xlvi (2) *clypeos* etiam *terræ* appellari ajunt. De qua interpretatione judicet lector.

(וישת עליהם תבל *vajjàsbeth balebém tebbél*; ideſt, *& poſuit ſuper ea orbem*.) Poeticum, ac translatum loquendi genus. De voce תבל, quam alii ex בלל, quod eſt *confudit*, alii ex מבול, quod eſt *diluvium*, duxerunt, adi Marini Theſaurum.

Verſ. 9. (רגלי חסידיו ישמר *raglé basidàv isbmór*; ideſt, *pedes piorum ſuorum ſervabit*.) Nimirum non ſinet pios ſuos labi, aut laqueis irretiri; eos nempe incolumes ſervabit, atque a periculis, a calamitatibus, a malis omnino omnibus eripiet. Simile loquendi genus paſſim occurrit in Scriptura (3). חסיד autem, unde Haſidæi dicti ſunt, virum *pium*, ac *beneficum* ſignificat. At quum *pios Dei* nominant Scriptores ſacri (4), cenſet Marinus (5), tunc vocem חסיד paſſive ſumendam eſſe, ita ſcilicet, ut *pii Dei* ſint, quos Deus benigne habet, ac peculiaribus beneficiis cumulat. Lxx Interpretes neque ſuperius colon habent, neque hoc, neque ſubſequens: cujus rei cauſam quis divinaverit?

(ורשעים בחשך ידמו *urshablm babósbech iddìmu*; ideſt, *& iniqui in obſcuritate ſilebunt*.) Poſſunt primum hæc verba de morte accipi, ut ſcilicet hoc ſignificent: Iniqui autem in tenebras, non in lucem, ut juſti, poſt mortem demigrabunt. *Silendi* enim verbo utuntur ſæpe Scriptores ſacri ad mortem deſignandam. Ita David pſalmo xxxi, ſive xxx (6) hæc habet: רשעים ידמו לשאול, ideſt, *iniqui ſilebunt in ſepulcro*, vel *in inferno* (7). Et auctor pſalmi xciv, ſeu xciii (8) לולי יהוה עזרתה לי, כמעט שכנה דומה נפשי, ideſt, *niſi Dominus mihi opem tuliſſet, paulo minus habitaſſet in ſilentio anima mea*. Et alibi (9) mortui vocantur ירדי דומה, ideſt *deſcendentes in ſilentium*. Quin ſimili loquendi ratione uſi ſunt etiam profani ſcriptores, veluti Virgilius (10) in his verſibus:

Dii, quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes,
Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte ſilentia late.

Poſſunt deinde verba Hannæ de rebus adverſis explicari, ut hanc ſcilicet ſententiam habeant: Iniqui autem in tenebris, ideſt in calamitatibus, ita verſabuntur, ut loqui non audeant. Nimirum חשך, ſive *tenebræ* ad res adverſas ſignificandas adbibentur aliquando a ſacris Scriptoribus (11), quin etiam a profanis. Ita Cicero (12) de tempore loquens, quo ſe P. Clodius Roma expulerat: *ecce*, inquit, *illa tempeſtas, caligo bonorum, & ſubita atque improviſa formido, tenebræ Reipublicæ*.

(כי לא בכח יגבר איש *ki lo bechóah igbbàr isb*; ideſt, *quoniam non in vi ſua fortis erit vir*.) Nimirum, nemo ſuis viribus a morte liberare ſe poteſt, aut a calamitatibus. Vocula enim איש, quæ *virum* denotat, ſi cum negationis par-

(1) Lege Clericum ad hunc locum. (2) verſ. 10. (3) vide quæ dixi ad verſ. 35 Cantici ſecundi Moſis, pag. 72 col. 1. (4) vide pſ. 32, ſive 30 verſ. 24; pſ. 79, ſive 78 verſ. 2; pſ. 30, ſive 29 verſ. 5; et lib. 2 Paral. cap. vi verſ. 41. (5) In Theſauro. Vide etiam Nicolaum Fulleum Miſcell. Sacr. lib. 1 cap. 8. (6) verſ. 18. (7) vide quæ dixi pag. 61, et 62. (8) verſ. 17. (9) pſ. cxv, qui apud Vulgatum Interpretem eſt altera pars pſalmi cxiii, verſ. 17. (10) lib. vi Æneid. verſ. 264, et 265. Ovidius quoque lib. v Faſtorum: *Mox etiam lemures animas dixere ſilentes*.
(11) vide Job. cap. xv verſ. 22, et cap. xviii verſ. 5, et 6; et lib. 2 Sam. cap. xxii verſ. 29; et pſ. cxii, ſive cxi verſ. 4; et Jeſahi. cap. xlv verſ. 7. (12) de Provinciis Conſ. num. 43.

particula jungatur, significat *nemo* (1).

Vers. 10. (יהוה יחתו מריביו *Jehováh jebáttu meribbáv*; idest, verbum e verbo, *Jehova frangentur contendentes cum eo*.) Duobus modis hæc verba interpretari licet: primum ut sensum hunc habeant: Conterentur, o Jehova, exterminabuntur, peribunt, qui contendunt cum eo, nimirum cum Samuele: ut scilicet victoriam, quam de Philistæis relaturi erant Hebræi, prænunciet hìc Hanna: id quod magis perspicue intelligetur ex verbis subsequentibus. Deinde sic etiam exponi possunt, ut hæc locutio, *Jehova conterentur contendentes cum eo*, idem valeat atque hæc altera: *Conterentur qui contendunt cum Jehova*. Ita in secundo Cantico (2) Moses ait: *Deus perfectum est opus ejus*, quod perinde est quasi diceret: *Dei perfectum est opus*. Quo modo passim loquuntur Hebræi. *Contendere* autem *cum Deo* dicuntur, qui eos, quibus favet Deus, insectantur (3). Porro Lxx Interpretum translatio sic habet: Κύριος ἀσθενῆ ποιήσει τὸν ἀντίδικον αὐτοῦ: Κύριος ἅγιος; idest, *Dominus debilem facit adversarium suum: Dominus sanctus*. Tum in editione Aldi (4) hæc subjiciuntur, quæ in Complutensi non extant: Μὴ καυχάσθω ὁ φρόνιμος ἐν τῇ φρονήσει αὐτοῦ. Καὶ μὴ καυχάσθω ὁ δυνατὸς ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ. Καὶ μὴ καυχάσθω ὁ πλούσιος ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ. ἀλλ' ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος ἐν τῷ συνιεῖν καὶ γινώσκειν τὸν Κύριον καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐν μέσῳ τῆς γῆς; idest, *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur potens in potentia sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, si intelligit, & cognoscit Dominum, & si facit judicium, & justitiam in medio terræ*. Quæ verba neque hìc hebræum exemplar habet, & videntur huc ex Jeremiæ nono capite (5) translata.

(עלו בשמים ירעם *haláv bashshamáim jarbém*; idest, *super ipsum in cælo tonabit*, seu *tonare faciet*.) Lxx Interpretes pro עלו videntur legisse עלה, hoc est, *ascendit*; sic enim transtulerunt: Κύριος ἀνέβη εἰς οὐρανοὺς, καὶ ἐβρόντησεν, idest, *Dominus ascendit in cælos, & tonuit*. At nunc hebræum exemplar habet עלו; quo modo legit etiam Vulgatus Interpres. Porro hæc dictio עלו, quæ significat *super ipsum*, jungi potest cum verbis proxime superioribus, quæ tunc ita vertenda forent: *o Jehova conterentur qui contendunt cum eo contra ipsum*: vel aliter: *Conterentur qui contendunt cum Jehova contra ipsum* (6). Potest etiam עלו jungi cum his verbis, quæ nunc interpretamur: tunc autem aut significabit *super ipsum*, idest Samuelem; aut affixum illud pronomen singulare ו positum erit pro plurali הם, ita scilicet, ut עלו significet *super ipsos*, nimirum super eos qui cum Jehova contendunt. Vox autem שמים (7), idest *cælum*, hìc denotat mediam regionem aeris. Demum ירעם quidam, teste Malvenda, putarunt esse ex ירע cum affixo ם: at ducitur ex radice רעם, quæ significat *tonuit*. Jam vero his præmissis locum hunc ita explicandum censeo, ut eam victoriam Hanna prænunciet, quam de Philistæis Hebræi reportaturi erant, quamque scriptor libri primi Samuelis narrat his verbis (8): *Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt a facie Israel*.

יהוה

(1) vide Gen. cap. XIX vers. 31. (2) vers. 4. Vide quæ adnotavi ad eum locum.
(3) vide quæ dixi ad vers. 7 Cantici primi Mosis, pag. 18 col. 1. (4) Venetiis ann. 1518.
(5) vers. 23, et 24. (6) particulam על aliquando significare *contra*, dixi ad vers. 1 hujus Cantici, pag. 81. col. 1. (7) vide quæ dixi ad vers. 1 Cantici secundi Mosis, pag. 39.
(8) cap. VII vers. 10.

(יהוה ידין אפסי ארץ *Jehovàh jadìn aphsè àrez*; idest, *Jehova judicabit fines terræ.*) Locum hunc Clericus ita explicat: *Jehova de finibus terræ judicabit, idest, de tota ditione populi hebræi ad fines usque*. Quam explicationem ut confirmet, profert octavum versiculum secundi psalmi, qui versiculus est hujus modi: *Postula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. At quum profert hunc versiculum Clericus, ostendit manifesto, quæ dicuntur ab ipso, ea ab animo veritatis inimico proficisci. Norunt quid velim, qui norunt Clericum. Profecto totus ille secundus psalmus de Christo Jesu Dei filio (1) explicandus est: de ipso enim illum interpretantur novi Testamenti Scriptore sacri (2). At de hac re fusius agere tempus non est (3). Itaque ut ad id, quod propositum erat, revertar, quis credat, Hannam, ac Davidem *fines terræ* quum dicunt, non universum terrarum orbem, sed Hebræi populi ditionem duntaxat designare? David sane in eo, quem diximus, versiculo non modo *fines terræ* possidendos a Christo commemorat, sed etiam *Gentes* ipsi *in hereditatem dandas*. At גוים, sive *Gentium* nomine non Israelitas denotari, sed reliquos populos, & nos alibi monuimus (4), & fatentur vel ipsi Hebræi, qui proinde etiamnum quemlibet a lege Mosis alienum appellant גוי (*goj*). Quare eum psalmi versiculum Clerico favere nemo dixerit, nisi qui plus æquo faveat Clerico. Hæc itaque Hannæ verba multo aliter explicarim, nimirum de Christo Jesu, de quo & in his verbis loquitur Hanna, & in subsequentibus usque ad Cantici finem, quique omnium hominum Judex constitutus est, ut docet Johannes in Euangelio (5) his verbis: *Pater omne judicium dedit Filio*.

(ויתן עז למלכו *veittén hoz lemalkó*; idest, *& dabit robur Regi suo.*) Hæc dixit Hanna, antequam Rex in Israele creatus esset; ex quo apparet hæc verba esse prophetica. De Messia autem ea explicat vel ipse Chaldæus Interpres, ut ut Hebræus. Lxx Interpretes sic verterunt: καὶ δώσει ἰσχὺν τοῖς βασιλεῦσιν ἡμῶν; idest, *& dabit fortitudinem regibus nostris*.

(וירם קרן משיחו *vejarém kéren Meshihó*; idest, *& extollet cornu Christi sui*.) Zachariæ animo obversatus esse videtur hic locus, quum in Cantico, quod post ortum Johannis filii cecinit, hæc effatus est (6): *Et erexit (Deus) cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus*. De voce *cornu* dixi ad versiculum primum (7). Hic potentiam, imperium, regnumque potissimum designare videtur: quam significationem habet etiam ea vox in psalmo cxxxii, sive cxxxi (8), & apud Sirachidem (9), qui sic ait: ἔδωκε τὸ κέρας αὐτῶν ἑτέροις, idest, *dedit eorum cornu* (nempe regnum) *aliis*. Itaque apud Danielem decem cornua decem regna denotant: ut proinde quidam ipsum *coronæ* vocabulum, quod regium insigne est, ex hebraica voce קרן ductum suspicati sint. Apud Ethnicos quoque quasi imperii symbolum cornua habebantur: narrant enim (10), Ge-

(1) vers. 7 ejus psalmi hæc exstant verba: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. (2) vide Act. cap. xiii vers. 33, epist. ad Hebr. cap. i vers. 5, Apocalyps. cap. 2 vers. 27; & cap. 19 vers. 15. (3) Vide Marinum, aliosque Interpretes ad eum psalmum. (4) ad vers. 21 Cantici secundi Mosis, pag. 60 col. 2. (5) cap. v vers. 21. (6) apud Luc. cap. i verss. 69, & 70. (7) pag. 81 col. 1, & 2.
(8) vers. 17. Vide Marinum ad eum locum. (9) cap. xlix vers. 7. vide etiam Hieronymum lib. 2 comment. in Abac. ad cap. iii vers. 4; tom. 6 editionis Vallarsianæ pag. 639, & 640. (10) vide Ovidium lib. xv Metamorph. vers. 577, & seqq., itemque Valerium Maximum lib. v cap. 6, & Plinium lib. xi cap. 37.

Genucium Cipum, quum ſubito ei cornua ex capite enata forent, aruſpicemque de ejuſmodi oſtento conſuluiſſet, reſponſum accepiſſe, portendi ei regnum (1).

Iam vero Meſſiæ imperium ampliſſimum fore prædicit hìc Hanna, quæ omnium prima Meſſiæ expreſſe meminit, quum nulla ejus ſub hoc nomine mentio fiat ſive in Pentateucho, ſive in libris Joſuæ, Judicum, & Jobi, cujus poſtremi ſcriptorem multo antiquiorem, quam Hannam, eſſe veriſimile eſt. Meſſias autem, ſive משיח, idem eſt ac græce χριστὸς, latine *unctus*. Ungebantur vero tum Sacerdotes (2), tum Reges (3), tum etiam prophetæ (4) aliquando, qui proinde *Meſſiæ*, ſeu *Chriſti*, ſive *uncti* dicebantur (5), hoc eſt, per ſacram unctionem, qua poteſtas ſive ſacerdotalis, ſive regia ſignificabatur, rite Deo conſecrati, atque a populo veluti ſejuncti.

Videndum nunc ergo eſt, quinam ſit iſte משיח, ſive *Chriſtus*, qui deſignatur hoc in loco. Erat quidem Hannæ tempore *Unctus* Domini, ideſt Pontifex Maximus Heli; at hunc ipſa non indicat: etenim ei, de quo hìc ſermo habetur, regia etiam dignitas tribuenda eſt, uti apparet ex verbis Hannæ proxime ſuperioribus: Heli autem rex non erat Iſraelitarum, ſed judex. Deinde in capite ſecundo libri primi Samuelis (6), ex quo capite Canticum Hannæ deſumptum eſt, משיח, ſive *Chriſtus* a Sacerdote diſtinguitur his verbis: *Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciat; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus*. Itaque aliqui Meſſiam, quem hìc Hanna prænunciat, Saulem, aut Davidem eſſe ajunt, quorum uterque ab ejus filio Samuele unctus regnum adeptus eſt. At multo ſatius eſt de Chriſto Servatore, qui per antonomaſiam *Chriſtus* dicitur, locum hunc interpretari, cujus typus ac figura fuerunt ſacerdotes, reges, ac prophetæ omnes Veteris Teſtamenti. Is ſolus vere Chriſtus eſt, Sacerdos ſummus, Rex atque imperator invictus, ac Prophetarum omnium princeps. Quin ob terrenam ipſam generationem *Chriſtus* merito dicitur; ut enim ait Auguſtinus (7), *firmiſſime tenendum eſt, carnem Chriſti ex utroque genere propagatam, & regum ſcilicet, & Sacerdotum: in quibus perſonis apud illum populum Hebræorum etiam myſtica unctio figurabatur, ideſt chriſma, unde Chriſti nomen elucet, tanto ante etiam iſta evidentiſſima ſignificatione prænunciatum*.

CAN-

(1) Ovidius in eo, quem dixi loco, de aruſpice, quem conſuluit Cipus, hæc ſcribit: *Cum vero ſuſtulit acre A pecudis fibris ad Cipi cornua lumen, Rex, ait, o ſalve: tibi enim, tibi Cipe, tuiſque Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus arces*. (2) vide Exod. cap. XXX verſ. 30; Levit. cap. VIII verſ. 12; & Eccleſiaſtic. cap. XLV verſ. 18. (3) Saul unctus fuiſſe dicitur in lib. 1 Samuelis cap. X verſ. 1; David ejuſdem libri cap. XVI verſ. 13; Salomon in lib. 1, ſive III Reg. cap. I verſ. 39. (4) Eliſæus unctus fuiſſe dicitur in lib. 1, ſive III Reg. cap. XIX verſ. 16. (5) vide lib. 2 Machab. cap. I verſ. 10; lib. 1 Sam. cap. XVI verſ. 6, & pſ. CIV, ſeu CIII verſ. 15. (6) verſ. 35. (7) in lib. 2 de conſenſu Euangel. cap. I num. 4; ſeu parte 2 tom. 3 editionis PP. S. Mauri pag. 28.

CANTICUM JESAHIÆ.

(*Exſtat apud ipſum in cap. xii.*)

אודך יהוה, כי אנפת בי, ישב אפך, ותנחמני.	1. *Celebrabo te, o Jebova, quoniam ſuccenſuiſti mihi, convertetur ira tua, & conſolaberis me.*	1. Confitebor tibi DOMINE, quoniam iratus es mihi, converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.
הנה אל ישועתי, אבטח, ולא אפחד; כי עזי וזמרת יה והוה, ויהי לי לישועה.	2. *Ecce Deus ſalus mea, confidam, & non timebo; quoniam vis mea, & pulſatio Jah Jebova, & fuit mibi ſaluti.*	2. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo, mea & laus *mea* DOMINUS, & factus eſt mihi in ſalutem.
ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה.	3. *Et haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalutis.*	3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.
ואמרתם ביום דהוא: הודו ליהוה, קראו בשמו, הודיעו בעמים עלילתיו, הזכירו, כי נשגב שמו.	4. *Et dicetis in die illa: Celebrate Jebovam, invocate nomen ejus, cognoſcere facite in populis actiones ejus, recordari facite, quod excelſum eſt nomen ejus.*	4. Et dicetis in die illa: Confitemini DOMINO, & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus, mementote, quoniam excelſum eſt nomen ejus.
ומדו יהוה, כי גאות עשה; מירעת זאת בבל הארץ.	5. *Pſallite Jebovam, quoniam magnificentiam fecit; notum hoc in univerſa terra.*	5. Cantate DOMINO, quoniam magnifice fecit; annunciate hoc in univerſa terra.
צהלי, ודני ישבת ציון, כי גדול בקדבך קדוש ישראל.	6. *Hinni, & ova, o babitatrix Sionis, quoniam magnus in medio tui Sanctus Iſraelis.*	6. Exſulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.

EXPLANATIO.

MUlta Jeſahias in capite undecimo libri ſui præclara, atque illuſtria de Chriſto prænunciavit. Itaque hunc veluti præſentem intuens, in capite duodecimo Canticum hocce, quod modo explanaturus ſum, breve illud quidem, ſed elegans ac divinum, Iſraelitis, quibus cum Chriſtus ve.ſaturus erat, canendum proponit.

Verſ. 1. (אודך יהוה *Odechà Jebovàh;* ideſt, *Celebrabo*, ſeu *Laudabo te o Jebova.*) Verbo הודה (*bodàh*), ex quo græcam vocem ᾠδὴ derivatam Marinus putat, *confitendi* ſignificationem tribuere ſolet Vulgatus Interpres. At ex plurimis Scripturæ locis colligitur, הודה idem fere eſſe ac *laudavit*, *celebravit*, publicam-

 que

que laudationem, ac beneficiorum commemorationem denotare. Hanc ejus verbi vim agnovit Vulgatus ipse Interpres, quum ea verba Jacobi in Genesi (1), יהודה אתה יודוך אחיך, sic transtulit: *Juda te laudabunt fratres tui*. Quin hanc ipsam significationem habet apud eumdem Interpretem *confitendi* verbum, atque apud Græcos ἐξομολογεῖν; id quod tum ex aliis locis colligitur, tum maxime ex hisce verbis Christi Domini (2): *Confiteor tibi* (idest, laudo te), *Pater, Domine cæli, & terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis*. (כי אנפת בי, ישב אפך, ותנחמני; *ki anàphta bi, jasbòbh appechà, uthnahaméni*; idest, *quoniam succensuisti mihi, convertetur ira tua, & consolaberis me*.) Iram *converti* idem est, ac iram mitigari, atque placari (3). Verbum autem אנף proprie quidem significat *flavit naribus*, sed per translationem *iratus est* (4). Jam vero illud sane non vult Jesahias his verbis, gratias Deo ab Israelitis ideo agendas esse, quod ipsis iratus fuerit, ut perspicuum est. Sed totus versiculus ita exponi debet, quasi diceret Jesahias: Laudabo te o Jehova, quia quum mihi iratus esses, placata est ira tua, & consolatus es me. Tirinus tamen, atque Calmetus, quamvis eamdem sententiam hic agnoscant, paulo aliam tamen afferunt interpretationem: nimirum censent voculam כי verti posse hoc in loco *quamvis*: ut tota sententia sic habeat: Laudabo te o Jehova, quamvis mihi iratus fueris. Eam enim, quam dixi, vim inesse nonnumquam particulæ כי, colligunt ex tribus hisce Veteris Testamenti locis: primum scilicet ex capite octavo Geneseos (5), ubi Deus inducitur sic loquens: לא אסיף לקלל עוך את האדמה בעבור האדם, כי יצר לב האדם רע מנעריו, idest, *non adjiciam maledicere amplius terram propter hominem, eo quod figmentum cordis humani malum sit ab adolescentia sua*. Deinde ex capite septimo Jeremiæ (6), ubi hæc legere licet apud Vulgarum Interpretem: *liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas*. Ac demum ex psalmo LXXVIII, seu LXXVII (7), cujus versiculi duodevicesimus, ac vicesimus in Vulgata translatione ita se habent: *Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ*. At in primo Geneseos loco particula כי recte verti potest, *eo quòd*; ut eorum verborum hic sensus sit: *hominum depravatio me non adducet, ut rursus terræ maledicam*. Duo vero alia loca miror a Tirino afferri: nec vero ab eo afferrentur, si hebræum exemplar consuluisset: hoc enim pro כי apud Jeremiam quidem habet למען; in psalmo vero LXXVIII habet הן, idest, *ecce*.

Vers. 2. (הנה אל ישועתי, אבטח, ולא אפחד *hinnèh El jesbuhathì, ebhtàh, velò efhàd*; idest, *Ecce Deus salutis meæ* (vel, *salus mea*), *confidam, & non expavescam*.) Prophetarum more Jesahias de Christo Servatore ita loquitur, quasi eum intueatur, atque indicet. Ecce, inquit, Deus Servator meus: omnem jam timorem securus abjicio. Elegantem vero paronomasiam (8) in vocibus אבטח, & אפחד observat Cornelius a Lapide.

(כי עזי וזמרת יה יהוה, ויהי לי לישועה *ki hozzì vezimràth Jaha Jehovàh, vajhi*

---

(1) cap. XLIX vers. 8. (2) ap. Luc. cap. X vers. 21. (3) Vide Gen. cap. XXVII vers. 45; & Job. cap. XIV vers. 9; & Jerem. cap. 2 vers. 34. &c. (4) Vide quæ adnotavi ad vers. 8 Cantici primi Mosis, pag. 19 col. 1. (5) vers. 21. (6) vers. 10. In hebræo exemplari hæc exstant verba: נצלנו למען עשות את כל התועבות האלה. (7) vers. 19, & 20 in hebræo exemplari sic se habent: וידברו באלהים, אמרו, היוכל אל לערך שלחן במדבר: הן הכה צור, ויזובו מים. (8) Paronomasiis delectatos esse Hebræos ostendit Sal. Glassius in Rhetorica Sacra, tr. 2 cap. 2.

bl li lisbubáb; ideſt, *quoniam vis mea, & pulſatio eſt Jaba Jebova, & fuit mihi ſaluti.*) Hoc hemiſtichium fuſe interpretatus ſum in explanatione Cantici primi Moſis (1), ex quo illud exſcripſit Jeſahias, addita tamen particula כי, ac Dei nomine יהוה. Sunt autem qui duo ea nomina יה יהוה hìc transferant *Deus Dei*, ſeu *Deus de Deo*: quo æternus Dei filius apertius indicetur.

Verſ. 3. (ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה *usbabbtém máim beſasón mimmajné bajsbubáb*; ideſt, *& baurietis aquas in gaudio de fontibus ſalutis.*) *Fontes ſalutis* quum dicit, Chriſtum Jeſum deſignare videtur, de quo ſimili modo loquitur & Zacharias (2). *In die illa*, inquit, *erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Quin immo Chriſtus ipſe apud Johannem (3): *qui biberit*, inquit, *ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et alibi (4): *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ideo autem *fontes ſalutis* plurali numero dicere videtur Jeſahias, ut præſtantiam ejus fontis indicet, de quo loquitur: apud Hebræos enim ſignificationem augent non raro pluralia nomina (5). Ex hoc ergo fonte prænunciat Jeſahias fore, ut ſumma cum lætitia aquas hauriant aliquando Iſraelitæ; quibus verbis aut doctrinam indicat Euangelicam, aut Spiritus Sancti dona, aut demum Sacramenta, qui fontes ſunt ſaluberrimi, atque omnibus patent.

Verſ. 4. (ואמרתם ביום ההוא *vaamartém bajjóm babú*; ideſt, *& dicetis in die illa.*) Nimirum, eo tempore. *Dies* enim hìc pro *tempore* ſumitur (6). Tempus autem illud deſignat Jeſahias, quo Verbum caro factum fuerit, ut ſæpius iam indicavi. Simili antonomaſia utitur Eccleſia, ut hoc ipſum tempus denotet: antequam enim Euangelium legat, hæc verba præponere ſolet, nimirum *In illo tempore*.

(הודו ליהוה, קראו בשמו, הודיעו בעמים עלילתיו *Hodú liJbováb, kirú bbisbmé, bodibu bbabammím balilotbáv*; ideſt, *Celebrate Jebovam, invocate nomen ejus, pateſacite in populis conſilia ejus.*) Hæc eadem omnino verba exſtant etiam initio pſalmi cv, ſeu civ (7). Quid autem ſignificent verbum הודה (8), ac nomen עלילה (9), & quid ſit invocare nomen Domini (10), dictum eſt alias. Lxx Interpretes loci ſententiam potius, quàm propriam vocis עלילתיו ſignificationem exprimunt, quum eam ſic transferunt: *τὰ ἔνδοξα αὐτοῦ*, ideſt, *glorioſa ejus.*

(הזכירו כי נשגב שמו *bazkíru ki niſgább shemó*; ideſt, *commemorate, excelſum eſſe nomen ejus.*) Nimirum in memoriam hominum hoc revocate, Deum mirabilia efficiendo clarum ſibi nomen comparaſſe. Hebræa porro verba ſic etiam fortaſſe verti poſſent: *Commemorate, quod Excelſus eſt nomen ejus* (11): ut ſcilicet נשגב, & עליון (12) idem ferme valeant.

Verſ. 5. (זמרו יהוה, כי גאות עשה *zammerú Jebováb, ki gbeúth baſáb*; ideſt, *Pſallite Jebovam, quoniam magnificentiam fecit.*) Quid ſit *pſallere Jebovam*, dixi alio in loco (13). Nomen vero גאות Lxx Interpretes vertunt *ὑψηλά*, ideſt, *excelſa*. Eſt autem גאות pro-

(1) ad verſ. 2, pag. 5, et 6. (2) cap. XIII verſ. 1. (3) In Euang. cap. IV verſs. 13, et 14. (4) ap. Johann. cap. VII verſ. 37. (5) Vide Prov. cap. I verſ. 20; et Pſ. 78, ſive 77 verſ. 72, et Cant. Hann. verſ. 3. Vide etiam, ſi libet, Sal. Glaſs. Phil. Sacr. lib. 3 tr. 1 can. 24. (6) Vide Marini Theſaurum ad vocem יום. (7) Vide et lib. 1 Paralip. cap. XVI verſ. 8. (8) Vide quæ dixi ad verſ. 1 hujus Cantici, pag. 91, & 92. (9) Vide quæ annotavi ad verſ. 3. Cantici Hannæ, pag. 83 col. 2. (10) ad verſ. 3 Cantici primi Moſis, pag. 41 col. 1. (11) Lege pag. 22 col. 1. (12) Vide pag. 46 col. 1. (13) pag. 5 col. 2.

proprie *elatio*, ac *magnificentia*, quum derivetur ex radice גהה, quam alibi exposui (1): sed hic est abstractum pro concreto, ideoque mirabile aliquod, ac *sublime* Dei facinus denotat.

(מידעת זאת בכל הארץ *mudábath zoth becból haárez*; idest, *notum factum est hoc* (2) *in universa terra*.) Lxx Interpretes quasi pro מודעת legerint הודיעו, sic transferunt: *ἀναγγείλατε ταῦτα ἐν πάσῃ τῇ γῇ*; idest, *annunciate hæc in omni terra*. In Hebræo autem exemplari legendum est מודעת, quamvis scribatur מידעת (3), quod videtur esse mendum ex librariorum incuria, literarumque י, & ו similitudine derivatum. Marinus hæc addit (4), in voce מידעת. fortasse illud *jod* esse *vav* decurtatum ob aliquod mysterium.

Vers. 6. (צהלי ורני ישבת ציון *zaball, varónni josbèbbeth Zijón*; idest; *Hinni & ova o habitatrix Sionis*.) Duo verba צהל, & רנן hoc in loco idem valent, nimirum *magnos clamores præ gaudio emisit*. Radix tamen צהל proprie significat *hinnivit* instar equi, tum per translationem *ovavit*, ut Marinus docet (5).

(כי גדול בקרבך קדוש ישראל *kigadól bekirbèch Kedósh Ifraël*; idest, *quia magnus in medio tui Sanctus Israelis*.) De voce קדוש dixi ad versiculum secundum Cantici Hannæ (6). Perspicuum est autem Jesahiam his verbis Christum Jesum designare, quem in capite septimo (7) vocarat עמנואל, hoc est, *Nobiscum Deus*: & de quo Johannes Baptista sic locutus est (8): *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*.

CAN.

(1) pag. 4 col. 2, et seq. (2) Vide quæ dixi de vocula זאת pag. 44 col. 1. (3) Vide pag. 83 col. 2. (4) in Thesauro ad verbum הודיע. (5) Vide Jerem. cap. L vers. XI; et Habh. cap. VIII vers. 15; et Jesahi. cap. X vers. 29. etc. (6) pag. 82. (7) vers. 14.
(8) in Euang. Johann. cap. I vers. 26.

CANTICUM HEZECHIÆ.

(*Exſtat apud Jeſabiam cap. xxxviii.*)

אני אמרתי : בדמי ימי אלכה בשערי שאול, פקדתי יתר שנותי.	1. *Ego dixi : in ceſſatione dierum meorum ibo in portas ſepulcri, viſitatus fui reſiduo annorum meorum.*	1. Ego dixi : in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, quæſivi reſiduum annorum meorum.
אמרתי : לא אראה יה יה בארץ החיים, לא אביט אדם עוד עם ישבי חדל.	2. *Dixi : non videbo Jaham, Jaham,* inquam, *in terra viventium, non aſpiciam hominem amplius cum incolis ceſſationis.*	2. Dixi : non videbo Dominum Deum in terra viventium, non aſpiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.
דורי נסע, ונגלה מני כ כאהל רעי, קפדתי כארג חיי, מדלה יבצעני, מיום עד לילה תשלימני.	3. *Ætas mea amota eſt, & abducta eſt a me quaſi tabernaculum paſtoris, amputavi quaſi textor vi-* [illegible] *te abſcindet me, a die ad noctem conficies me.*	3. Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me, quaſi tabernaculum paſtorum; præciſa eſt, vel- [illegible] dum adhuc ordirer, ſuccidit me; de mane uſque ad veſperam finies me.
שויתי עד בקר, כארי, כן ישבר כל עצמותי, מיום עד לילה תשלימני.	4. *Supputavi uſque ad mane, tamquam leo (ſic) conteret omnia oſſa mea, a die ad noctem conficies me.*	4. Sperabam uſque ad mane; quaſi leo, ſic contrivit omnia oſſa mea; de mane uſque ad veſperam finies me.
כסוס עגור כן אצפצף, אהגה כיונה, דלו עיני למרום, יהוה עשקה לי, ערבני.	5. *Sicut hirundo, & grus (ſic) garriam, gemam ut columba : attenuati ſunt oculi mei excelſo. O Jehova, fraus mihi* fit, *in fidem tuam me recipe.*	5. Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor ut columba; attenuati ſunt oculi mei *ſuſpicientes* in excelſum : DOMINE vim patior, reſponde pro me.
מה אדבר ? ואמר לי, והוא עשה ? אדדה כל שנותי על מר נפשי.	6. *Quid loquar? Et dixit mihi, & ipſe fecit. Deambulabo omnibus annis meis ſuper amaritudine animæ meæ.*	6. Quid dicam ? aut *quid* reſpondebit mihi, quum ipſe fecerit ? recogitabo *tibi* omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.
אדני עליהם יחיו, ולכל בהן חיי רוחי, והחלימני, והחייני.	7. *Domine ſuper eos vivent, & omnibus in eis vita ſpiritus mei, & ſomniare me facies, & vivifica me.*	7. Domine *ſi* ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & vivificabis me.

8. Ec-

הנה לשלום מר לי מר, ואתה חשקת נפשי משחת בלי, כי השלכת אחרי גוך כל חטאי.

8. *Ecce paci amaritudo mihi amara, & tu complexus es animam meam a fovea corruptionis, quoniam projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

8. Ecce in pace amaritudo mea amarissima; tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

כי לא שאול תודך, מות יהללך, לא ישברו יורדי בור אל אמתך.

9. *Quoniam non sepulcrum celebrabit te*, nec *mors laudabit te, non exspectabunt descensores foveæ fidem tuam.*

9. Quia non infernus confitebitur tibi, *neque* mors laudabit te; non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

חי חי הוא יודך כמני היום; אב לבנים יודיע אל אמתך.

10. *Vivens, vivens*, inquam, *celebrabit te sicut ego hodie, pater filiis patefaciet fidelitatem tuam.*

10. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie; pater filiis notam faciet veritatem tuam.

יהוה להושיעני, ונגינתי ננגן כל ימי חיינו על בית יהוה.

11. *O Jehova ad servandum me, & pulsatilia mea pulsabimus omnibus diebus vitæ nostræ ſecus domum Jehovæ.*

11. DOMINE salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo DOMINI.

EXPLANATIO.

Ægrotaverat gravissime Hezechias Rex Judæ. Itaque ad ipsum venit Amozi filius Jesahias, propheta sanctissimus, eique proximam mortem Dei nomine denunciat. Commotus eam ob rem vehementissime Hezechias, Dei opem implorans, mortem deprecatur. Tum Dei jussu Regem iterum convenit Jesahias, ac testificatur, Deum jam exoratum, ad quindecim adhuc annos ejus vitam prorogaturum, Assyriorumque Regi tum Hezechiam ipsum, tum Hierosolymam omnem erepturum. Mox quæ dixerat, miro prodigio confirmat, efficiens, ut umbra in sciatherico horologio retrogrediatur (1). Recuperata Hezechias valetudine Canticum istud, quod explanare ingredior, condidit, aut certe in templo, ut verisimile est, cecinit: opinatur enim Grotius ipsi ab Jesahia dictatum esse. In eo morbi sui gravitatem primum describit piissimus ille Rex, tum Deo pro accepta sanitate gratias agit. Ita autem inscribitur apud Jesahiam (2): מכתב לחזקיהו מלך יהודה, בחלותו ויחי מחליו, idest, *Scriptura Hezechiæ Regis Judæ, cum ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.*

Vers. 1. (אני אמרתי *Ani amárti*; idest, *Ego dixi*, sive *dicebam*.) Nempe, quum gravissimo morbo laborarem. Verbum autem *dixi* apud sacros Scriptores interdum idem significat, atque *firmiter statui*, veluti in psalmis xxxii (1),

(1) Lege lib. 2, seu 4 Reg. cap. xx; & lib. 2 Paralip. cap. xxxii. Lege etiam Calmeti Dissertationem *de retrogradatione Solis in horologio Achaz.* (2) Cap. xxxviii vers. 9.

(1), & xxxix (2): aliquando vero, ut hoc in loco, & in aliis (3), idem est ac *in animum induxi hoc facere*, sive *hoc mihi firmissime persuasi*.

(בדמי ימי *bidmî jamdj*, idest, *in cessatione dierum meorum*.) Hæc verba alii aliter transtulerunt. Lxx quidem Interpretes, quasi pro בדמי legerint ברמי (4), ut conjicit Hieronymus (5), ita reddiderunt: ἐν τῷ ὕψει τῶν ἡμερῶν μου; hoc est, *in altitudine dierum meorum*. *Altitudinem* autem *dierum* dixerunt aut secundas res, vitæque prosperitatem, aut ætatis florem; quum enim hominis ætas ad certum annorum numerum, quasi ad altitudinem, pervenerit, jam ingravescere incipit, ac veluti inclinari. Aquila vero, Symmachus, ac Theodotio (6) sic verterunt: *in infirmitate*, & *silentio dierum meorum*. Alii etiam, quorum Hieronymus meminit, quod viderent, voce דם *sanguinem* denotari, sane insulse transtulerunt: *in sanguine dierum meorum*; hoc est, quando meus cruor, meusque expetebatur interitus. Vulgatus demum Interpres perinde vertit, quasi dictio hebræa דמי (*demî*) idem valeat ac latina *dimidium*, quæ cum illa sono etiam congruit: vertit enim, *in dimidio dierum meorum*, hoc est, quum eorum annorum vix dimidium attigerim, quos fere vivunt homines, aut certe me victurum sperabam. Annos enim prope novem ac triginta natus erat Hezechias, quum in morbum incidit (7): hominum autem vita ad annos circiter septuaginta, aut etiam octoginta produci potest, ut scriptor etiam psalmi xc, seu lxxxix affirmat (8). Nec immerito sibi in ipso annorum suorum dimidio mortem obeundam esse dolebat Hezechias: immatura enim hujus modi mors apud Hebræos quasi pœna a Deo ultore irrogata habebatur, ut ex multis veteris testamenti locis colligere licet (9). Quin & illud addit Hieronymus, maximo dolori ægrotanti Hezechiæ fuisse, quod, quum nullos moriens liberos relinqueret (nec dum enim Manassem procrearat), proinde Christum e sua stirpe ac genere oriri jam non posse censebat.

Jam vero investiganda accuratius est nominis דמי, quod nusquam alibi apud sacros Scriptores occurrit, propria ac germana significatio. Itaque nomen hoc deduci ex radicibus דום, aut דמם, aut דמה, fatentur pene omnes: significant autem singulæ *silere*, *quiescere*, ac *cessare*: radix vero דמה in conjugatione, quam vocant *pihél*, significat etiam *cogitare*: quumque verbum ex ea radice derivatum נדמה idem aliquando valeat atque *excisus est*, proinde radici ipsi דמה activa *exscindendi* significatio tribui non immerito potest. Atque ex his omnibus apparet, vocem בדמי pluribus modis transferri posse; primum scilicet *in cessatione*, deinde *in silentio*, ut Hezechiæ sensus hic sit: moriar nullam mei memoriam, nullumque filium vitæ meæ testem relinquens; tertio *in resectione*; ac demum, ut Marino placet, *in imaginatione*; ut tota sententia sic habeat: Ego dicebam in imaginatione mea, vel in imaginatione dierum meorum; dum scilicet de vitæ meæ tempore mecum ipse cogitarem.

(אלכה בשערי שאול *elécbab besbaaré*

n

(1) vers. 5: *dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. (2) vers. 1.
(3) psalm. 30, seu 29 vers. 7: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum*. Vide etiam ps. 77, seu 76 vers. 11. (4) idest *resh* pro *dáleth*. (5) ad hunc locum, tom. 4 edit. Vallarsii pag. 471; seu commentarior. in Isai. lib. xi ad cap. 38. (6) vide Hieronymum in eo, quem dixi, loco. (7) vide Calmetum, aliosque Jesahiæ interpretes.
(8) vers. 10. (9) ps. lv, seu liv vers. 24: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Et Jerem. cap. xvii vers. 11: *fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas*. Vide etiam ps. cii, seu ci vers. 11; & Job. cap. xxi vers. 21.

baré sheól; ideſt, *ibo in portas ſepulcri.*) De voce שאול alibi (1) dictum eſt. Ire autem ad portas ſepulcri, aut mortis, genus loquendi eſt translatum, quod nihil aliud ſignificat, quam mori, & in Scriptura occurrit non raro. In pſalmo quidem CVII, ſeu CVI (2) hæc legimus: ויגיעו עד שערי מות, ideſt, *& appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Et in pſalmo IX (3): מרוממי משערי מות, hoc eſt, *qui exaltas me de portis mortis.* Videntur vero hujus modi translationes deſumptæ ex eo, quod ad ſepulcra in cavernis, cryptiſve aditus per januas pateret.

(פקדתי יתר שנותי *pukkádti jéther shenotháj;* ideſt, *viſitatus ſum reſiduo annorum meorum.*) Nimirum quum plures adhuc anni ſupereſſent, quos mihi victurus videbar, viſitatus ſum a Deo, ac reliqua vitæ meæ parte multatus. Hebræa quidem verba obſcuriora ſunt. Videtur tamen hic locus poſtulare, ut פקדתי idem valeat atque *privatus ſum*, aut *multatus ſum*, vel potius *privabor*, aut *multabor*; eſt enim præteritum futuri vim habens. LXX Intt. ita vertunt: *καταλείψω τὰ ἔτη τὰ ἐπίλοιπα*, ideſt, *relinquam annos reſiduos.* Hieronymus autem, quaſi pro פקדתי (*pukkádti*) active legerit פקדתי (*pakádti*), vertit, *quæſivi reſiduum annorum meorum.*

Verſ. 2. (אמרתי לא אראה יה יה בארץ החיים *Amárti: lo eréh Jába Jába beérez habajjim;* ideſt, *Dixi* (4): *non videbo Jabam, Jabam, inquam, in terra viventium.*) *Terra viventium* (5) nihil hic aliud indicare videtur, quam tellurem hanc ipſam, in qua habitamus, quam ideo ſic vocat Hezechias, ut ſignificet ſe tanta vi morbi oppreſſum fuiſſe, ut exiſtimaret brevi fore, ut jam in vivis hominibus terræ incolis non numeraretur. Quod ergo ait, *non videbo Deum*, perinde eſt, quaſi diceret: non videbo Deum mirabilia facientem; aut potius, non videbo templum Dei: in templo enim Deus ipſe ſingulari quodam modo habitare credebatur (6), quod inibi arca Domini ſervaretur (7): maximoque per ea tempora deſiderio incendebantur ſancti ac pii viri illud inviſendi, ut colligitur ex pſalmo XLII, ſeu XLI. De divino nomine יה ſatis dixi alias (8): quod quum hic geminatum legatur, proinde nonnulli vertunt *Deum Dei*, ſeu *Deum de Deo* (9), ideſt, Chriſtum Jeſum, quem dolebat Hezechias ſe jam videre non poſſe proditurum e ſuo genere. Id ipſum ſignificarunt LXX Interpretes, quum locum hunc ita tranſtulerunt: *εἶπα, οὐκ ἔτι οὐ μὴ ἴδω τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ*, ideſt, *jam non videbo Salutare Dei.* Servatorem enim videre geſtiebant veteris teſtamenti tempore ſancti homines. Id de Abrahamo aperte teſtatur Chriſtus ipſe (10), quum de illo hæc effatur: *Abraham pater veſter exſultavit ut videret diem meum.* Quin alias generaliter (11), *Beati*, inquit, *oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Atque huc ſpectare videntur verba illa Jeſahiæ (12): *Utinam dirumperes cælos, & deſcenderes.*

(לא אבים אדם עוד עם ישבי חדל *lo abbit adám hod him joshebhé hádel;* ideſt, *non aſpiciam hominem amplius cum incolis ceſſationis.*) Nomen חדל nuſquam alibi legitur: derivatur autem ex radice חדל, quæ ſine dubio ſignificat *ceſſavit*: itaque *ceſſationem* denotat.

Quod

(1) ad verſ. 22 Cantici ſecundi Moſis, pag. 61, et 62. (2) verſ. 18. (3) verſ. 14. Vide etiam Job. cap. XXXVIII verſ. 17, & Sap. cap. XVI verſ. 13. (4) Vide quæ adnotavi paulo ante ad initium hujus Cantici pag. 96, et 97. (5) Vide Jeſahi. cap. LIII verſ. 8; et Jerem. cap. XI verſ. 19; et pſ. LII, ſeu LI verſ. 7. etc. (6) Vide quæ adnotavi ad verſ. 17 Cantici primi Moſis, pag. 29. (7) Vide quæ dixi pag. 7 col. 1. (8) ad verſ. 2 Cantici primi Moſis, pag. 6 col. 1. (9) Vide quæ adnotavi ad verſ. 2 Cantici Jeſahiæ, pag. 93 col. 1. (10) in Euang. Johann. cap. VIII verſ. 56. (11) Luc. cap. X verſ. 23. (12) cap. LXIV verſ. 1.

Quod ergo ait Hezechias, לא אביט אדם עוד עם יושבי חדל, id ita possumus interpretari: Homines amplius non videbo, sed versabor inter mortuos, qui ab omni opere jam cessarunt; vel aliter: homines non videbo, quorum vita cito deficit ac cessat; vel demum, ut aliis placet: jam non videbo homines regni mei, habitatores quietis, idest, quiete ac pace fruentes ob Hierosolymam ab Assyriis liberatam. Vocem tamen חדל multi *orbem* vertunt: quam interpretationem qua ratione confirment, non video: nisi forte suspicari quis velit, pro יושבי חדל legendum hic esse יושבי חלד, idest, *qui orbem incolunt* (1), ut legimus in psalmo XLIX, seu XLVIII (2). Hieronymus sane, *sermo*, inquit, *hebraicus* holed, *si legatur*, *aut scribatur* eled, *requiem*; *si* edel, *occidentem sonat*.

Vers. 3. (דורי נסע *Dorì nissáh*; idest, *Ætas mea amota est*.) Nomen דור (3) denotare hic potest tum *vitæ tempus*, tum etiam *sobolem*, ac posteritatem (4); ut sensus sit: moriar sine liberis. Merito autem ea etiam de causa (5) dolere potuit Hezechias se mori nullis relictis filiis, quod dedecori esset apud Hebræos liberos non procreare (6). Quidam volunt, דור hic non nomen esse, sed infinitivum verbi דור: sed res eodem recidit. Vatablus autem דורי ideo vertere videtur *habitatio mea*, quod in chaldaico sermone radix דור significet *habitare* (7).

(ונגלה מני כאהל רעי *venigláh minni keóbel rohi*, idest, *& translata est a me quasi tentorium pastoris*.) Comparat ætatem suam scenæ, aut tentorio pastorali, quod huc illucque, prout necessitas tulerit, facile asportatur, atque transfertur. In hujus modi tentoriis Scenitæ habitabant, ac Scythæ, *quorum plaustra vagas rite trahunt domos*, ut inquit Horatius (8).

(קפדתי כארג חיי *kippádti chaorégh bajjáj*; idest, *abscidi ut textor vitam meam*.) Comparationem aliam ducit a textore: ut enim textor telam suam jam absolutam, aut nondum etiam perfectam e stamine, ex quo eam texuit, resecat, quum libet; ita Hezechias vitæ suæ veluti stamina amputata esse conqueritur. Hanc autem vitæ suæ quasi telæ resectionem sibimetipsi tribuit, quod se alicujus peccati reum agnoscat, quo meruerit, ut sibi vita a Deo præcideretur. Quamquam suspicatur Clericus, pro קפדתי legendum esse קפדת (*kippádta*), idest, *resecasti*, idque ad Deum referri debere. Jobus quoque (9) affinem ab opere textorio comparationem deducit: *dies mei*, inquit, *velocius transierunt*, *quam a texente tela succiditur* (10). Quin etiam apud Ethnicos Scriptores similia legimus, quorum fabula de tribus Parcis vitæ nostræ stamina nentibus, ac resecantibus notissima est (11).

(מדלה יבצעני *middalláh jebbazzehéni*, idest, *a tenuitate abscindet me*.) Nomen דל *tenuem* proprie, deinde *macilentum* etiam denotat, ut alias dixi (12). Itaque nomen affine דלה *tenuitatem* procul dubio significat, quæ tamen ipsa variis modis accipi hic potest: ac primum ita, ut מדלה, idest *a tenuitate*, hoc significet: quum vitæ meæ tela adhuc tenuis esset. Deinde hanc *tenui-*

n 2

(1) Vide quæso Marini Thesaurum ad nomina חדל, & חלד. (2) vers. 2. (3) Vide, si libet, quæ de ea vocula scripsi ad vers. 5 cantici secundi Mosis, pag. 43, et 44. (4) Vide ps. CXII, seu CXI vers. 2; & Jos. cap. XXII vers. 27; & Proverb. cap. XXX versf. 11, 12, & seqq. (5) Aliam causam indicavi pag. 97 col. 2. (6) Vide quæ dixi pag. 80. (7) Vide Marini Thesaurum ad verbum *Kal* דור. (8) Carm. lib. III, Od. XXIV vers. 10.
(9) cap. VII vers. 6. (10) Hebræi exemplaris verba ita etiam verti possunt: *dies mei celeriores sunt radio textorio*. (11) Tres Parcas eleganter describit Catullus in Epithalamio Tethydis. (12) ad vers. 8 Cant. Hannæ, pag. 86 col. 1.

nuitatem ad morbum ipsum referre possumus, quo ægrotus fit macilentus, atque ita interpretari : præ macie , vel præ extenuatione a morbo orta Deus abscindet me, hoc est vitam meam. Clericus demum vertit, *a stamine abscindet me;* conjicit enim, דלה esse *stamen*, hoc est, fila quæ in longitudem jugo adnectuntur, & quæ, nondum addito subtemine, *tenuiora* sunt. Sic, inquit, & Cant. cap. VII vers. 5 דלה dicitur *coma*, quia *tenuis*, & apud Thalmudicos דליל est *filum*.

(מיום עד לילה תשלימני *mijjóm had lájlah tashliméni;* ideſt, *a die ad noctem conficies me*.) Nimirum, ab aurora (ajebam ipse) ad vesperam, a matutino tempore ad vespertinum me consumes, perdes, conficies; vitam meam scilicet terminabis: tanta enim erat vis morbi, ut me putarem intra unum diem e vivis excessurum. Sunt qui תשלימני vertant, *in pace me constitues*, ideſt in morte, quæ *pax* dici potest. Sed prior interpretatio germanior videtur. Observanda nunc est in his Hezechiæ verbis mutatio personæ Hebræis familiaris : prius enim dixit יבצעני, hic autem pro ישלימני dicit תשלימני: nec vero satis mihi eorum probatur interpretatio, qui putant תשלימני esse tertiam personam femininam, atque ad femininum nomen דלה, quod est *tenuitas*, referri.

Vers. 4. (שויתי עד בקר, כארי כן ישבר כל עצמותי *shivvithi had bóker, caari ken jesbabbér col hazmothái;* ideſt, *supputavi usque ad mane, quasi leo confringet omnia ossa mea.*) Nimirum ubi nox advenerat, mecum ipse statuebam, me posse vitam meam ad insequentem diem protrahere: at brevi spes mihi omnis adempta est; Deus enim leonis instar, qui prædam suam devorat, omnia mea ossa confregit, ac morbi vim auxit, meque per prophetam suum de propinqua morte præmonuit. Verbum שוה significat *æquavit, res inter se mente contulit*. Itaque ea verba שויתי עד בקר, in quibus ellipsim esse apparet, sic verti possunt: æquavi animum meum usque ad mane, ideſt patienter tuli usque ad diem posteram. Vel aliter: statui, mecum ipse cogitavi, usque ad mane, me victurum scilicet.

(מיום עד לילה תשלימני *mijjóm had lájlah tashliméni;* ideſt, *a die ad noctem conficies me.*) Nimirum, quum morbus vehementius ingravesceret, rursus ajebam me intra unum diem moriturum esse. Lege quæ adnotavi ad superiorem versiculum, in quo hæc eadem verba exstant.

Vers. 5. (כסוס עגור כן אצפצף *kesis hagúr ken azaphzéph;* ideſt, *sicut hirundo, & grus garriam*, seu *garriebam.*) אצפצף futurum est loco præteriti derivatum ex verbo צפצף (*ziphzéph*), quod significat *garrivit*, & dicitur de nonnullis avibus, quarum etiam vocem sono ipso (1) exprimit, ut Marinus monet. Itaque vox ista אצפצף idem hic valet, ac *mussitabam*, *suspirabam*, querulas voces edebam, quæ dolorem meum testabantur. Nonnulli sic interpretantur : enunciabo beneficia tua sicut hirundo, vel tamquam grus; intra me tacitus de iis tamquam turtur recogitabo. At merito hanc explicationem rejicit Calmetus ut ab Hezechiæ mente alienam.

Quod attinet ad ea verba כסיס עגור, variis modis veteres Interpretes ea reddiderunt. Lxx Senes, omissa voce עגור, vertunt ὡς χελιδὼν, ideſt, *ut turtur*. Hieronymus : *sicut pullus hirundinis*. Theodotio (2) voces hebræas כסוס עגור non explicans, sed solum exscribens, transtulit : ὡς σὶς (vel σεὶς) ἀγὼρ; hoc est, *ut Sis Agor*. Aquila vero: ὡς ἵππος ἀγὼρ, ideſt, *sicut equus Agor*. Sy-

(1) Marinus in Thesauro Italice sic vertit : *fare zifzef zifzef*.

(2) Teste Hieronymo in comment. ad hunc locum.

Syrus interpres : *ficut hirundo quæ garrit*. Chaldæus autem : כסוסיא ראחיד , ideſt, *ficut hirundo quæ capta eſt*. Ac demum Symmachus : ὡς χελιδὼν ἐγκλεισθεῖσα. ideſt, *ut hirundo incluſa*. Videntur autem Chaldæus Interpres, & Symmachus pro עגור legiſſe סגור, quod *clauſum* denotat. At legendum eſt עגור: primum enim ita legerunt Hieronymus (1), Aquila, Theodotio, & Hebræi omnes: deinde hujus modi lectio confirmatur his Jeremiæ (2) verbis: ותור וסוס ועגור שמרו את עת באנה, ideſt, *&* *turtur*, *&* *hirundo*, *&* *grus ſervarunt tempus profectionis ſuæ*. In hoc enim Jeremiæ loco binæ voces סוס, & עגור ita ſimul junguntur, ut liquido conſtet, עגור eſſe avis cujuſdam nomen diverſæ a duabus aliis avibus סוס, & תור, quæ ibidem commemorantur.

Jam vero hoc probe ſtabilito, & fixo, hiſce Hezechiæ verbis כסוס עגור duas aves deſignari, apparet inter כסוס, & עגור literam *vav* latinorum conjunctioni *Et* reſpondentem, aut deeſſe, aut certe ſubaudiri debere, uti ſubaudienda eſt in iſtis Habaccuchi (3) verbis: שמש ירח עמד, ideſt, *ſol*, & *luna ſtetit*. Illud præterea animadvertendum eſt, in allato paulo ante Jeremiæ loco ſcribere quidem Hebræos סוס, at monere ad marginem, legendum eſſe סיס (*ſis*): quo modo etiam in hoc Hezechiæ loco legere malim cum Marino (4), & Bocharto (5): tum quia ſi ita legimus, diſtinguitur סיס a סוס, quod *equum* ſemper denotat, quem nequit ſane hic ſignificare: tum etiam quia, ut ait Bochartus, סיס videtur magis exprimere naturam rei, quæ hoc nomine ſignificatur, ideſt, ut mox dicemus, hirundinis: tum demum quia hujuſmodi lectionem indicat etiam Hieronymus, quum ait: *media vocalis litera* vav, *ſi ponatur inter duas* ſamech, *legitur* ſus, *&* *appellatur equus ; ſi* jod, *legitur* ſis, *&* *hirundo dicitur*.

Videamus nunc tandem, quænam aves duobus nominibus סיס, & עגור deſignentur. Symmachus in eo, quem ſuperius protuli, Jeremiæ loco vocem סיס vertit *cicadam*. At merito hæc interpretatio a pleriſque rejicitur ea etiam de cauſa, quod ex eodem Jeremiæ loco colligatur, סיס, & עגור binas aves eſſe ex earum genere, quæ ſedem mutant, & alio migrant. Plures autem recentiores Interpretes cenſent, סיס eſſe *gruem*, עגור vero *hirundinem*. At contra Bochartus סיס hirundinem eſſe arbitratur, עגור autem gruem: quarum avium prima querulam (6), altera contentiſſimam habet vocem: ut proinde Hezechiæ verba hanc habere poſſint ſententiam: non modo hirundinis inſtar leni murmure gemebam, ſed etiam contenta voce clamitabam inſtar gruis. Voce quidem סיס hirundinem deſignari probat Bochartus tum ex eo, quod hirundinis vox, quam dictio ipſa סיס (*ſis*) videtur exprimere, aliquid habeat querulum & luctuoſum, illique voci proinde gemitum ſuum recte comparare potuerit Hezechias: tum vero maxime ex veterum interpretum auctoritate, quorum plerique סיס reddiderunt *hirundinem*: quin ille ipſe Symmachus, qui in Jeremiæ interpretatione transfert *cicadam*, in hoc Hezechiæ loco reddit χελιδών, ideſt, *hirundo*. Voce vero עגור *gruem* denotari his argumentis oſtendi poteſt : nimirum primo latina vox *grus* cum hebræa עגור aliquo modo congruit: deinde nomen ipſum עגור recte prolatum gruis clamorem, qui vehementiſſimus eſt, exprimere videtur. Addit autem Bochartus, quem-

(1) Vide ipſum Hieronymum in comment. ad hunc locum. (2) cap. VIII verſ. 7.
(3) In Cantic. verſ. XI. (4) in Theſauro ad vocem סוס. (5) Hierozoic. part. I lib. I cap. X pag. 59. (6) Ovidius lib. V Eleg. I ; *Eſt aliquid fatale malum per verba levare. Hoc querulam Prognen, halcyonaſque facit.*

quemadmodum grues, quæ per noctem vigilias agunt, submissiori voce murmurant, ita Hezechiam querelas suas gruis noctu vigilantis voci comparare potuisse.

(אהגה כיונה *ebegghéh cajonáh;* idest, *gemam* (seu *gemebam*) *ut columba.*) Verbum הגה significat vehementiorem animi commotionem incondito sono extrinsecus declarare: itaque *gemendi* verbo recte redditur. Jesahias quoque (1) simili utitur comparatione: inquit enim, כיונים הגה נהגה, hoc est, *quasi columbæ gemendo gememus*, seu gravi, & continuo gemitu gememus. *Nihil* autem, inquit Augustinus (2), *tam amicum gemitibus, quam columba: die noctuque gemit, tamquam hìc posita, ubi gemendum est.* Hinc fit, ut ea avis Spiritus Sancti symbolum sit (3) tum aliis de causis, tum etiam quia ipse *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut ait Paulus (4).

(דלו עיני למרום *dallú henáj lammaróm;* idest, *attenuati sunt oculi mei in sublime.*) Nimirum adeo intente cœlum suspiciebam inter precandum, ut oculi mei defatigati atque attenuati sint. Nomen tamen מרום non modo *sublime*, sed etiam *Deum* ipsum denotare potest (5), qui pariter עליון, idest, *Excelsus* (6) nominatur. Clericus hæc verba sic transtulit: *attollebantur oculi mei in sublime:* quamvis enim, inquit, significatio verbi דלל sit *attenuatus est*; quia tamen brevissimo tempore Hezechias Deum invocarat, quum a Propheta se exauditum a Deo audivit, vix ac ne vix quidem dicere potuit, *attenuatos fuisse oculos suos*, dum eos ad Deum attollit: proinde alia verbi דלל potestas hic quærenda, *attollendi* videlicet. Ita Clericus, qui eam significationem verbo דלל tribuendam censet etiam in versiculo quarto capitis XXVIII libri Jobi. Verum haud scio, an his de causis discedere merito possimus ab ea significatione, quam omnes tribuunt radici דלל: quamvis enim Hezechiæ ab Jesahia bonus ille nuncius cito allatus fuerit, potuit tamen Hezechias ipse *attenuatos* per hyperbolem dicere oculos suos, ad precationis suæ vim vehementius significandam. In eo autem Jobi loco, quem indicat Clericus, usitatam *extenuationis* significationem verbo דלל tribuunt Pagninus, Marinus noster, Leo Judæ, aliique etiam Interpretes.

(יהוה עשקה לי *Jehováh basbekáh li;* idest, *o Jehova, inquiebam, fraus mihi fit.*) עשק defraudare, & rem alienam dolo, ac fraude tenere significat. Vox vero עשקה hoc in loco aut nomen est idem valens atque עשק, idest, *fraus*; aut est præteriti secunda persona feminina, ut subaudiendum sit רעה, idest *calamitas*, vel מחלתי, hoc est, *morbus meus*, vel quid simile. Querebatur ergo Hezechias se a morbo defraudari, idest, vitam sibi immature nimium eripi.

(ערבני *horbbéni;* idest, *in fidem tuam me recipe.*) Nimirum esto vas meus, ac fidejussor: libera me ab hoc morbo, ut sponsor a creditore liberat debitorem. Hoc idem a Deo petit etiam Jobus (7). Quidam vertunt: *mitior sis erga me.* Sed de variis significationibus radicis ערב vide Thesaurum Marini.

Vers. 6. (מה אדבר ואמר לי, והוא עשה *mah adabbér? veamár li, vehú basáh;* idest, *quid loquar? & dixit mihi, & ipse fecit.*) Locus est subobscurus, quem ita interpretari possumus: Quid loquor? cur Deum mihi sponsorem peto? & quid di-

(1) cap. LIX vers. XI. (2) ad ps. 54 vers. 7, ubi explicat ea verba: *Quis dabit mihi pennas sicut columba?* (3) Matth. cap. III vers. 16. (4) in epist. ad Rom. cap. VIII vers. 26.
(5) ps. LXXIII vers. 8: עשק ממרום ידברו, idest, *fraudem de excelso* (nimirum de Deo) *loquentur.* Et ps. 92 vers. 9: ואתה מרום לעלם יהוה, hoc est, *& tu excelsus es in seculum, o Jehova.*
(6) Vide quæ adnotavi ad vers. 8 Cantici secundi Mosis, pag. 46 col. 1. (7) cap. XVII vers. 3.

dicet mihi Deus? quum ipse hoc fecerit; idest, morbo isto me perculerit. Alii sic exponunt: Quid ajo? Deus mihi per prophetam suum sanitatem se redditurum pollicitus est, & profecto reddet. Sed prior explicatio his, quæ sequuntur, magis videtur consentanea.

(אדדה כל שנותי על מר נפשי *eddaddèb col shenothàj hal mar naphshi;* idest, *deambulabo omnibus annis meis super amaritudine animæ meæ.*) אדדה futurum est ex verbo התדדה, ut recte Marinus docet, positum pro אתדדה. In psalmo quoque XLII (1) legimus: אדדם עד בית אלהים, hoc est, *deambulabo cum eis usque ad domum Dei*. Nusquam vero alibi occurrit id verbum. Quid proprie significet, incertum est: ex quo fit ut certa horum Hezechiæ verborum interpretatio afferri nequeat. Nonnulli ea sic exponunt: Toto vitæ meæ tempore hujus amaritiei recordabor. Alii: leniter incedam omnibus annis meis in amaritudine animæ meæ; hoc est, ob animi mei amarorem pedetentim incedam, ut ii solent, qui mœrore affecti sunt. Alii: in summo animi mei angore præteritos vitæ meæ annos in mentem revocabam. Clericus denique: dabo operam, ut incedam, omnibus annis meis, pro animi mei amarore; hoc est (pergit ipse) me geram prout postulat dolor, quem sensi, quum mihi mors denunciaretur, a quo quum liberatus sim, par est, me gratum Deo per totam vitam meam esse.

Vers. 7. (אדני (2) עליהם יחיו ולכל בהן חיי רוחי *Adonaj halehèm ihjú, ulcól babèn hajjè ruhì;* idest, *Domine super eos vivent, & omnibus in eis vita spiritus mei.*) Locus est obscurissimus, cujus germanam sententiam vix spero me posse assequi; quum præsertim in duabus vocibus עליהם, & בהן duo sint pronomina, quorum alterum masculinum est, alterum femininum: neque constet, quonam utrumque referendum sit. LXX quidem Interpretes ab Hebræo exemplari recedunt omnino. Vulgatus autem Interpres quomodo verterit, nemo nescit. Illud ergo superest duntaxat, ut quid in hanc rem conjecerint reliqui Interpretes, breviter dicam. Nonnulli sic exponunt: o Domine ultra hos annos meos vivent pii homines, & omnibus narrabo, me in ipsis habiturum esse vitam spiritus mei. Qua ratione si interpretemur, poterit עליהם referri ad שנים masculinum, בהן vero referri poterit ad שנות femininum. Clericus vero aliam affert explicationem, quam libet ex ipso hic exscribere. Quum dixerit, inquit, pius rex, se posthac ita victurum, ut decebat hominem a tanto animi amarore liberatum ope divina; hoc est, Dei præcepta, & instituta observaturum, ita pergit: עליהם (nimirum חקים, idest, *præcepta*) יחיו (supple בני אדם, idest, *homines*), ולכל בהן חיי רוחי: ubi legerim בהם in masculino, ut referatur ad חקים; nisi si quis velit femininum pronomen adhibitum, quia hebræi dicunt etiam חקות in feminino. Dicuntur primo *homines vivere* עליהם *per ea*; nam על non raro est *per*, ut ostendit Chr. Noldius ad XIX signific. particulæ. Adde & Gen. XXVII. 40; & Deuteronomii XXIV. 23, ubi ea particula jungitur cum verbo *vivere*, ut hic. Vivere *per divina præcepta* homines in Lege, & Prophetis dicuntur. Secundo Hezechias ait, in omnibus, *quæ sunt inter ea* præcepta, *vitam animi* sui esse, hoc est, animum suum vivere observatione eorum præceptorum. Hactenus Clericus.

(ותחלימני, והחייני *vethabalimèni, vebabajjéni;* idest, *& somniare me*

(1) vers. 5. (2) De voce אדני dixi ad vers. 17 Cantici primi Mosis, pag. 30 col. 1.

me facies, *& vivifica me*.) Suspicatur Clericus pro החייני legendum esse תחייני, ideſt, *vivificabis me*, sanitatem ſcilicet, ac vitam mihi reddes: idque mendum ob Maſoretarum ſuperſtitionem in exemplari hebræo manſiſſe. Vocem vero תחלימני ſic reddit: *facies ut convaleſcam*: putat enim cum Bocharto, radicem חלם apud Jobum (1) idem valere, atque *convaluit*, ideſt vires poſt morbum recuperavit: quam interpretationem ex eo confirmat, quod חלם in Syriaco ſermone eam reipſa ſignificationem habeat (2). Non auſim equidem Bocharti & Clerici opinionem reſpuere. Attamen quum radix חלם in hebræo ſermone nihil aliud ſignificet, quam *ſomniavit*, non eſt tam facile ab hoc ſignificatu recedendum, quum præſertim nulla premamur neceſſitate, quæ nos cogat ab eo recedere. Quod enim ait Hezechias, תחלימני, id recte ſic explicari poteſt: facies ut ſomnum capiam, quem mihi ægritudo adimebat. Nonnulli quidem ſic exponunt: facies ut morbus meus veluti ſomnium tranſeat, atque evaneſcat. Sed videtur hæc interpretatio duriuſcula. Vulgatus vero Interpres quum tranſtulerit, *corripies me*, videtur pro תחלימני legiſſe תהלימני, ideſt, *facies ut percutiar*.

Verſ. 8. (הנה לשלום מר לי מר *hinnéh leshalóm mar li mar*; ideſt, *Ecce paci amaritudo mihi amariſſima*.) Hæc alii aliter interpretantur. Nonnulli quidem in hunc modum: Ecce ſaluti mihi fuit iſta maxima amarities. Alii vero: Ecce in pacem verſa eſt amaritudo mea, quæ mihi erat amariſſima. Alii demum: Ecce afflictio amariſſima, quam paſſus ſum, jam ceſſavit. Theodotio ſic tranſtulit: ἰδοὺ εἰς εἰρήνην πικρία μου, ideſt, *ecce ad pacem amaritudo mea*.

(ואתה חשקת נפשי משחת בלי *veattáh bashákta naphshí mishsháhath beli*; ideſt, *& tu complexus es animam meam a fovea corruptionis*.) Nimirum, audiſti meas preces, atque amanter me a ſepulcro, hoc eſt a morte, liberaſti. Vox enim נפשי idem hic valet, ac *me ipſum* (3). חשק autem quamvis proprie ſignificet *ex animo dilexit*, locus tamen iſte poſtulare videtur, ut חשקת hic explicemus *amanter ſuſcepiſti*, ſcilicet eripuiſti, ut interpretatur Hieronymus. שחת vero *ſepulcrum* dicitur a שחת (*shihéth*), quod eſt *corrupit*, propterea quod in ipſo hominum vita functorum cadavera corrumpantur. Additur demum vox בלי, quam Clericus vertit *nihilum*, ut nimirum ſit negationis particula nominis naturam induens, & שחת בלי ſit *fovea nihili*, ideſt, foſſa, in qua humana corpora veluti in nihilum abeunt. Sed malim cum Marino בלי *putredinem*, & *conſumptionem* interpretari, ut derivetur ſcilicet a בלה, quod eſt *conſenuit*, *inveteratus eſt*, *attritus eſt*, ſicuti ex בכה, quod eſt *flevit*, derivatur בכי, quod eſt *fletus*. Itaque שחת בלי eſt *foſſa putredinis*, in qua videlicet corpora putreſcunt. Utrovis tamen modo vertas, res eodem recidit.

(כי השלכת אחרי גוך כל חטאי *ki hishláchta abaré ghevechá col hataái*; ideſt, *quoniam projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea*.) Dictio גו *corpus*, aut, ut plerique transferunt, *dorſum* denotat. Projicere autem poſt corpus, ſeu poſt tergum, formula loquendi eſt tranſlata, quam legimus etiam in libro Nehemiæ (4), quem nos ſecundum Eſdræ dicimus, & in libro primo Regum (5), qui tertius a Vulgato Interprete appellatur. Translatio deſumitur ex illis, qui ea, quæ negligunt, aut quæ videre jam nolunt, poſt tergum abjiciunt. Quod er-

(1) cap. XXXIX verſ. 4. (2) Adi Thom. Gatakerum Adverſ. lib. 2 cap. 10.
(3) Lege quæ de voce נפש ſcripſi ad verſ. 9 Cantici primi Moſis, pag. 40 col. 2. (4) cap. IX verſ. 26. (5) cap. XIV verſ. 9.

ergo ait Hezechias, *abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, perinde est quasi diceret: peccata mea mihi omnia condonasti, eorumque veluti oblitus es. Peccata autem dum dicit, levia sane dicit, non gravia: alibi enim (1) profitetur, se *ambulasse coram Deo in veritate, & corde perfecto, & quod bonum erat in oculis Dei, fecisse*.

Vers. 9. (כי לא שאול תודך, מות יהללך *ki lo sheól todécca, máveth jehalelécha*; ideſt, *quoniam non sepulcrum celebrabit te, neque mors laudabit te*.) Ante vocem מות subaudiendum est sine dubio ולא, ideſt, *neque*. De nomine autem שאול (2), ac de verbo הודה (3) satis alibi dictum est. *Mors* demum, ac *sepulcrum* hic poetice dicuntur qui obierunt, & in sepulcro jam sunt. Itaque Hezechiæ sensus est hujusmodi: nisi convaluero, laudes tuas publice ac palam in templo celebrare non potero: neque enim id possunt mortui. Similia porro occurrunt passim in Scriptura. Ita in psalmo sexto (4) inqnit David: הושיעני למען חסדך, כי אין במות זכרך, בשאול מי יודה לך? ideſt, *Serva me propter benignitatem tuam, quoniam non est in morte memoria tui, in sepulcro quis celebrabit te?* Et in psalmo cxv (5): לא המתים יהללו יה, ולא כל ירדי דומה, ideſt, *non mortui laudabunt Deum, neque omnes qui descendunt in silentium* (6). Hæc autem, aliaque hujusmodi loca (7) vel ita explicanda sunt, ut significent, Deum a mortuis in templo, sive in Fidelium cœtu laudari non posse; aut laudari non posse cum merito: *mortui* enim, ut ait Hieronymus (8), *nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita*: vel accipienda sunt de statu corporum duntaxat in sepulcro quiescentium, non vero animorum; vel demum de his, qui æternis cruciatibus puniuntur: quam tamen postremam interpretationem huic Hezechiæ loco non adhibuerim.

(לא ישברו יורדי בור אל אמתך *lo jesabberú joredé bbor el amittécha*; ideſt, *non exspectabunt qui descendunt in foveam fidem tuam*.) Suspicari quis posset legendum potius esse לא יבשרו יורדי בור את אמתך, ideſt, *non prædicabunt qui descendunt in foveam fidem tuam*. Si enim ita legamus, & his verbis directo opponentur, quæ in proxime sequenti versiculo subjicit Hezechias, אב לבנים יודיע אל אמתך, ideſt, *pater filiis patefaciet fidem tuam*: neque ullam habebit iste locus, quem interpretamur, difficultatem: ita enim explicandus erit, ut proxime superiora verba exposuimus. At quum in omnibus omnino codicibus scriptum sit ישברו, non יבשרו, atque ita legerint vetusti Interpretes, non est temere in Hebræum exemplar inducenda mutatio. Porro verbum שבר cum sinistro puncto significat fixis oculis intueri, aut animum in aliquid intendere, ut eo potiaris, ac deinde per metaphoram exspectare, ac sperare. At quid sibi hoc vult, *qui descenderint in foveam, eos jam non exspectare Dei fidem*, seu jam non sperare fore ut divina promissa impleantur? Nequeunt sane hæc de sanctis Patriarchis vita functis intelligi; hi enim habebant quod sperarent, adventum scilicet Servatoris, qui viam ipsis ad cælum suo sanguine aperiret. Itaque aut dicuntur de hominibus, spectata corporum conditione duntaxat, aut de improbis, qui æternis suppliciis jam a Deo multati sunt: ut scilicet יורדי בור, seu *qui descendunt in foveam*, ii sint, qui ad Infernum dejiciuntur. Quamvis enim vox בור proprie

O pu-

(1) Jesahi. cap. xxxviii vers. 3. (2) ad vers. 22 Cant. secundi Mosis, pag. 61, et 62. (3) ad vers. 1 Cantici Jesahiæ, pag. 91, et 92. (4) vers. 5, et 6. (5) vers. 17. (6) Lege, si libet, quæ scripsi ad vers. 9 Cantici Hannæ, pag. 87 col. 2. (7) ps. lxxxviii, sive lxxxvii vers. xi: *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* Vide etiam ps. xxx, seu xxix vers. 10; et Baruch. cap. 2 vers. 17; et Ecclesiastic. cap. xvii vers. 25. (8) ad Ecclesiastis cap. ix vers. 5; tom. 3 edit. Vallars. pag. 459.

puteum, ac *ciſternam* primum, deinde *foveam*, *carcerem*, ac *ſepulcrum* denotet, nihil tamen nos impedit, quo minus putemus eo nomine per translationem *Infernum* ipſum damnatorum hìc deſignari (1). Aliam affert Menochius interpretationem, quæ eſt hujuſmodi: Qui jam mortui ſunt, non ſperant fore ut ante generalem mortuorum reſurrectionem vitæ reſtituantur. De qua tamen explicatione lector judicet.

Verſ. 10. (חי חי הוא יודך כמני היום *haj haj hu jodécha chamoni hajjóm*; ideſt, *vivens, vivens, inquam, celebrabit te ſicut ego hodie.*) Similia plane legimus apud Jeſum Sirachi filium (2). Ac David quoque ſalutem & vitam a Deo petens, ut eum flectat, hoc ipſum ei non ſemel commemorat, a vivis nempe duntaxat, non a mortuis, ipſius laudes celebrari poſſe.

(אב לבנים יודיע אל אמתך *abh lebhanim jodiah el amittécha*; ideſt, *pater filiis patefaciet fidem tuam.*) Nuſquam alibi fortaſſe reperitur verbum הודיע conſtructum cum particula אל, quæ hìc ponitur pro את. Lege, ſi libet, quæ Calmetus ad hunc locum refert ex Coſma Monacho (3).

Verſ. 11. (יהוה להושיעני *Jehováh lehoshibéni*; ideſt, *o Jehova ad ſervandum me.*) Neceſſe eſt hìc aliquid ſubaudire: oratio enim eſt imperfecta. Senſus autem eſt hujuſmodi: ſerva me Deus; a malis ſcilicet, aut ab hoſtibus meis, nempe ab Aſſyriis. Sunt etiam qui ſic vertant: Jehova ad me ſervandum propenſus fuit.

(ונגינותי נגנן כל ימי חיינו על בית יהוה *unghinoth ij nenagghén col jemé hajjénu hal beth Jehováh*; ideſt, *& pulſationes mea pulſabimus omnibus diebus vitæ noſtræ in domo Jehovæ.*) Nimirum beneficii hujus, quod a Deo accepi, nunquam obliviſcar, ſed gratias Deo agam, dum vivam, eumque laudibus efferam. Radix porro נגן ſignificat *digitis pulſavit, pſallit* (4). Itaque נגינה eſt inſtrumentum, quod pulſatur, aut cantio ipſa, quæ ad hujuſmodi inſtrumentum canitur.

CAN-

---

(1) de voce בור vide Marini Theſaurum, et Quiroſum ad hunc locum. (2) Eccleſiaſtic. cap. XVII verſ. 26, et 27. (3) Vide etiam Deut. cap. XXXII verſ. 7; pſalm. 78, ſeu 77 verſ. 5. etc.
(4) Vide lib. I Sam. cap. XVI verſ. 23; et cap. XIX verſ. 9. Vide etiam verſ. 19 Cantici Habacuchi, quod ſequitur.

CANTICUM
HABACCUCHI.

[*Exstat apud ipsum cap.* III.]

תפלה לחבקוק הנביא על שגיונות.

יהוה שמעתי שמעך, יראתי, יהוה פעלך בקרב שנים חייהו, בקרב שנים תודיע, ברגז רחם תזכור.

אלוה מתימן יבוא, וקדוש מהר פארן. סלה. כסה שמים הודו, ותהלתו מלאה הארץ.

ונגה כאור תהיה, קרנים מידו לו, ושם חביון עזה.

לפניו ילך דבר, ויצא רשף לרגליו.

עמד, וימדד ארץ; ראה, ויתר גוים, ויתפצצו הררי עד, שחו גבעות עולם, הליכות עולם לו.

תחת און ראיתי אהלי כושן, ירגזון יריעות ארץ מדין.

הבנהרים חרה יהוה? אם בנהרים אפך? אם בים עברתך? כי תרכב על סוסיך, מרכבתיך ישועה.

1. *Precatio Habaccuchi prophetæ super erroribus.*

2. *O Jehova audivi auditionem tuam, timui; o Jehova opus tuum in medio annorum vivifica (illud), in medio annorum patefacies, in ira misericordiæ recordaberis.*

3. *Deus ex Themane veniet, & Sanctus de monte Pharan. Sélah. Texit cælos majestas ejus, & laus ejus implevit terram.*

4. *Et splendor ut lux erit, cornua a manu ejus ei, & ibi absconsio fortitudinis ejus.*

5. *Ad faciem ejus ibit pestis, & exibit ardor ad pedes ejus.*

6. *Stetit, & mensus est terram, vidit, & solvit gentes, & contriti sunt montes æternitatis, incurvati sunt colles seculi, itinera seculi ei.*

7. *Sub perversitate vidi tentoria Chusanis, borrebunt aulæa terræ Midjanis.*

8. *Numquid in fluminibus iratus est Jehova? an in fluminibus indignatio tua? an in mari furor tuus? quando insidebis super equos tuos, currus tui salus.*

1. Oratio Habacuc prophetæ pro ignorantiis.

2. DOMINE audivi auditionem tuam, & timui; DOMINE opus tuum in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies; quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

3. Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan; operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra.

4. Splendor *ejus* ut lux erit, cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.

5. Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.

6. Stetit, & mensus est terram; aspexit, & dissolvit gentes, & contriti sunt montes seculi, incurvati sunt colles mundi, *ab* itineribus æternitatis ejus.

7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

8. Numquid in fluminibus iratus es DOMINE? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio.

9. Suf-

עריה תעור קשתך, שבעות מטות אמר. סלה. נהרות תבקע ארץ.

9. Detectione detegetur arcus tuus, juramenta fulcimina verbi. Sélah. Fluviis discindes terram.

9. Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus, *quæ* locutus es, fluvios scindes terræ.

ראוך, יחילו הרים, זרם מים עבר, נתן תהום קולו, רום ידיהו נשא.

10. *Viderunt te, dolebunt montes, inundatio aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas sustulit.*

10. Viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit.

שמש, ירח עמד זבלה, לאור חציך יהלכו, לנגה ברק חניתך.

11. *Sol*, & *Luna stetit in habitaculo, ad lucem sagittarum tuarum ibunt, ad splendorem fulguris hastæ tuæ.*

11. Sol, & luna steterunt in habitaculo *suo*, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

בזעם תצעד ארץ, באף תדוש גוים.

12. *In detestatione incedes* per *terram, in ira triturabis gentes.*

12. In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes.

יצאת לישע עמך, לישע את משיחך, מחצת ראש מבית רשע, ערות יסוד עד צואר. סלה.

13. *Egressus es ad salutem populi tui, ad salutem una cum Christo tuo, vulneravisti caput a domo iniqui, nudando fundamentum usque ad collum. Sélah.*

13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum *ejus* usque ad collum.

נקבת במטיו ראש פרזו; יסערו להפיצני, עליצתם כמו לאכל עני במסתר.

14. *Perforasti in virgis ejus caput paganorum ejus, conturbati sunt ad dispergendum me, exsultatio eorum* est *tanquam ad devorandum afflictum in abscondito.*

14. Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me, exsultatio eorum sicut ejus, qui devorat pauperem in abscondito.

דרכת בים סוסיך, חמר מים רבים.

15. *Incessisti in mari equis tuis*, per *acervum aquarum multarum.*

15. Viam fecisti in mari equis tuis, *in* luto aquarum multarum.

שמעתי, ותרגז בטני, לקול צללו שפתי, יבוא רקב בעצמי, ותחתי ארגז, אשר אנוח ליום צרה, לעלות לעם יגודנו.

16. *Audivi*, & *horruit venter meus, ad vocem tinnierunt labia mea, veniet putredo in ossa mea*, & *subter me horrebo, quòd quiescam diei angustiæ, ad ascendendum ad populum, congregabitur* cum *eo.*

16. Audivi, & conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea; ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

17. Fi-

כי תאנה לא תפרח, ואין יבול בגפנים, כחש מעשה זית, ושדמות לא עשה אכל, גזר ממכלה צאן, ואין בקר ברפתים.	17. *Quoniam ficus non germinabit, & non* erit *proventus in vitibus, mentitum est opus olivæ, & agri non fecerunt cibum, abscidit de ovili gregem, & non* fuit *bos in stabulis.*	17. Ficus enim non florebit, & non *erit* germen in vineis, mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum: abscindetur de ovili pecus, & non *erit* armentum in præsepibus.
ואני ביהוה אעלוזה, אגילה באלהי ישעי.	18. *Et ego in Jehova exsultabo, lætabor in Deo salutis meæ.*	18. Ego autem in DOMINO gaudebo, & exsultabo in Deo Jesu meo.
יהוה אדני חילי, וישם רגלי כאילות, ועל במותי ודרכני. למנצח בנגינותי.	19. *Jehova Dominus vis mea, & posuit pedes meos quasi cervarum, & super excelsa mea deducet me. Præfecto in pulsatilibus meis.*	19. DEUS Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis *canentem*.

EXPLANATIO.

Sublimi quodam, ac plane divino scribendi genere, & stilo utitur Habaccuchus in isto Cantico, sive, ut ipse vocat, Precatione. Videtur autem dum illud scripsit, eas Odas, quas Psalmos dicimus, imitari voluisse: id quod conjectare licet tum ex eo, quod quamdam habeat cum iis Canticum hocce similitudinem non valde difficilem ad distinguendum, tum etiam ex vocibus שגיונות, סלה, למנצח, & נגינות, quas hic adhibet Habaccuchus, quasque David, ac reliqui Psalmorum scriptores veluti proprias, & quodammodo suas adhibuerunt. Quænam vero res illa sit, ad quam omnia, quæ hic Habaccuchus loquitur, potissimum referenda sint, ex ipso Cantico difficile est definire, in quo multa etiam sunt ad explicandum satis difficilia. Nos in ejus explanatione aliorum Interpretum vestigia persequemur ea afferentes, quæ magis probabilia videbuntur (1).

Vers. 1, seu potius Cantici titulus. (תפלה *Tephillàh*, idest, *Precatio*.) Vox hebræa תפלה non modo *precationem* denotat, sed de iis etiam canticis dicitur, quæ nullas preces habent. Nam & Davidis psalmi generali nomine תפלות appellantur (2), & Scriptor libri primi Samuelis (3) ut significet Hannam canticum suum recitasse, utitur verbo התפלל, quamvis Dei laudes potius Hanna cecinerit, quam quidquam ab eo postularit. Attamen istud Habaccuchi Canticum, ob sequentem saltem versiculum, recte Precatio dici potest, tametsi major ejus pars in Dei laudibus, ac rebus mirabilibus ab eo gestis describendis versetur.

(לחבקוק הנביא *laHabbakkùk hannabbì*, idest, *Habaccuchi prophetæ*.) De Habaccucho hujus Cantici auctore pauca admodum literarum monumentis tradita sunt, eaque ipsa magnam partem incerta. Calmetus eum Jeremiæ æqualem

(1) Lege cap. 32 libri 18 *de Civ. Dei*, tom. 7 Oper. S. Augustini pag. 513 edit. PP. S. Mauri.
(2) in ps. lxxii vers. 20. (3) cap. i vers. 28.

lem fuiſſe exiſtimat (1): nonnulli vero ante Jeremiam ſaltem ſcripſiſſe Habaccuchum ex eo colligunt, quod libellum ſuum inſcribat המשא, ideſt *Onus*: eo enim nomine, inquiunt, Prophetarum vaticinia appellare vetuit Deus per Jeremiam (2). Quod autem attinet ad nomen נביא, id deducitur ex verbo נבא, quod eſt *profundiora de Deo, ac divinis rebus elocutus eſt*, itemque *futura prædixit*: quare נביא theologum, ac prophetàm ſignificat. Qui vero נביאים appellati ſunt, ii antea dicebantur הרואים, hoc eſt, *Videntes* (3).

(על שגינות *hal shigjonóth*, ideſt, *ſuper erroribus*.) Adeo variæ ſunt, quæ afferuntur ab Interpretibus, harum vocum explicationes, ut difficile dictu ſit, quid reipſa ſignificent. Lxx Interpretes reddiderunt, μετ' ᾠδῆς, ideſt, *cum cantico*. Hieronymus, *pro ignorationibus*: eodemque modo Aquila, Symmachus, & Quinta editio tranſtulerunt, nimirum ἐπὶ ἀγνοημάτων. Theodotio: ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν, ideſt, *pro voluntariis*, & *pro his qui ſponte delinquunt* (4). Leo Judæ: *de rebus perplexis*. Marinus noſter (5): *ſuper erroribus*. Genebrardus: *cum oblectationibus*. Fuerunt vero plures, qui vocem ipſam hebræam *Sigjonóth* exſcribere mallent, quam interpretari. Bis porro duntaxat occurrit vox שגיון in Veteris Teſtamenti libris, nimirum hic pluraliter, & in titulo pſalmi ſeptimi ſingulariter, ubi Lxx Interpretes, ac Theodotio verterunt ψαλμός; Aquila ψαλμὸς ὑπὲρ ἀγνοίας; Symmachus ἀγνόημα; Hieronymus similiter, *ignoratio*; Clericus autem, *redargutio erroris*: quam interpretationem ex eo colligit, quod David in eo pſalmo caſtiget errorem ejus, quem Chuſum Benjaminitam vocat. Deducitur autem vox iſta שגיון ex verbo שגג, aut potius ex שגה, quod eſt *erravit*, *inconſiderate egit*. Hinc fit, ut has voces על שגינות ita explicent multi, ut ſignificent, orare Habaccuchum *pro erroribus*, ideſt peccatis populi Iſraelitici; ſive *pro populo errante*; ut שגינות ſit vocabulum abſtractum pro concreto poſitum. Alii vero שגינות vertunt *Odas erraticas*, ideſt varias; alii *odas multa cura elaboratas*. Marinus autem quum verterit *ſuper erroribus*, ut jam dixi, id ipſum ita explicat: *ſuper quibuſdam curis maximis, de quibus agitur in hac Oratione*. Colligit enim ex libro Proverbiorum (6), שגה idem aliquando valere atque *curam, cogitationemque in aliquid intendere*, *ex qua homo quaſi fatuus, vel erro redditur*. Alii cenſent voce שגינות muſicum inſtrumentum, vel certum harmoniæ modum deſignari. Denique ſunt etiam qui totum hujus Cantici titulum ſic explicent: Carmen ad modulos veteris Cantici, quod incipiebat *Sigjonóth*: Vel, Oratio canenda ſecundum Odas, quas vocant *Sigjonóth*.

Verſ. 2. (יהוה שמעתי שמעך, יראתי *Jehováh shamáhti shimhachá, jaréthi*; ideſt, *o Jehova audivi auditionem tuam, timui*.) Vox שמע, ſeu שמועה, hoc eſt, *auditio*, id omne ſignificat quod auditur (7), & pro *fama* accipitur tum in aliis locis (8), tum maxime in his Dei verbis apud Jeſahiam (9) אשר לא שמעו את שמעי, ideſt, *qui auditionem* (nempe *famam*) *meam non audierunt*. Quin Latini quoque ſcriptores *auditionis* vocabulum ſimili modo interdum adhi-

(1) Lege quæ de Habaccucho ſcribit Calmetus tum in *Dictionario Sacræ Scripturæ*, tum in præfatione commentariorum ad hunc prophetam. (2) cap. xxiii verſ. 34, & 36. (3) Lege lib. 1 Sam. cap. ix verſ. 9. (4) Vide Hieronymum ad hunc locum, tom. 6 edit. Vallarſ. pag. 631. (5) in Theſauro ad vocem שגיון. (6) cap. v verſ. 19. (7) Vide Gen. cap. xxix verſ. 13, Habc. verſ. 2. &c. (8) Job. cap. vi verſ. 27; & Eſt. cap. ix verſ. 4. (9) cap. lxvi verſ. 19.

adhibent (1). His positis, hæc primo suapte veluti sponte se se offert Habaccuchi verborum interpretatio: o Jehova audivi famam tuam, & quæ te pro Israelitis in Ægypto, in Deserto, atque in Chanahanitide gessisse perhibent majores nostri: itaque vehementissimo terrore perculsus sum. Attamen quum Habaccuchus mala, quæ Judæis propediem Chaldæi illaturi erant, a Deo audiisset, eaque in capite primo (2) prænunciarit, sic etiam ista verba possumus explicare: Audivi, o Jehova, *vocem* tuam, idest, quæ mihi locutus es, ac te futura mihi patefaciente prævidi durissimam, ac diuturnam servitutem, qua Babylone opprimemur: eamque ob rem terror mihi maximus injectus est. Denique sicut in Genesi (3) Sedomæorum *clamor ad Deum venisse* dicitur per translationem, ita hoc in loco David Chytræus (4) *auditionem* Dei ita accipi posse existimat, ut per similem metaphoram dicat Habaccuchus, Deum peccata Israelitarum audivisse, idque se non ignorare.

(יהוה פעלך בקרב שנים חייהו *Jehovah paholchà bekirebb shanim hajjehu*; idest, *o Jehova, opus tuum in medio annorum vivifica.*) Pronomen *illud*, quod affixum est voci חייהו, idest *vivifica illud*, redundat, ut alibi sæpe. Lxx autem Interpretes multo aliter, quam nos, hæc verba transtulerunt; nimirum in hunc modum: *Κύριε κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην: ἐν μέσῳ δύο ζώων* (5) *γνωσθήσῃ*; idest, *Domine consideravi opera tua, & stupefactus sum: in medio duorum animalium cognosceris.* Itaque oportet ipsos aliter legisse hebræum exemplar, atque ceteri legerunt Interpretes, ac præsertim (si conjecturam facere volumus) pro בקרב שנים חייהו legisse בְּקֶרֶב שְׁנַיִם חַיִּים, idest, *in medio duorum viventium*, vel *duarum vitarum*. Duo autem isthæc animalia, quæ in translatione Lxx Interpretum commemorantur, pluribus variisque modis veteres Scripturæ explanatores interpretati sunt: alii enim per ea denotari censuerunt duos Cherubinos, qui ex utraque parte Propitiatorii positi erant, in quorum medio Deus olim veluti insidere credebatur; alii duo Testamenta, vetus, ac novum, in quorum medio cognitus est Christus; alii duos populos, Gentilem, ac Judæum; alii duas sanctissimæ Trinitatis Personas, uti Calmetus testatur (6); alii Mosem, atque Eliam, inter quos Christus in excelso monte a tribus discipulis conspici voluit; alii duos latrones, inter quos cruci suffixus est; alii denique, ut reliquas opiniones prætercam, bovem, & asinum, inter quæ duo animantia Christum recens natum Bethlehemi, sive, ut alii malunt, prope Bethlehemum in præsepe reclinatum, atque a pastoribus agnitum fuisse ferunt (7).

At Lxx Interpretes secuti non sunt Aquila, Symmachus, ac Theodotio (8), quum ea verba בקרב שנים חייהו transferrent. Aquila enim, quasi pro בקרב, mutatis punctis legerit בְּקֶרֶב, sic vertit,

(1) Cicer. in Orat. pro Planc. *nolite*, inquit, *fictis auditionibus, nec disseminato dispersoque sermoni credere*. Et Cælius ad Ciceronem scribens epist. 2 libri VII Epist. Ciceronis: *ac tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi*. (2) vers. 6, & seqq. (3) cap. XVIII vers. 21. (4) in comment. ad hunc versiculum, tom. 2 oper. pag. 389. (5) Quidam pro ζώων, idest, *animalium*, legerunt ζωῶν cum accentu circumflexo, hoc est, *vitarum*: quæ postrema lectio placuit Eusebio in libro 6 Demonstr. Euang. cap. 15, ac Theophylacto in comment. ad hunc locum. (6) Vide ejus comment. ad hunc locum. (7) Lege, si libet, quæ de hac re scripserunt Jac. Hyacinthus Serry in Exercit. xxx *de Christo, ejusque Virgine Matre*, Reverendissimus Abbas noster Jo. Chrysostomus Trombellius in Dissert. IX *de Cultu Sanctorum*, tom. 2 part. 2 cap. 37, & seqq. usque ad 41, in primisque, ut alios omittam, Sanctissimus D. N. Benedictus XIV in Annot. p. 1, *De Die Natali Domini*.
(8) Lege Euseb. lib. VI Demonstr. Euang. cap. 15.

tit, teste Eusebio (1): *ἀλλ' ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ζώωσον αὐτό*; ideſt, *ſed dum appropinquant anni, vivifica illud.* Symmachus autem: *ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτό*; ideſt, *intra annos revivifica illud*. Ac demum Theodotio: *ἐν μέσῳ ἐτῶν ζώωσον αὐτόν*; ideſt, *in medio annorum vivifica ipſum*.

Jam vero ut ad propoſitorum verborum explanationem propius accedamus, quum non exprimat Habaccuchus, quodnam ſit illud *Dei opus*, quod optat, ut *in medio annorum* a Deo *vivificetur*, proinde varias habere poteſt hic locus interpretationes. Ac primum quidem ſic poſſumus exponere: o Domine ſerva incolumem populum tuum in medio annorum ſervitutis, quam ſerviet Babylone. A qua interpretatione non multum diverſa eſt, quam affert Grotius, qui, *quum divina*, inquit, *revelatione cognoviſſet Propheta, intervallum temporis futurum breve inter vaſtitatem Judææ, & pœnas irrogandas Chaldæis, orat Deum, ut medio tempore conſervet opus ſuum; ideſt populum Judæum*. Ac ſane *vivificare* tunc Deus dicitur a ſacris Scriptoribus, quum a morbo, aut a captivitate, aut ab aliis id genus malis liberat, ut colligitur e multis Scripturæ locis (2). *Opus* autem *Dei* ſignificare poteſt Hebræum populum: tametſi enim omnes omnino homines ſint opus Dei, de Iſraelitico tamen populo ſingulariter dicitur ſæpe in Scriptura, quod eum Deus *fecerit* (3), ideſt populum fecerit, ac legibus inſtruxerit: quin Deus ipſe Iſraelem apud Jeſahiam (4) *opus manuum ſuarum* appellat. Alii *opus Dei* interpretantur univerſum humanum genus: ut quum ait Habaccuchus, o*pus tuum vivifica*, perinde ſit quaſi diceret: ne ſinas humanum genus perire, ſed illud per Chriſtum tuum vivifica, ideſt ſerva. Alii ſic exponunt: Opus redemptionis populi Judæi, vel totius humani generis per Chriſtum, *vivifica*, ideſt, inſtaura, ac perfice. Quod autem ſpectat ad ea verba *in medio annorum*, quidam ſic ea explicant: *non poſt multos annos*; alii, *intra annos noſtros*, ſeu noſtra ætate; alii, *intra annos* a te præſtitutos (5). Calvinus vero (6), quem hac in re non omnino rejecerim, ita exponit *medium annorum*, ut ſit fere medius curſus vitæ populi Hebræi. *Nam ex quo*, inquit, *Deus elegit genus Abrahæ uſque ad Chriſti adventum fuit quaſi curriculum vitæ unius, ſi comparemus populum illum homini: nam complementum ætatis erat in Chriſti adventu*.

(בקרב שנים הודיע *bekérebb shanim todîah*; ideſt, *in medio annorum patefacies*, ſeu *patefac*.) Nimirum vel te ipſum, vel opus tuum, vel quod pollicitus es, vel denique tuam miſericordiam, cujus ſtatim mentio fit in verbis, quæ proxime ſubjiciuntur. Aliquid certe hic ſubaudiendum eſt.

(ברגז רחם תזכור *berógbez rahém tizcór*; ideſt, *in ira miſericordiæ recordaberis*, vel *recordare*.) Nimirum etiam tum, quum maxime iratus videris, efficis tamen ut clementiam tuam ſentiamus. Vel, quum per multos annos duriſſima nos ſervitute afflixeris, ab ea nos tandem eripe. רחם (*rahém*) eſt infinitivum verbi רחם (*ribám*): quamvis aliqui putent eſſe nomen, ex quo ducatur plurale רחמים, quod eſt *commiſerationes*.

Verſ. 3. (אלוה מתימן יבוא, וקדוש מהר פארן *Elóhah mitttemán jabbó, veKadósh*

(1) in eo, quem dixi, loco. (2) Vide pſ. xli verſ. 3; et Cantici Hezechiæ verſ. 7; et Gen. cap. vi verſ. 19, & 20. etc. (3) Vide verſ. 6 Cantici ſecundi Moſis, et quæ ad eum adnotavi pag. 45 col. 1. (4) cap. xlv verſ. 11. Vide etiam pſ. 138, ſeu 137 verſ. 8. (5) Lege, ſi libet, Cornelium a Lapide in comment. ad hunc locum. (6) In comment. ad hunc locum.

dosh mehàr Parán; ideſt, *Deus ex Themane veniet* (ſeu *venit*), *& Sanctus de monte Pharan.*) In animo habuiſſe videtur Habaccuchus, quum hæc ſcripſit, ea Moſis verba in Deuteronomio (1) יהוה מסיני בא, וזרח משעיר למו, הופיע מהר פארן, ideſt, *Jehova ex Sinai venit, & ortus eſt ex Sebire ipſis, reſplenduit ex monte Pharan.* Porro אלוה, & קדוש in his Habaccuchi verbis idem ferme ſignificant, nempe *Deum*, quem alias dixi (2) voce קדוש per antonomaſiam deſignari. Vox autem תימן (*Theman*) duobus modis accipi poteſt, primum ut ſit nomen appellativum, deinde ut ſit nomen proprium. Primo modo accepta *meridiem*, atque *auſtrum* denotat. Altero autem modo ſumta nomen eſt cujuſdam Heſavi nepotis (3), a quo denominatam etiam fuiſſe ajunt regionem, aut urbem quamdam Theman, cujus meminerunt Jeremias (4), Hamoſus (5), & Ezechiel (6). Euſebius in Onomaſtico (7) de Themane hæc ſcribit: *Θαιμὰν, χώρα ἡγεμόνων Ἐδὼμ ἐν τῇ Γεβαλιτικῇ, ἀπὸ Θαιμὰν υἱοῦ Ἐλιφὰζ, υἱοῦ Ἠσαῦ. ἀλλὰ καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη ἐστὶ Θαιμὰν, ἀπέχουσα Πετρῶν ἀμφὶ τὰ ιέ σημεῖα. ἐν ᾗ καὶ ἐγκάθηται στρατιωτικὸν, ὅθεν ὡρμᾶτο Ἐλιφὰζ ὁ Θαιμὰν βασιλεύς. Καὶ τοῦ Ἰσμαὴλ δὲ Θαιμὰν γεγονέναι λέγεται παῖς. καὶ πᾶς δὲ ὁ πρὸς νότον τόπος οὕτω καλεῖται. καὶ γὰρ ἑρμηνεύεται Θαιμὰν, νότος*: quæ verba ita interpretatur Hieronymus: *Theman, regio Principum Edom in terra Gebalitica a Theman filio Eliphaz filii Eſau ſortita vocabulum. Sed & uſque hodie eſt villa nomine Theman, diſtans ab urbe Petra quinque millibus, ubi & Romanorum militum præſidium ſedet, de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum. Unus quoque filiorum Iſmael appellabatur Theman* (8). *Sciendum autem quod omnis auſtralis regio Hebræis Theman dicitur.* Hæc de Themane Euſebius, & Hieronymus tradiderunt. Attamen eo nomine Habaccuchum hìc Deſertum quoddam deſignare cenſent aliqui, quod brevi intervallo abeſſet a Sinai, alii potius montem quemdam, quem eumdem eſſe cum Sehire conjiciunt alii collatis inter ſe hiſce Habaccuchi verbis, & his, quæ paulo ante ex Moſis Deuteronomio prolata ſunt. At quidquid tandem id ſit, quod hìc Themanis nomine ſignificatur, illud certe fatentur omnes, Themanem ab Habaccucho commemoratum, uti & Pharanem (9), ad auſtralem Chanahanitidis plagam ſitum fuiſſe. Itaque mirabitur quis, nonnullos e vetuſtis Patribus hìc legiſſe: *Deus a Libano veniet*, &c. (10), quum Libanus ad ſeptentrionalem Judææ partem ſitus ſit. Sed recte ſuſpicatur Ribera (11), in aliquibus codicibus pro *ἀπὸ νότου*, hoc eſt, *ab auſtro*, ſcriptum fuiſſe *ἀπὸ λιβονότου*, ideſt, *a libonoto*, qui ventus eſt inter Libem, & Notum: atque hinc factum eſſe, ut ab exſcriptoribus, quid eſſet *libonotus*, ſeu *libanotus*, ignorantibus, ſcriptum ſit *a Libano*.

Jam vero his præmiſſis eam tandem

(1) cap. XXXIII verſ. 2. (2) ad verſ. 2 Cantici Hannæ, pag. 82 col. 2. Vide etiam verſ. 6 Cantici Jeſahiæ, pag. 94. (3) Vide Gen. cap. XXXVI verſs. 11, & 15; & lib. 1. Par. cap. 1 verſs. 36, & 53. (4) cap. xlix verſs. 7, & 20. (5) cap. 1 verſ. 12.

(6) cap. xxv verſ. 13. (7) Euſebii *Onomaſticon urbium, & locorum Sacræ Scripturæ*, a Hieronymo latine redditum, extat tom. 5 Theſ. Ant. Sacr. ab Ugolino editi, & tom. 3 Oper. D. Hieronymi edit. Vallarſii. (8) Non *Theman*, ſed *Thema* (תימא) dictus eſt Iſmahelis filius, quem indicat hìc Euſebius. Vide Gen. cap. xxv verſ. 15. (9) de Pharane vide Onomaſticon Euſebii, et Calmeti *Diction. Sacr. Script.* (10) Ita legerunt Gregorius Magnus lib. 33 Moral. cap. 1, edit. PP. S. Mauri, atque Antipater auctor ſermonis cujuſdam *in Sanctam Mariam*, quem adnotationibus illuſtravit, ac propediem in lucem edet Rmus Abbas noſter Jo. Chryſoſt. Trombellius. (11) in comment. ad hunc locum.

dem affero hujus loci interpretationem, quæ mihi videtur probabilior. Nimirum hic Habaccuchus, quaſi rationem afferre incipiat, ob quam Iſraeliticum populum *opus Dei* ſuperius appellarit, Deum exhibet tamquam ſtrenuum virum ex Auſtro, nimirum ex Ægypto, quæ Judæis ad Auſtrum erat, venientem in Sinaim ad dandam legem, aut, ſi mavis, ex Themane ac Pharane, ideſt ex Arabia Petræa, inſtar Imperatoris, qui ſuo præeſſet exercitui, Palæſtinam verſus incedentem, ut illuc populum ſuum introduceret. Qui vero hunc locum de Chriſto Jeſu exponunt, ii ſic fere interpretantur, ut *Auſtri* nomine Bethlehem deſignetur, quæ urbs ſita eſt ad Hieruſalem in Auſtrali plaga (1).

(סלה *Sèlab*.) Hebræa hæc vox in Pſalmis duntaxat occurrit, ac ter in Habaccuchi Cantico, quod modo explanamus. Nonnulli eam deducunt ex verbo סלה, alii ex סל, alii, quibus Marinus noſter (2) ſuffragatur, ex סלל, quod eſt *extulit*, *elevavit*. Quid autem ſignificet, incertum eſt: eamque fortaſſe ob rem a Vulgato interprete, & a nonnullis aliis omittitur. Mihi tamen hic breviter, quid de ejus ſignificatione veteres ac recentiores interpretes conjecerint, indicandum eſt (3). Lxx quidem Interpretes, Symmachus, ac Theodotio vertere ſolent διάψαλμα, de qua voce epiſtolam Hieronymus ad Marcellam ſcripſit, quam lege (4): neque vero ulla ſatis firma ratione probari poſſe videtur, quod conjicit Steuchus noſter (5), Lxx Intt. vocem hebræam *Sèlab* exſcripſiſſe, ejuſque loco librarios poſtmodum græcam διάψαλμα in eorum interpretatione poſuiſſe. Aquila vertit ἀεὶ, Hieronymus *ſemper*, Quinta Editio διαπαντὸς, Sexta εἰς τέλος, Chaldæus demum pſalmorum interpres לעלמין, ideſt, *in ſecula*. Marinus putat סלה eſſe ſignum altioris vocis in cantu. Meibomius (6) contendit סלה eſſe notas, ſeu vocem, cujus tres literæ tria vocabula ſignificent, nimirum סוֹב לְמַעְלָה בִּיָּר, ideſt, *redi ſurſum cantor*, hoc eſt, canendo non perge deorſum, ſed converte cantum ab imo ſurſum. Clericus autem duas affert conjecturas: quarum prima eſt, סלה eſſe interjectionem quamdam poeticam ad fulciendum verſum ruentem, & ad ſervandum ὁμοιόπτωτον: altera vero eſt, adhiberi hanc interjectionem inſtar vehementis cujuſdam affirmationis: a qua ſententia alienus non fuit Abenus Hezra, qui putavit סלה idem valere atque באמת, hoc eſt, *In veritate*, ſeu *certe*, & *vere*. Schindlerus demum, ut alias aliorum opiniones præteream, cenſuit eſſe vocem muſicam hodie ignotam.

(כסה שמים הודו, ותהלתו מלאה הארץ *kiſsáb shamáim bodò*, *ubebillatbò maleáb baárez*; ideſt, *operuit cælos majeſtas ejus*, *& laus ejus implevit terram*; vel, *& laude ejus repleta eſt terra*.) Duæ locutiones tranſlatæ, quarum ſententia manifeſta eſt. Non abſurda tamen eorum videtur interpretatio, qui voce תהלה *ſplendorem* potius, atque *fulgorem*, quam *laudem* hic denotari putant: ut nimirum hoc velit Habaccuchus, quum Deus populo ſuo in nube lucida præiret, multoque magis, quum Legem Moſi in Sinai traderet (7), cælum, ac terram miro ſplendore illuſtra-

(1) Lege Hieronymum ad hunc locum. (2) Lege, quæſo, Marini Theſaurum ad vocem סלה.
(3) De voce סלה fuſius ſcripſerunt Calmetus in Diſſertatione *in duas voces Lamnazeach, & Sela.*, Jo. Clericus in comment. ad pſ. 3, Steuchus noſter in comment. ad eumdem pſalmum, aliique complures. (4) Hæc epiſtola numeratur 28 in tom. 1 Oper. Hieron. edit. Vallarſii, pag. 133. (5) In comment. ad pſ. 3. (6) In Novo ſpecimine Biblic. Emendat. & Interpretationum. (7) Vide Deuter. cap. v verſ. 22; & Exod. cap. xix verſ. 18; & cap. xx verſ. 18, & cap. xxiv verſ. 17; ubi hæc legimus: *Erat autem ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens.*

ſtratam eſſe. Ex aliquot ſane Scripturæ locis (1) colligi recte poteſt, radicem הלל aliquando *ſplendendi* ſignificationem habere. Quin ſuſpicor ſimili modo vocem quoque הוד exponi poſſe. Nomina enim הוד, & כבוד ſimilem habent ſignificatum, quum utroque *gloria* & *decor* ſoleat denotari. At כבוד interdum *ſplendorem* potius, quam *gloriam* deſignare videtur, id quod colligo tum ex libro Exodi (2), ubi כבוד יהוה, ſeu *gloria Domini* dicitur conſpecta fuiſſe, lucique comparatur; tum etiam ex Jeſahiæ capite ſexageſimo (3), in quo אור, & כבוד ſimul junguntur, quin immo חשך, quod eſt *obſcuritas*, & כבוד inter ſe opponuntur. Quæ quum ita ſe habeant, conjicere licet nomen quoque הוד pro *ſplendore* hic poſſe accipi. Lxx tamen Intt. vocem הודו hic verterunt ἡ δύναμις ἀυτοῦ, hoc eſt, *potentia ejus*.

Verſ. 4. (ונגה כאור תהיה *venógaha caór tihejéh*; ideſt, *& ſplendor ejus ut lux* (ſive, *ut lucis*) *erit*, vel *erat*.) In Hebræo exemplari deeſt pronomen *Ejus*: nec raro occurrunt in illo hujuſmodi Ellipſes (4). Vox autem אור *lucem* quidem proprie ſignificat; poſſumus tamen hoc in loco *Solem* etiam, aut *facem* interpretari. Nam & apud Jobum (5) Sol per antonomaſiam dicitur אור, ſive *lux* (6), & in Proverbiis (7) אור ſumitur pro מאור, ſive pro face aut lampade late ſplendente. Itaque ea verba נגה כאור תהיה ſic exponi poſſunt, ut ſignificent, Deum in Sinai, aut in nube inſtar ſolis, vel luciſſimæ facis ſplendorem quaquaverſus emiſiſſe. De Chriſto inſuper recte hæc explicantur, qui & *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (8); & eſt ἀπαύγασμα (9), ſeu ſplendor Paternæ lucis, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.

(קרנים מידו לו *karnáim mijjadó lo*; ideſt, *cornua a manu ejus erant ei*.) Pronomen לו, ideſt, *ei*, ad Moſem aliqui referunt, quamvis Moſes ab Habaccucho non nominetur: itaque ſic explanant: *cornua*, ideſt ſplendores, *erant ei* (nempe Moſi) *a manu*, ſive potentia, *ejus* (nempe Dei): quod perinde eſt ac ſi diceres: Moſis faciem Deus ſplendentem fecit ac lucidam, ut radios lucis, aut ſcintillas cornuum ſpeciem præſeferentes, emittere videretur, quum e Sinai Legis tabulas geſtans deſcenderet, uti conſtat ex hiſce Exodi verbis (10), קרן עור פניו, hoc eſt, *radiabat cutis faciei ejus*, luciſque ac ſplendoris cornua emittebat (11). At equidem malim iſta Habaccuchi verba ad Deum referre, quum neque Moſis ulla hic mentio fiat, & ad Deum referantur quæ in ſuperioribus verſiculis dicuntur, & in ſequentibus. Deum ergo quaſi cornua manibus geſtantem exhibet Habaccuchus. *Cornuum* vero nomen multis modis hic poſſumus accipere (12). Primum enim ſummam Dei potentiam, ac robur deſignare poteſt, quo Iſraelitarum hoſtes profligavit: deinde duas Legis tabulas mirum in modum fulgentes; quaſi ea Moſis verba indicare voluerit Habaccuchus, quibus Deum *igne-*

p 2 *am*

(1) Vide Jeſahi. cap. xiv verſ. 12; & cap. xiii verſ. 10; & Job. cap. xxxi verſ. 26; & cap. xli verſ. 16. &c. (2) Vide cap. xxiv verſs. 16, & 17. (3) verſ. 1, & 2.
(4) Vide Prov. cap. iii verſ. 22, &c. (5) cap. xxxi verſ. 26. (6) quin fortaſſe a voce hac אור (or) Apollo dictus eſt ὧρος. (7) cap. iv verſ. 18. (8) Euang. Johann. cap. 1 verſ. 9. In capite quoque lx Jeſahiæ hæc legimus: *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum.* (9) Vide Epiſt. ad Hebr. cap. 1 verſ. 3. (10) Vide cap. xxxiv verſs. 29, 30, & 35. (11) Inſulſa eorum opinio eſt, qui e Moſis vultu cornua enata eſſe exiſtimant, eumque quaſi Satyro ſimilem ſibi fingunt. (12) Lege quæ de voce *cornu* dixi ad verſ. 1, & 10 Cantici Hannæ.

am Legem dextera manu tenentem describit in Deuteronomio (1). Præterea *cornuum* vocabulo *splendores* denotari possunt; ut hujus loci sententia sit, lucis radios, ac splendores e Dei lateribus emicuisse. Demum illud etiam probabile est, quod Calmeto placuit (2), *cornua* hic dici fulgentia arma, ignitaque jacula, quibus Deum infra quoque Habaccuchus armatum describit (3). Quod si ad Christum locum hunc referamus, crucis cornua indicabuntur, in quibus ejus manus confixæ sunt.

(וְשָׁם חֶבְיוֹן עֻזֹּה *veshám hebbjón buzzó*; idest, *& ibi absconsio fortitudinis ejus*.) עזה positum est pro עזו. Lxx vero Interpretes pro וְשָׁם legerunt cum sinistro puncto וְשָׂם, idest, *& posuit*; ac pro חביון legerunt אהבת, idest, *amorem*; sic enim verterunt: *καὶ ἔθηκεν ἀγάπην ἰσχυρὰν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*; idest, *& posuit dilectionem fortem potentiæ suæ*. Aquila autem transtulit (4): *& posuit absconsionem fortitudinis suæ*. Symmachus pariter: *Et posuit absconditam fortitudinem suam*. Theodotio tamen, & Vulgatus interpres ita transtulerunt, ut nos transtulimus.

Jam vero quod hic dicitur, *ibi absconditam fuisse Dei fortitudinem*, id pluribus ac diversis modis possumus exponere. Ac primum quoniam *cornua* & roboris symbolum sunt, & arma Dei, & splendores denotare queunt, proinde per poeticam translationem dicere potuit Habaccuchus, in cornibus, aut armis, quæ in Dei manibus erant, veluti latuisse, ac sitam fuisse ejus potentiam, aut in radiis, qui ex ipso emicabant, fuisse adumbratam. Deinde quemadmodum in psalmo xxxi (5) dicitur Deus *magnitudinem bonitatis suæ abscondisse timentibus se*, ita hoc in loco *abscondita* dici potuit Dei potentia, quod eam nollet Deus æque in toto orbe, sed singulari modo populo suo patefacere. Alii sic explicant: in Sinai veluti reposita erat, atque abscondita Dei fortitudo, quam tum primum exserere cœpit, & postmodum manifestius in Israelitarum hostes exseruit. Quin sunt etiam, qui observent, Arcam fœderis in psalmo lxxviii (6) vocari עוז, sive *robur* Domini: itaque *ibi*, hoc est, in Sinai, absconditam dici putant arcam fœderis, quod ejus formam a Deo Moses acceperit (7). Hieronymus denique ad Christum hæc referens, *in cruce*, inquit, *paulisper abscondita est fortitudo ejus, quando dicebat ad Patrem: tristis est anima mea usque ad mortem. Et in ipsa cruce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum*.

Vers. 5. (לפניו ילך דבר *lephanáv jélech dábber*; idest, *coram ipso ibit* (vel *ibat*) *pestis*.) דבר (*débber*) est pestis, pestilentia, lues contagiosa, exitium. Itaque Aquila transtulit λοιμός, Symmachus autem, & Hieronymus verterunt *mors*; quod pestem mors consequatur. Deum ergo describit Habaccuchus per poeticum & elegantem tropum in hoc versiculo quasi Imperatorem, cujus ministri, pedisequi, atque apparitores ad obsequendum parati forent pestilentiæ, & alia morborum genera. Ac revera Deus & Ægyptiorum animantia peste interemit (8), & omnia eorum primogenita una nocte interfecit, & Hebræis sæpius, quum in Deserto degerent, pestilentiam minatus est (9), & eorum hostes, miro terrore ipsis injecto (10), perinde perdidit non ra-

(1) cap. xxxiii vers. 2: מימינו אש דת למו, hoc est, *a dextera ejus ignea lex pro eis*.
(2) Lege ipsius Calmeti comment. ad hunc locum. (3) vers. xi. (4) Vide Hieron. ad hunc locum. (5) vers. 20. (6) vers. 61. (7) Lege Drusium ad hunc locum.
(8) Exod. cap. ix vers. 3. (9) Levit. cap. xxvi vers. 25. *mittam pestilentiam in medio vestri*. Vide & Num. cap. xiv vers. 12. (10) Vide Exod. cap. xxiii vers. 27, & Josuæ cap. xxiv vers. xi, & 12.

raro in præliis, quasi peste eos delevisset. Lxx tamen Interpretes, quos & Theodotio secutus est, multo aliter interpretati sunt, propterea quod pro דבר (*débber*) legerint דבר (*dabbâr*), idest, *verbum*: Sic enim transtulerunt: *πρὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λόγος*, hoc est, *ante faciem ejus ibit verbum.* Quæ verba de Christo a plerisque exponuntur, quem prophetarum, ac Johannis Præcursoris sermo præcessit.

(ויצא רשף לרגליו *vejezé résheph leraglâv*; idest, *& egredietur* (vel *egrediebatur*) *anthrax ad pedes ejus.*) Nimirum morbi pestiferi, & prunarum instar adurentes, e pedibus ejus egrediebantur, ac veluti illius pedisequi erant. Lxx Interpretes, Hieronymo teste, verterunt: *& egredietur in campos post pedes ejus* (1). Nos vero de voce רשף satis alibi diximus (2). *Pedes* autem Dei hic ejus præsentiam, aut ingressum, & adventum denotare possunt. Ita Labanus in Genesi (3) Jacobum alloquens inquit, ויברך יהוה אתך לרגלי, idest, *& benedixit te Jehova ad pedem meum*, nempe ad adventum meum.

Vers. 6. (עמד, וימדד ארץ, *bamâd*, *vajmodéd érez*; idest, *stetit*, *& mensus est terram.*) Nimirum Deus veluti erectus *stetit*, ac se conspiciendum præbuit, totamque terram oculis *mensus est*, cujus Dominum se esse, ejusque regiones, ac fines, cui liberet, tribuere se posse ostendit. *Stetit* etiam Deus per quadraginta annos in Deserto cum Israelitis in columna ac nube, & postmodum etiam in tabernaculo, ubi posita erat arca fœderis, ac terram, quam populo suo traditurus erat, oculis suis *mensus est*. Demum quod hic dicitur, Deum *stetisse*, id de Arca ipsa exponi potest, in qua ejus numen præsens erat; quasi illud indicet Habaccuchus, quod in sacris libris narratur, arcam Domini quatuordecim menses stetisse in Galgalis, donec Josua totam Chanahanitidem occuparet, quam postmodum populo funiculis mensam distribuit. Quum vero dicit Deum Chanahanis terram mensum esse, id Deo ipsi tribuit, quod illius jussu a Mose, ac Josua factum est (4).

(ראה, ויתר גוים, *raib*, *vajjattér gojim*; idest, *vidit*, *& dissolvit gentes.*) Nimirum Deus solo aspectu, ac minaci vultu terrorem Chananæis gentibus incussit (5). *Dissolvendi* enim verbis utuntur Hebræi ad terrorem, qui alicui injicitur, significandum (6). Quoniam vero radix נתר significat *saliit*, *saltavit*, proinde verbum inde ductum התיר aliqui hic vertunt *exsilire fecit*, aut *transilire fecit*, nempe ejecit, migrare jussit. Sed interpretatio, quam ego attuli, videtur mihi germanior. Leo autem Judæ vocem ויתר vertit *& designavit*, quasi ea vox derivetur ex verbo תאר, idest *designavit*; quod mihi sane non probatur. Lxx demum Interpretes sic transtulerunt: *ἐπέβλεψε, καὶ ἐτάκη ἔθνη* idest, ut vertit Hieronymus, *aspexit*, *& distabuerunt gentes*. In editione tamen Complutensi legimus: *κατενόησεν καὶ ἐξήκασεν τὰ ἔθνη*, idest, *intellexit*, *& distare fecit gentes*. Sed prior lectio, quam Aldina editio habet, germana esse videtur, quum eam Hieronymus, Augustinus, Theo-

(1) Hieronymus legit: Καὶ ἐξελεύσεται εἰς πεδία κατὰ πόδας αὐτοῦ, ut est in editione Complutensi: at in Aldina legimus: καὶ ἐξελεύσεται εἰς παιδείαν κατὰ πόδας αὐτοῦ, idest, *& egredietur ad disciplinam juxta pedes ejus*. (2) ad vers. 24 Cantici secundi Mosis, pag. 62 col. 2. Vide etiam Hieronymi comment. ad hunc locum.
(3) cap. xxx vers. 30. (4) Vide Numer. cap. xxxii, & Jos. cap. xiii, & seqq. (5) Vide lib. Jos. cap. 2 vers. 9, & cap. v vers. 1. (6) Lege quæ scripsi ad vers. 15 Cantici primi Mosis, pag. 27 col. 2, dum vocem נמגו explicarem.

Theodoretus, Euthymius, aliique secuti sint.

(ויתפצצו הררי עד *vajjithpozezú barerê bad*; ideſt, *& contriti ſunt montes æternitatis.*) Hebræos Deus per aſperrimos montes perinde duxit, quaſi per tritam ac planam viam deduceret (1). Itaque hìc eum deſcribit Habaccuchus veluti conterentem, ac ſolo æquantem montes, qui ejus iter impediebant. Montes, inquit, ſolo Dei aſpectu inſtar lapidum, qui in fruſta comminuuntur, contriti ſunt, diſſilierunt, atque disjecti ſunt: id enim ſignificat hebræum verbum התפוצץ, quod ex radice פוץ derivatur, quæ idem valet atque *diſpergi*. Montes porro *æternitatis* ſunt montes æterni, aut vetuſtiſſimi (2). Ita autem appellantur ſæpe (3) in Scriptura, propterea quod firmiſſimi ſint, ac proinde iidem perpetuo maneant. Fortaſſe etiam hæc verba ad eorum ſententiam trahi poſſunt, qui in exitu Hebræorum de Ægypto, tranſituque per rubrum mare, terræ motum factum eſſe putant, quo montes concuterentur, id quod colligunt ex illis pſalmi CXIV (4) verbis: *Montes exſultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium.* Demum alia etiam ratione hæc exponi queunt: ut enim *terra* in Scriptura ſæpe ipſos terræ incolas homines denotat (5), ſic montes æterni hìc populos deſignare poſſunt, qui in Chanahanitide montoſa regione (6) per plura ſecula habitarant; aut potius eorum reges, qui diutiſſime iis imperaverant, e quibus quinque a Joſua capti, pedibus conculcati, atque interfecti fuiſſe dicuntur in libro Joſuæ (7). *Montes* vero per translationem appellantur Reges tum ob ſublimem dignitatem, qua inter ceteros eminent, tum ob eorum ſuperbiam; ut colligitur ex hiſce Jeſahiæ verbis (8): *omnis mons, & collis humiliabitur.*

(שחו גבעות עולם *shahú gbivbóth holám* (9); ideſt (10), *depreſſi ſunt colles ſeculi.*) Idem ferme repetit, quod ante dixerat: itaque & hæc eodem fere modo, atque ſuperiora, exponi poſſunt. Vocem tamen שחו non ſolum *depreſſi ſunt*, reddere poſſumus, ſed recte etiam *incurvati ſunt*: ut nimirum colles hìc deſcribantur veluti ante Deum pertranſeuntem, honoris ac reverentiæ cauſa, incurvati, inclinatique. Colles autem *ſeculi* (11) dicuntur colles pervetuſti, ut ſuperius montes *æternitatis* dicti ſunt. Alii transferunt: *colles mundi*. Denique ut *montium* nomine reges, ita *collium* vocabulo principes, ac potentes viri deſignari etiam poſſunt, qui colles ipſos diu incoluerant.

(הליכות עולם לו *halichóth holám lo*; ideſt (12), *ambulationes ſeculi ei.*) Multis modis hæc verba exponi poſſunt. Ac primum quidem ita, ut ſenſus ſit: In hiſce montibus *æternitatis*, & collibus *ſeculi*, quos antea dixit contritos, atque depreſſos, vias ſibi ſtravit Deus, ac ſuo populo. Vel

(1) Vide Deut. cap. VIII verſ. 4. (2) Vide quæ de voce עד dixi ad verſ. 18 Cantici primi Moſis, pag. 31. (3) Deuter. cap. XXXIII verſ. 15, & alibi. LXX Interpretes hìc vertunt: *& contriti ſunt montes violentia*: quę verba in Complutenſibus Bibliis ſic legimus: καὶ τὰ ὄρη ἐθραύσθησαν βίᾳ; in Aldinis vero: διεθρύβη τὰ ὄρη βίᾳ. (4) verſs. 4, & 6. (5) Lege quæ dixi ad verſ. 1 Cantici ſecundi Moſis, pag. 39 col. 2.

(6) Lege quæ ſcripſi pag. 29 col. 1, & pag. 53, ac 54. (7) Lege ejus libri cap. X, ac præſertim verſs. 24, & 26 ejuſdem capitis. (8) cap. XL verſ. 4. (9) de voce עולם dixi pag. 30 col. 2, & pag. 31, ac rurſus pag. 45 col. 1. (10) Hæc, et ſequentia verba LXX Interpretes, Hieronymo teſte, ſic verterunt: *tabuerunt colles ſeculi itineris ſempiterni ejus*. Complutenſia tamen Biblia ſic habent: ἐτάκησαν βουνοὶ τοῦ αἰῶνος, αἱ ὁδοὶ αἰώνιαι αὐτοῦ. (11) Sic vocantur etiam in Gen. cap. XLIX verſ. 26.

(12) In Aldinis Bibliis hæc verba cum tribus ſequentibus juncta, atque ſic reddita exſtant: πορείας αἰωνίους ἀντὶ κόπων εἶδον, ideſt, *itinera æterna pro laboribus vidi*.

Vel: viæ *feculi*, ideft, viæ antiquiffimæ Chanahanitidis, quæ jamdudum Abrahamo, ejufque pofteris promiffa fuerat, Dei funt. Deinde הליכות, five itinera ac vias Dei interpretari poffumus rationes, quibus fe gerit Deus, ac mundum adminiftrat. Præterea quoniam עולם vertitur etiam *mundus*, proinde hæc verba fic quoque transferre licet: *itinera mundi ejus funt*. Itinera autem mundi funt ejus viciffitudines, aut cæleftium corporum motus, ac naturæ leges. Quidam vertunt: *itinera feculi ei*, tum fubaudiunt *incurvata funt*: per *itinera* autem *feculi* leges ac mores antiquos Chananæorum defignari cenfent. Quin etiam funt alii, quorum tamen interpretationes rejecerim, qui pronomen לו, ideft, *ei*, non ad Deum referant, fed vel ad Chananæam gentem, ut fenfus verficuli fit: depreffa eft ea gens, cujus ambulationes fuerant perpetuæ, hoc eft, quæ nunquam fedem, aut ambulationem mutaverat: Vel ad Ifraelem, ut fenfus fit: Montes ifti, & colles, qui antea erant inacceffi, nunc jam a Deo depreffi, hominum itineribus teruntur.

Jam vero totum hunc fextum verficulum ad Chriftum etiam referre, atque in hunc modum interpretari poffumus: Stetit Filius Dei una cum hominibus, ac omnem terram oculo menfus, eam Apoftolis fuis Euangelii prædicatione colendam tradidit (1): afpexit, & humanum genus peccati jugo oppreffum vidit, ac Gentes, quæ eum una cum Judæis fecutæ funt, mortis diabolique vinculis folvit: ac vel ipfos Reges fuæ legi fubjecit: qui etiam *a principio mundi*, ut inquit Hieronymus (2), *ufque ad incarnationem fuam ad Sanctos venerat*.

Verf. 7. (תחת און ראיתי אהלי כושן *tdhath dven raithi abolè Chushàn*; ideft (3), *fub perverfitate vidi tentoria Chufanis*.) Locus ifte perobfcurus eft, atque ad explicandum difficilis. Tentoria quidem hìc aut caftra denotant, ideft per fynecdochen exercitum, aut cujufvis modi habitacula, quæ fæpe tentoria etiam vocantur a Sacris Scriptoribus (4) per translationem ex eo ductam, quod aliqui populi (5), ipfique Hebræi, quum in Deferto vagarentur, in tentoriis habitarent. Quanquam vox ipfa אהל, qua utitur Habaccuchus, non modo tentorium fignificat, verum etiam domum, & cujufvis generis habitationem. Chufan vero, cujus hìc mentio fit, videtur effe ille כושן רשעתים, five Chufan Rafathaimus, Aramæorum rex (6), Chufartes a Jofepho dictus (7), qui, quum Ifraelitas octo annos fervitute oppreffiffet, ab Hothoniele Chenazi filio devictus, ac profligatus eft (8). At malunt plures vocem כושן (*Chufan*) perinde hìc accipere, quafi pro כושן Habaccuchus fcripfiffet כוש (*Chus*): quorum opinio veterum Interpretum auctoritate potiffimum innititur, qui, quum כוש *Æthiopiam* vertere foleant, eodem modo vocem quoque כושן hoc in loco tranftulerunt. Quod fi hanc explicationem amplectimur, oportet, ut dicamus, aut in voce כושן literam *nun* effe paragogicam; aut pro כושן fcriptum fuiffe quondam in exemplari hebræo כושים, vel כושי, vel potius כוש, aut, ut fufpicatur Calmetus, כושן ideo pofitum effe pro כוש ab Habaccucho, ut effent ὁμοιοτέλευτα in

(1) Matth. cap. ult. verf. 18. (2) in comment. ad hunc locum. (3) Lxx Interpretes, Hieronymo tefte, verterunt: *pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum*. Et fane in complutenfibus Bibliis legimus: ἀντὶ πόνων εἶδον τὰς σκηνὰς Αἰθιόπων. Aldina vero aliam lectionem habent. (4) Lege Jerem. cap. IV verf. 20; & Jefahi. cap. 50 verf. 2. &c. (5) Lege quæ dixi pag. 99 col. 2. (6) מלך ארם. (7) in lib. V Antiq. Jud. cap. 3. (8) Lege libr. Judic. cap. III verf. 8, & feqq.

in hoc versiculo duo vocabula מרין (*Midjan*), & כושן (*Chusán*); aut demum כושן esse diminutivum ex כוש factum: littera enim *nun* in fine nominum hebræorum aliquando videtur ea facere diminutiva: ita ex איש, quod est *vir*, fit אישון quasi *parvus vir*, & ex שבת fit שבתון, ideft *sabbathulum* (1).

Porro vocem *Chus* veteres Interpretes, ac plures etiam e recentioribus Æthiopiam, ut paulo ante dixi, interpretati sunt. At ea voce Æthiopiam proprie dictam non designari, multis argumentis ostendit Samuel Bochartus (2), qui censet, incolas regionis Chus supra Ægyptum, ad rubri maris sinum intimum, in parte Arabiæ Petrææ, & Felicis habitasse: eosdemque esse cum his, quos veteres Scenitas, Recentiores Saracenos dixerunt. Potissima autem, quæ Bochartus affert argumenta, hæc sunt. Nimirum primo minatur Deus apud Ezechielem (3) se desolaturum Ægyptum מגדל סונה ועד גבול כוש, hoc est, *a turri Syenes ad terminum Chus*: quibus verbis duos Ægypti terminos oppositos significari perspicuum est. At Syene in Æthiopiæ, atque Ægypti finibus sita erat (4): itaque regio Chus ad eamdem cum Æthiopia cæli plagam spectare non potest, quum debeat Syenæ e regione opponi, ac regio quædam esse, qua Ægyptus ex altera parte terminetur: videtur ergo terra Chus in Arabia esse constituenda. Deinde uxor Mosis Sephora, quam Madianitidem, hoc est Arabissam, fuisse apparet ex libro Exodi (5), in libro Numerorum (6) כושית, sive Chusæa appellatur. Madianitidem autem regionem in Arabia fuisse nemo nescit. Quod vero aliqui dixerunt duas Mosi uxores fuisse, Madianitidem unam, Æthiopissam alteram, id propterea ab ipsis excogitatum est, quod Sephora Æthiopissa simul esse nequiverit, ac Madianitis, nec alia ulla ratione confirmatur. Præterea apud Jesahiam (7) Ægyptus dicitur esse *trans flumina Chus*: ex qua locutione colligitur, Chus esse regionem quamdam inter Judæam, in qua scribebat Jesahias, & Ægyptum sitam: quod si ita est, non potest Chus eadem esse cum Æthiopia, quæ trans ipsam Ægyptum erat. Denique, ut cetera argumenta prætermittam (8), Sennacheribum Libnam, quod erat oppidum in tribu Judæ, obsidentem subito adortus est Tirhaca Rex Chus, ut narrat scriptor libri secundi (9) Regum: at id facile quidem a Madianitidis repente fieri potuit, Æthiopum vero Rex Sennacheribum adoriri non poterat, nisi prius interjacentem Ægyptum debellasset ac subegisset.

Jam vero, ut ad illud, quod propositum erat, revertamur, si vox *Chusan* Madianitidem regionem in his Habaccuchi verbis denotat, aut ea in hoc versiculo indicabit Habaccuchus, quæ de Madianitis in Numerorum libro (10), aut quæ de ipsis in libro Judicum (11) narrantur. Nimirum in libro Numerorum scribit Moses, Madianitas ab Israelitis, Phineeso duce, devictos ac cæsos esse (12), eamque ultionem de Madianitis sumtam esse, propterea quod Israelitas ad scortationem, atque ad idoli Phogor cul-

(1) Lege quæ scripsi de voce ישרון ad vers. 15 Cantici secundi Mosis, pag. 57 col. 2.
(2) in Phaleg. lib. IV cap. 2. David Chytræus quoque ante Bochartum ita senserat. Vide, si libet, ejus commentaria ad hunc locum. (3) cap. XXIX vers. 10. (4) Strabo in Geograph. lib. XVII testatur Syenen fuisse ἐπὶ τῶν ὅρων τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου. Stephanus vero in libro περὶ πόλεων, ad vocem Syene, ait Syenen esse πόλιν Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας. (5) cap. 2 vers. 16, & 21. (6) cap. 12 vers. 1.
(7) cap. XVIII vers. 1. Vide etiam Sophon. cap. III vers. 10. (8) Expende etiam versiculum 9 capitis XIV libri 2 Paralip., itemque vers. 16 cap. XXI. &c. (9) quem nos quartum dicimus, cap. XIX vers. 9. (10) cap. XXV, & cap. XXXI. (11) cap. VI, & cap. VII.
(12) Lege Numer. cap. XXXI.

cultum pellexissent (1). Scriptor autem libri Judicum iterum ab Hebræis cæsos, Gedeone duce, Madianitas narrat (2), quum septem annos in Israele dominati forent, quo tempore *apud Israelitas figentes tentoria* (3), eorum regionem vastabant; *nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. Ipsi enim* (Madianitæ), *& universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant, devastantes*.

Sequitur nunc ut investigemus significationem earum vocum תחת און, quæ paulo obscuriorem hunc locum faciunt. Dictio quidem תחת proprie locum inferiorem cujuslibet rei designat, & vertitur *sub*, aut *infra*: aliquando tamen idem fere valet, ac latina particula *pro* (4), & interdum etiam significat *propter* (5). Nomen vero און Marinus vertit *injuriam*, *perversitatem*, & de illo dici affirmat, qui contra jus fasque agat, ut quod velit consequatur. Sunt tamen qui און vertant *nihilum*, quasi ponatur pro אין; quorum interpretatio mihi non probatur. Denique און (*Aven*) est etiam nomen urbis Ægyptiacæ (6), quam Vulgatus Interpres vocat Heliopolim. Hæc quum ita se habeant, nemo mirabitur, ea verba תחת און diversis modis ab Interpretibus translata esse. Nimirum alii verterunt *pro iniquitate*, alii *propter iniquitatem*, alii *loco iniquitatis*, alii *in loco iniquitatis*, alii *pro nihilo*, alii *in loco vano*, alii *sub vanitate*, alii *sub Aven*, alii etiam aliter.

Quid ergo tandem, inquis, sibi hoc vult, quod ait Habaccuchus, *se vidisse* תחת און *tentoria Chusan?* quasi respiciat ea verba, quibus Deum allocutus fuerat in primo capite (7), למה תראני און, idest, *quare ostendes mihi perversitatem?* Nonnulli quidem sic ea explicant: Propter iniquitatem, vel ob ultionem iniquitatis afflicta vidi tentoria Chusan; Chusæorum scilicet, aut potius Chusanis Aramæorum regis, ut paulo ante indicavimus. Alii vero in hunc modum: Merces, quam Deus rependit iniquitati Chusanis, vel Madianitarum, manifesta fuit. Alii: Ob iniquitatem coinquinata vidi Madianitarum tentoria. Alii: Pro nihilo vidi, idest in nihilum redacta vidi tentoria Chusan. Alii: Sub vanitate, ubi scilicet diu mansura non erant, vidi tentoria Chusan. Alii demum iis verbis תחת און ipsa Chusæorum, aut Chusanis castra designari censent.

(ירגזון יריעות ארץ מדין *irgbezún jeribòth érez Midján*; idest, *horrebunt* (sive *horruerunt*, vel *perterrefacta sunt*) *aulæa terræ Midjanis*.) De Madianis terra, ac de ipsis Madianitis lege quæ scripserunt Eusebius, ac Hieronymus (8), Nicolaus Sanson (9), Hadrianus Relandus (10), aliique. Radix vero רגז quid significet, alibi dictum est (11). Demum יריעות sunt operteria aut vela tentoriorum (12), qui-

q bus

---

(1) Numer. cap. xxv vers. 18. (2) cap. vii. (3) cap. vi vers. 4. (4) ps. cix vers. 4; Jesah. cap. lx vers. 17; lib. 2 Paral. cap. 1 vers. 8; & alibi. Consule Marini Thesaurum. (5) Sophon. cap. 2 vers. 10, & lib. 2 Sam. cap. xix vers. 22.

(6) Vide Ezech. cap. xxx vers 17. Clericus mavult legere *On*, quam *Aven*. Vide ejus *notas in indicem Geographicum Nicolai Sansonis*, quæ exstant in tom. 5 Thes. Ant. Sacr. ab Ugolino editi. (7) vers. 2. (8) in Onomastico urbium, & locorum Sacr. Script. tom. 5 Thes. Ant. Sacr. ab Ugolino editi, pag. 429. (9) in Geographia Sacra, quæ exstat in eodem tomo, pag. 607. (10) in opere, quod inscribitur *Palæstina*: tom. 6 Thes. Ant. Sacr. pag. 89, & seqq. (11) ad vers. 14 Cantici primi Mosis, pag. 26 col. 2. (12) Vide Exod. cap. xxvi, & xxxvi; & Cantici Cantic. cap. 1 vers. 5.

bus militaria ipsa tentoria, & per synecdochen exercitus hìc designantur. Madianitarum ergo exercitus perterrefactos ait Habaccuchus, Phineesi, aut Gedeonis (1) tempora indicans, quorum uterque insignem de Madianitis victoriam retulit, ut superius dixi.

Vers. 8. (הבנהרים חרה יהוה ? אם בנהרים אפך ? אם בים עברתך ? *habbinebarim baràh Jehováh ? im bannebarím appécha ? im bajjám bebbrathécha ?* idest, *numquid in fluminibus iratus est Jehova ? an in fluminibus ira tua ? an in mari indignatio tua ?*) Hebræis Deus in Erythræo mari (2), iterumque in Jordane (3) prodigiose viam aperuit, quod notissimum est omnibus. Duas ergo hasce Israelitarum mirabiles trajectiones animo intuens Habaccuchus, ita Deum alloquitur: Numquid, o Jehova, fluminibus, ac mari iratus eras, quum Jordanis, atque Erythræi maris aquarum cursum pervertebas? Nihil minus: imo hæc tam mirabilia ideo præstitisti, ut populum tuum incolumem servares, ejusque hostes perterrefaceres (4). Quum tamen ait Habaccuchus, *numquid fluminibus irasceris ?* in mente etiam habere potuit Ægypti flumina, quæ Dei jussu in sanguinem conversa sunt (5). Quin sunt etiam qui ea hìc indicari censent, quæ de mari, ac fluminibus scripta exstant apud Lucam (6), & in Apocalypsi (7). Observanda demum in his verbis est personæ mutatio, quam alibi non semel observimus (8): postquam enim dixit Habaccuchus ? הבנהרים חרה יהוה, pro אם בנהרים אפך dicit אם בנהרים אפו.

(כי תרכב על סוסיך *ki* (9) *thircábh hal susécha ;* idest, *quando insidebis* (vel *insidebas* aut *vehebaris*) *super equos tuos.*) Locutio translata, qua Deus veluti strenuus quidam eques describitur cum Israelitarum hostibus confligens. *Equi* autem *Dei* sunt aut nubes, quibus Deus in psalmo CIV (10) vehi; aut venti, super quorum alas in eodem psalmo (11) ambulare; aut duo Cherubini in arca positi (12), quibus insidere sæpe dicitur (13); aut demum Angeli, ut interpretatur Gregorius Nyssenus (14).

(מרכבתיך ישועה *markebbothécha jeshuháb ;* idest, *currus tui salus*.) Translata, & elegans locutio ex eo desumpta, quod in bellis quondam curribus uterentur (15). Itaque Deum describere pergit Habaccuchus quasi strenuum quemdam bellatorem. Vertere etiam possumus: *quum vehebaris curribus tuis salutaribus*. Porro Dei *currus* sunt aut arca fœderis, aut, quod modo dixi, venti, aut nubes, aut Angeli, quibus quasi curru quodam bellico vehitur. Vocat autem Dei currus *salutem*, idest salutares, quod Israelitas Deus ab hostibus servarit.

Vers. 9. (עריה תעור קשתך *herjáh thebór kashtécha ;* idest, *detectione detegetur* (seu *detegebatur*) *arcus tuus*.) עריה *nuditatem*, ac *detectionem* denotat. Sed apud Michæam (16) aliqui putant esse nomen adjectivum *nudam* significans: ut proinde עריה קשת verti etiam

(1) Vide libri Judic. cap. VII versS. 21, & 22. (2) Lege Exod. cap. XIV. (3) Lege libr. Josuæ cap. III. (4) Vide Exod. cap. XIV vers. 29; & lib. Josuæ cap. V vers. 1. (5) Exod. cap. VII vers. 17, 19, & seqq. (6) cap. XXI vers. 25. (7) in capp. VIII, & XVI. (8) Lege quæ scripsi ad vers. 15 Cantici secundi Mosis, pag. 58 col. 1, & alibi. (9) de particula כי dixi alias. Vide pag. 41 col. 1. (10) in ps. CIV, seu CIII vers. 3 Deus dicitur השם עבים רכובו. idest, *ponens nubes vehiculum suum*. (11) vers. 3. (12) lege pag. 7 col. 1. (13) in ps. 80, sive 79 vers. 2; & lib. 1 Sam. cap. IV vers. 4, & alibi passim. (14) in homil. 3 in Canticum Cantic. pag. 505 edit. Parisien. anni 1615. (15) Lege quæ scripsi pag. 12, & 13. (16) cap. I vers. XI. Lege Drusii annot. ad hunc locum, & Marini Thesaurum.

etiam possit *nudus arcus*. Verbum vero נעור idem valet atque *excitatus est*, *expergefactus est*. Itaque sicut in psalmo lxxx, sive lxxix (1) *excitare* Deus dicitur potentiam suam, ita hic *excitatus* dicitur arcus Dei, quo Dei ipsius potentia ac robur designatur per translationem a rebus bellicis deductam. At quum radix עור aliquando *nudari* significet (2), propterea verbum etiam inde ductum נעור verti potest *nudatus est*. Retexisti ergo, inquit Habaccuchus, arcum tuum, idest, eum e coryto, sive e theca sua palam eduxisti, ut Israelitarum hostes jaculareris. Vel, potentiam tuam palam ostendisti, dimicans pro tuo populo.

(שבעות מטות אמר *shebbhuhóth mattóth ómer*; idest, *juramenta fulcimina verbi*.) Locus paulo obscurior. Simplicissima videtur hæc interpretatio: Excitabantur, vel potius retegebantur ac patefiebant juramenta, quibus confirmaveras, quæ dixeras, idest, quæ Abrahamo, ac majoribus nostris pollicitus fueras. Nimirum in Genesi (3) Abrahamum Angelus Dei sic alloquitur, *Per memetipsum juravi* (4), *dicit Dominus . . . Benedicam tibi . . . . & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*. Quamvis autem semel tantum hujusmodi pollicitationes jurejurando Deus confirmarit, *juramenta* tamen pluraliter dicit Habaccuchus, ut ejus jurisjurandi præstantiam indicet (5). Porro vox מטות proprie *virgas*, ac *baculos* denotat, deinde per translationem *fulcimina*: sed præterea *tribus* etiam designat (6). Itaque isto modo eam vocem hic multi accipiunt, & שבעות מטות vertunt *juramenta tribuum*. Sicut autem *fœdus Abrahami* dicitur fœdus ictum, aut sancitum cum Abrahamo; ita *juramenta tribuum* dicuntur juramenta, seu promissa jurejurando firmata, quæ tribubus præstita sunt. Quæ enim Deus Abrahamo pollicitus est, ea ad omnes Israelitas, sive ad omnes Israelis tribus pertinebant: qua de causa Michæas (7), *Dabis*, inquit, *veritatem Jacob*, *& misericordiam Abraham*, *quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis*. Et Zacharias Johannis Baptistæ pater in Cantico (8), *Jusjurandum*, *quod juravit ad Abraham patrem nostrum*, *daturum se nobis*. At si vocem מטות *tribus* interpretemur, obscurior reddetur propter sequentem vocem אמר hic locus, qui ad verbum sic transferendus erit: *juramenta tribuum dictum*. Id ipsum tamen aliqui sic explicant: *juramenta quæ fecisti tribubus ad confirmandum sermonem*. Alii singulare *dictum* positum volunt pro plurali *dicta*. Alii אמר interpretantur *verum*, ac *firmum*. Alii eamdem vocem per appositionem dictam putant; ut sensus sit: Juramenta tribuum, quæ nihil aliud sunt, quam sermo, verbum, promissio. Clericus denique transfert: *Hebdomades verbum tuum admovebant*. Quæ interpretatio an sit hebræo exemplari consentanea, ipse viderit.

(סלה *sélah*.) De hac voce dixi supra (9).

(נהרות תבקע ארץ *neharóth tebbakkáh árez*; idest, *fluviis scindes* (vel *scidisti*) *terram*.) Nimirum ingentem aquarum vim, instar fluminis decurrentem, e petra in Deserto eduxisti,

(1) vers. 3: עוררה את גבורתך, idest, *excita potentiam tuam*. (2) Jesahi. cap. xxxii vers. xi.
(3) cap. xxii vers. 16, & seqq. (4) Lege epist. ad Hebr. cap. vi vers. 13, & seqq. Lege etiam quæ scripsi ad vers. 40 Cantici secundi Mosis, pag. 75. (5) Vide vers. 3 Cantici Hannæ, itemque ea quæ adnotavi ad vers. 3 Cantici Jesahiæ, pag. 93 col. 1.
(6) Vide Num. cap. xvii vers. 1, & Marini Thesaurum ad vocem מטה (*mattéh*).
(7) cap. vii vers. ult. (8) ap. Luc. cap. 1 vers. 73. (9) ad vers. 3 hujus Cantici, pag. 114.

ut populus tuus sitim posset depellere (1). *Fluvios* pluraliter dicit ad augendam significationem (2). Vertere etiam possumus: *flumina scidisti terræ*: ut hoc velit Habaccuchus, Jordanis, ac rubri maris aquas a Deo veluti discissas esse, ut via per utriusque fundum pateret Israelitis.

Vers. 10. (ראוך יחילו הרים, *raúcha, jahilu harim*; ideft, *viderunt te, dolebunt* (seu *doluerunt*) *montes*.) Quemadmodum scriptor psalmi CXIV (3) *mare vidisse, ac fugisse* dicit, sic montes per poeticum tropum Deum venientem vidisse, ideft ejus præsentiam veluti sensisse, ac dolore correptos esse ait Habaccuchus. Quum vero radix חול de doloribus ex partu ortis proprie dicatur, iccirco hic locus, immo totus iste versiculus, ita exponi potest, quasi per allegoriam a mulierum partu deductam describatur aquarum eruptio ex petra, quam eruptionem Moses in Deserto a Deo impetravit. Præterea *montium* nomine reges etiam hostium Israelitici populi designari possunt, sicut supra diximus (4): ut nimirum sensus hujus loci hic sit: Pœnas quas a Pharahone atque Ægyptiis exegisti, transitum nostrum per Jordanem, & alia ejus modi miracula audierunt nostrorum hostium reges, ac maximo dolore perculsi sunt (5). *Videndi* sane verbum aliquando pro verbo *audiendi* a Sacris scriptoribus adhibetur, veluti a Mose (6), quum ait: וירא יעקב כי יש שבר במצרים, ideft, *& vidit* (nempe *audivit*) *Jacobus frumentum esse in Ægypto* (7). Alii sic exponunt: montes, ideft magnæ aquarum moles, quum transirent Israelitæ per Erythræum mare, ac per Jordanem, quodammodo doluerunt, quod relabi, intumescere, ascendere, & hærere cogerentur. Lxx vero Int. in translatione hujus versiculi dissentiunt ab exemplari hebræo, ut alias sæpe: sic autem vertunt: εἶδόν σε, καὶ συναλγοῦσιν λαοί: διασπερεῖς ὕδατα τῆς πορείας, ἔδωκεν ἡ ἄβυσσος τὴν φωνὴν αὐτοῦ, τὸ ὕψος τῆς φαντασίας αὐτοῦ; ideft, *viderunt te, & condolent populi; disperdes aquas itineris; dedit abyssus vocem suam, altitudinem visionis ejus*.

(זרם מים עבר *zérem mim habbhir*; ideft, *inundatio aquarum transiit*.) Nimirum præterierunt aquæ ex rupe in deserto erumpentes. Vel: simul atque accessisti ad rubri maris litus, aut ad Jordanis ripam, aquæ veluti fugerunt, ut populo tuo liberum iter relinquerent. Vel: aquæ ex rupe quasi partus quidam erumpentes præterierunt.

(נתן תהום קולו *nathàn thehôm kolò*; ideft, *dedit abyssus vocem suam*.) *Abyssi* nomen alias interpretatus sum (8). Hoc in loco videtur significare aquas subterraneas, quas scilicet ex rupe eduxit Moses: quam significationem habet abyssi nomen tum in psalmo LXXVIII (9), tum in Deuteronomio (10). Eas ergo aquas *vocem suam dedisse*, ideft strepitum quemdam edidisse ait Habaccuchus, quasi persistat in allegoria, quam indicavimus, translationemque ducat ex recens natis infantibus, qui statim vagitu se produnt. Alii *abyssum* hic dici volunt mare rubrum, aut Jordanem, quod flumen erat satis profundum. Quod autem mare, aut Jordanis *vocem dederit*, id ita accipi potest, ut significet, aut maris ac Jordanis aquas, quum Deus eas finderet, ob collisionem fluctuum sonitum edidisse; aut veluti acclamasse,

(1) Lege Exod. cap. XVII vers. 6; & Numer. cap. XX vers. XI.. (2) Vide quæ dixi ad vers. 3 Cant. Jesaiæ. pag. 93 col. 1. (3) vers. 3. (4) ad vers. 6, pag. 118 col. 2. (5) Vide vers. 14 Cantici primi Mosis, & quæ ibi adnotavimus. (6) Genes. cap. XLII vers. 1. (7) Exod. cap. XX vers. 18: *Cunctus populus videbat* (nempe *audiebat*) *vocem*. (8) ad vers. 5 Cantici primi Mosis. (9) vers. 15. (10) cap. VIII vers. 7. Vide etiam Gen. cap. VII vers. XI.

ſe, ac Dei facta probaſſe (1); aut demum maris Jordaniſque fundum tranſeuntium Iſraelitarum pedibus calcatum ſonum edidiſſe.

(רום ידיהו נשא *rom jadêbu naſá*; ideſt, *altitudo manus ſuas ſuſtulit*.) ידיהו poſitum eſt pro ידיו. *Altitudinis* autem nomine aquæ altiſſimæ ſignificari videntur. Aliqui tamen Deum ipſum interpretantur, quaſi רום poſitum ſit pro מרום, quod eſt *Excelſus* (2); elatio vero manuum Dei, ipſius potentiam, ac juſſa denotet. Clericus vertit *altiores terræ partes*. Hieronymus autem quemadmodum ſuperiori *abyſſi* nomine inferos, ita hoc *altitudinis* vocabulo ſuperos, ideſt Angelos intelligit: *tunc*, inquit, *abyſſus, hoc eſt, inferi laudaverunt te: tunc etiam ſuperi, ideſt Angeli, in plauſum ſuis manibus concreparunt, ut victorem veluti geſtu quodam, & tripudio elevatarum manuum demonſtrarent.* Probabilis eorum etiam interpretatio eſt, qui ajunt רום hic poſitum eſſe pro לרום, ideſt, *in altitudinem*; nam ſimili ratione etiam בטח aliquando ponitur pro לבטח, quod eſt *audacter, confidenter* (3). Itaque ſic vertere etiam licet: *in altum manus ſuas extulit*, abyſſus ſcilicet, quæ in ſuperioribus verbis memoratur: ut proinde hæc quoque translatio, item ut ſuperiores, ab infantibus recens natis deſumta ſit. Quod autem ait Habaccuchus, altitudinem, aut abyſſum ſuſtuliſſe manus ſuas, id ſignificat, maximum aquarum acervum factum eſſe; aut Jordanis, vel rubri maris aquas utrinque intumuiſſe; vel ad Deum veluti ſupplices manus ſuſtuliſſe, quaſi petentes, ut ſibi uſitatum curſum tenere liceret; aut denique Deum veluti elatis manibus laudaſſe (4).

Verſ. 11. (שמש, ירח עמד זבלה. *shêmesh, jareab bámad zebbúlah*; ideſt, *Sol & luna ſtetit in habitaculo.*) Deſideratur hîc, aut certe ſubaudienda eſt litera ו præfigenda nomini ירח (5). Cælum porro vocat habitaculum, ſeu domicilium ſolis, ac lunæ: ſimilique ratione David (6) inquit: לשמש שם אהל בהם, ideſt, *Soli poſuit tabernaculum in ipſis*, nempe fecit ut cæli eſſent ſolis tabernaculum. Indicat vero hîc Habaccuchus id, quod in libro Joſuæ narratur (7), Joſuæ ipſius juſſu *ſolem ac lunam ſtetiſſe*, quum adverſus quinque Amorrhæorum reges Iſraelitæ dimicarent. Aliqui tamen eas tenebras hîc indicari putant, quæ Moſis tempore per triduum fuerunt in tota Ægypto (8); adeo enim denſæ erant, inquiunt, ut ſol, & luna conſtitiſſe viderentur. Sed hæc interpretatio probabilis non eſt.

(לאור חציך יהלכו, לנגה ברק חניתך. *leór bizzécha jeballécbu, lenógaba berîk banitbécba*; ideſt, *ad lucem ſagittarum tuarum ibunt* (ſive *ibant*), *ad ſplendorem fulgurantis* (9) *haſtæ tuæ.*) Deum hîc deſcribit, ut ſuperius ſæpe, quaſi præpotentem bellatorem, qui ſagittas in hoſtes jaculetur, & coruſcanti haſta armatus ſit. Sagittas autem Dei quum dicit, *lapides grandinis* videtur indicare (10), quibus e cælo demiſſis quinque regum, quos Joſua poſtmodum devicit, exercitum percuſſit Deus. Grandini vero illi permixta fuiſſe fulgura veriſimile eſt: quum enim grandinat, fulgura quoque ut plurimum emicant (11). Itaque propoſita verba ſic exponi

(1) ita in pſalm. xcviii verſ. 8 legimus: *Flumina plaudent manu.* (2) Vide quæ ſcripſi ad verſ. 5 Cantici Hezechiæ, pag. 102 col. 1. (3) Conſule Marini Theſaurum ad vocem מחא. (4) Vide Nehem. cap. viii verſ. 6. (5) Vide quæ dixi ad verſ. 5 Cantici Hezechiæ, pag. 101 col. 2. (6) in pſ. xix verſ. 5. (7) cap. x verſ. 13, & 14.
(8) Exod. cap. x verſs. 21, & 22. (9) de voce ברק dixi ad verſ. 41 Cantici ſecundi Moſis, pag. 76 col. 2. (10) Lege cap. x libri Joſuæ verſ. 11. (11) Lege Exod. cap. ix verſ. 23.

ni poſſe videntur: Dum Iſraelitarum hoſtes fulguribus perterrefaceres, ac lapidibus grandinis interſiceres in deſcenſu Bethoron, eorum Reges una cum ſuis exercitibus fugam arripuerunt. Vel: coruſcantibus tuis fulguribus Iſraelitæ hoſtes ſuos inſectabantur. Calmetus vero ſic explicat: Sol & luna rurſus curſum ſuum inceperunt, ſtatim ac fulgenti nitore haſtæ tuæ ſignum illis præbuiſti, ut iter ſuum proſequerentur. De qua interpretatione lector judicet. Alii demum ſic transferre malunt: *ad lucem ſagittæ tuæ ibant;* ideſt, lucentia fulgetra grandini permixta emicabant.

Verſ. 12. (בזעם תצעד ארץ , באף תדוש גוים *bezáham tizhád árez, beáph tadúsh gojim;* ideſt, *in deteſtatione incedebas per terram, in ira triturabas gentes.*) Vox זעם indignationem, ac deteſtationem denotat: ducitur enim ex verbo זעם, quod ſignificat cum indignatione averſari, ac deteſtari. *Triturare* autem hìc per translationem ſignificat profligare, perdere, ac delere. Itaque hujus verſiculi hæc eſt ſententia: Iratus per terram incedebas, Amorræos, Chananæos, alioſque Hebræorum hoſtes conterens, ac delens.

Verſ. 13. (יצאת לישע עמך , לישע את משיחך. *jazátha lejéshab hammécha, lejéshab eth Meshihécha;* ideſt, *egreſſus es ad ſalutem populi tui, ad ſalutem cum Chriſto tuo.*) Lxx Interpretes, quaſi pro משיחך legerint pluralites משיחיך, ita tranſtulerunt: ἐξῆλθες εἰς σωτηρίαν (1) λαοῦ σου τοῦ σῶσαι τοὺς χριστούς σου; ideſt, *egreſſus es in ſalutem populi tui, ut ſalvares Chriſtos tuos.* Ubi autem (2) Lxx Intt. poſuerunt, *ut ſalvares Chriſtos tuos*, Aquila tranſtulit (3), *in ſalutem cum Chriſto tuo.* Theodotio: *Egreſſus es in ſalutem populi tui, ut ſalvares Chriſtum tuum.* Symmachus: *Egreſſus es ſalvare populum tuum, ſalvare Chriſtum tuum.* Quinta Editio: *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Sexta Editio: ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν χριστόν σου; ideſt, *Egreſſus es ut ſalvares populum tuum per Jeſum Chriſtum tuum.* Scite autem Hieronymus: *Theodotio*, inquit, *quaſi pauper & Ebionita* (4), *ſed & Symmachus ejuſdem dogmatis* (5), *pauperem ſenſum ſecuti, Judaice tranſtulerunt ..... Rem incredibilem dicturus ſum, ſed tamen veram. Iſti ſemichriſtiani Judaice tranſtulerunt: & Judæus Aquila interpretatus eſt ut Chriſtianus.* Hactenus Hieronymus.

Porro *egreſſus es* idem valet in hoc loco atque *proceſſiſti*, aut *veniſti*. לישע vero ſignificat *ad ſervandum*: ישע enim hìc eſt nomen pro infinitivo: quo modo Jeſahias quoque (6) dixit לברבה, ſive *ad multitudinem*, pro *ad multiplicandum*. De nomine denique משיח ſatis dictum eſt alibi (7). At quis eſt iſte Meſſias, ſive Chriſtus, quicum Deus proceſſiſſe dicitur ad ferendam ſalutem ſuo populo? Nonnulli ajunt eſſe Moſem, & ſic exponunt: Per Moſem, quem ſpiritu tuo *unxiſti*, ut eſſet dux & propheta tui populi, Hebræos a ſervitute, qua in Ægypto opprimebantur, eripuiſti. Alii Joſuam intelligunt, qui Chriſti Jeſu typus fuit, quorum etiam

(1) Sic legimus in Aldinis Bibliis, & ita legit Hieronymus. At in complutenſibus Bibliis legimus: ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ λαοῦ σου, hoc eſt, *in ſalute populi tui*. (2) Lege Hieronymi comment. ad hunc locum. (3) ἐξῆλθες εἰς σωτηρίαν λαοῦ σου, εἰς σωτηρίαν σὺν χριστῷ σου. At apud Euſebium in lib. 4. Demonſtr. Euang. ſemel tantum legimus εἰς σωτηρίαν. (4) Sic loquitur Hieronymus, quòd *pauper* hebraice dicatur אביון (*ebjón*). (5) Ebionitæ Ebionem ducem ſecuti negabant Chriſtum eſſe Deum. Conſule Philaſtrium ad hæreſim 37, & annotationes Clariſſimi Galeardi ad eam hæreſim.
(6) cap. IX verſ. 7. (7) ad verſ. 10 Cantici Hannæ, pag. 90.

iam uterque a ſervando nomen habuit. Alii Davidem, ut Grotius. Alii etiam Cyrum, qui a Jeſahia *Chriſtus Dei* appellatur (1): ut ſcilicet hæc ſit hujus loci ſententia: Cyro contra Babylonios pugnanti aderis, ut populum tuum Babylone captivum a ſervitute liberes. At multo rectius cum Hieronymo, aliiſque Patribus, Meſſiæ nomine Jeſus Dei Filius intelligitur, ſummus Eccleſiæ ſuæ Servator, qui & Hebræis ex Ægypto egredientibus comes perpetuo fuit (2), ut graviſſimi ſentiunt Eccleſiæ Patres (3), & e Patris ſinu in mundum venit ad ſervandum humanum genus.

(מחצת ראש (4) מבית רשע *maházta rosh mibbèrh rashìh*; ideſt, *vulneraviſti caput a domo iniqui*, vel *a domo iniqua*.) *Capitis* nomine deſignari videtur filius primogenitus impii Pharahonis: ſcribit enim Moſes in Exodo (5), Deum *percuſſiſſe omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharahonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere*. Alii deſignari hic cenſent Pharahonem ipſum, alii Nabuchodonoſorem Babylonis regem, alii Baltaſſarem (6), alii Adarezerum Regem Sobæ (7), alii denique Antichriſtum, *quem Dominus Jeſus*, ut inquit Paulus (8), *interficiet ſpiritu oris ſui*. Sunt etiam qui cenſeant, *caput* poſitum eſſe pro plurali *capita*, ac ſignificari eo vocabulo volunt viros principes domus Chananhanis.

(ערות יסוד עד צואר *haróth jesód had zavvár*; ideſt, *nudando* (ſive *evacuando*) *fundamentum uſque ad collum*.) Theodotio, quaſi pro ערות legerit עדות, tranſtulit: *Ornaſti fundamentum uſque ad collum*. At ceteri Interpretes legerunt ערות, quo modo legimus etiamnum in exemplari hebræo. Quod vero ait Habaccuchus, *nudando*, ſive *evacuando fundamentum uſque ad collum*, translatum eſt loquendi genus, quod videtur etiam fuiſſe proverbiale. Deſumitur autem translatio a domo, cujus ſupra mentio facta eſt. Nudare igitur, ſive evacuare fundamentum domus uſque ad collum, eſt ima & ſumma demoliri, vel domum funditus diruere atque evertere, ejus fundamenta excavare, eorumque loco foſſam relinquere, in qua poſſit quis latere totus, ſive uſque ad collum. Probabilis etiam eſt Davidis Chytræi interpretatio, qui *fundamenti* nomine βασιλέα; ideſt, regem βασιλέων λαοῦ deſignari ait, *colli* autem vocabulo duces ac principes viros, qui ſunt regi proximi, ut collum capiti. Alii ſic verſiculum hunc accipiunt, ut caput ſit Pharaho, collum principes viri, fundamenta vero & ima ſint milites. Menochius denique ſic interpretatur: Pharahonem turpiter profligatum ignominia perfudiſti, non ſecus ac ſi totum ejus corpus a pedibus, qui ſunt baſes, & fundamenta humani corporis, nudaſſes uſque ad collum, & ſummum verticem.

(סלה *Sélah*.) Lege quæ adnotavi ad verſ. 3.

Verſ. 14. (נקבת במטיו ראש פרזו *nakábbta bhemattáv rosh perazáv*; ideſt, *perforaſti in virgis ejus caput paganorum ejus*.) Locus valde obſcurus. In Lxx Interpretum translatione legimus: διεμέρισας ἐν θάμβει τὰς κεφαλὰς τῶν δυνατῶν, ideſt, *diviſiſti in ſtupore*

(1) cap. xlv verſ. 1: כה אמר יהוה למשיחו לכורש; hoc eſt, *ſic ait Jehova Chriſto ſuo Cyro*.
(2) Lege epiſt. 1 ad Cor. cap. x. (3) Lege quæ ſcripſi pag. 9 col. 1. (4) de voce ראש dixi pag. 77 col. 1. (5) cap. xii verſ. 29. (6) Vide Daniel. cap. v verſ. 30. (7) Vide lib. 2 Sam. cap. viii verſ. 3; & Grotii annotationes ad hunc locum. (8) in epiſt. 2 ad Theſſ. cap. 2 verſ. 8. Vide etiam Jeſahi. cap. xi verſ. 4.

re capita potentium (1): at hæc verba ab hebræis omnino discrepant. Porro verbum נקב significat *perforavit*, & *maledixit*. מטה autem, ut supra dixi (2), & virgam, & baculum, & sceptrum, & tribum denotare potest. Demum sicut פרזות sunt pagi, vici, aut oppida sine mœnibus (3), ita פרזי est *paganus*. Atque hæ quidem sunt earum vocum, quas hic adhibet Habaccuchus, significationes: quin e superioribus, & sequentibus versiculis colligitur hæc verba ad Pharahonis tempora referenda esse. Attamen clare ac dilucide ea exponere difficile est. Probabiliores interpretationes hæ sunt. Nimirum: Perforasti, idest confodisti baculis ejus, hoc est armis ejus (nempe Christi in superiore versiculo memorati) caput (nempe capita, sive duces) paganorum ejus, Pharahonis videlicet, sive duces militum Pharahonis, qui e vicis, ac pagis subito, ac tumultuarie collecti erant. Vel: Maledixisti sceptris ejus (nempe Pharahonis copiarum ducibus), & capitibus paganorum ejus. Aliqui sic interpretantur: Milites se se armis suis confoderunt, fortasse in discrimine transitus per mare rubrum. Vatablus demum in hunc fere modum exponit: Perfodisti, perforasti virgis ejus capita copiarum ipsius: idest interemisti milites Pharahonis quasi perforasses capita illorum baculis: quasi diceret: periit universus exercitus Pharahonis consiliis ejus, quibus statuit persequi Israelem per mare rubrum, perinde atque ipsi Ægyptii se se mutuo propriis ensibus trucidassent.

(יסערו להפיצני *isharú lehaphizéni*; idest, *conturbati sunt ad dispergendum me*.) *Me* ponitur pro *meos*: quasi populi sui personam sumat Habaccuchus. Radix vero סער maris procellosi instar conturbari, aut instar turbinis ferri significat. Itaque hoc vult Habaccuchus, Ægyptios in modum turbinis repente, ac magno impetu irruisse in Hebræos, ut eos dispergerent, ac delerent (4).

(עליצתם כמו לאכל עני במסתר *balizuthám kémo leecból baní bammistár*; idest, *exsultatio eorum erat tanquam ad devorandum pauperem in abscondito*.) Oratio est elliptica, ut liquet. Sensus autem hic videtur esse: Ægyptii quum fugientes Israelitas insectabantur, exsultabant instar ejus, qui pergit ad devorandum, spoliandumque clam ac latenter afflictum hominem, & omni ope destitutum. Ajebant enim, ut testatur Moses (5): *Persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea*.

Vers. 15. (דרכת בים סוסיך *daráchta bajjám susécha*; idest, *Incessisti in mari equis tuis*.) Nimirum equis tuis vectus per medium mare rubrum incessisti, ac populum tuum per illud traduxisti. Qui autem sint equi Dei, diximus supra ad vers. 8.

(חמר מים רבים *hómer miim rabbim*; idest, *in acervo* (vel *luto*) *aquarum multarum*.) חומר videtur positum pro בחומר: ut subaudienda sit litera ב ex membro superiori. Possumus autem חומר hic vertere & *lutum*, & *acervum*; ut sensus sit: Incessisti per fundum cœnosum Erythræi maris; vel per acervos aquarum, inter quos utrinque exstantes rubrum mare trajecit Hebræus populus. Hactenus Dei laudes cecinit Habaccuchus: nunc transit ad alia.

Vers. 16. (שמעתי, ותרגז בטני *shamábti, vattirgáz bitní*; idest, *audivi, & contremuit venter meus*.)

De

(1) In Aldinis Bibliis sic legimus: διέκοψας ἐν ἐκστάσει κεφαλὰς δυναστῶν.
(2) ad vers. 9. (3) Vide Ezech. cap. XXXVIII vers. XI; & lib. I Sam. cap. VI vers. 18.
(4) lege Exod. cap. XIV. (5) Cantic. prim. vers. 9.

De radice רגז dixi alibi (1): hic autem significare videtur *ob terrorem commotus est*, aut *contremuit*. Nomen vero בטן quamvis ventrem denotet, aliquando tamen pro corde accipitur, veluti in libro Jobi (2), ubi hæc legimus : ובטנם תכין מרמה, ideſt, *&* *venter* (nempe *cor*) *eorum præparabit fraudem* (3). Simili modo adhibetur etiam vox מעים, quæ *viſcera* designat, in his pſalmi xl (4) verbis, ותורתך בתוך מעי, ideſt, *& lex tua in medio viſcerum meorum*, nempe *cordis mei*. Quod vero ait Habaccuchus *Audivi*, quaſi ad id revertatur, quod initio Cantici dicere inceperat, id ita exponi poteſt : Audivi tuo correptus numine, o Jehova, quas pœnas ab Ægyptiis olim exegeris, & quas ab Hebræis exacturus ſis, quos Babylonem captivos abduci ſines. Vel : Audivi fore ut Chriſtus tuus ab Hebræis interficiatur, ac Jeroſolyma a Romanis omnino evertatur : itaque totus contremiſco.

(לקול צללו שפתי *lekól zalelú ſephathàj* ; ideſt, *ad vocem tuam tinnierunt labia mea.*) Quid proprie hic ſignificet vox צללו, incertum eſt. Marinus vertit *tinnierunt*, ſive ſonitum ac ſtrepitum ediderunt : alii *tremuerunt*, alii *compreſſa ſunt*.

(יבוא רקב בעצמי, ותחתי ארגז *jabhò rak ibh babazamàj, vethahtàj ergàz* ; ideſt, *veniet* (ſeu *venit*) *putredo in oſſa mea*, *& ſub me horrebo*, ſive *horrui*, ſive *contremui*.) רקב videtur hic accipi pro verme erodente. Itaque quod ait Habaccuchus יבוא רקב בעצמי, perinde eſt quaſi diceret : Videbatur mihi teredo aut coſſus oſſa mea erodere, atque corrumpere.

(אשר אניח ליום צרה *ashèr anùah lejóm zaràh* ; ideſt, *quòd* (vel, *qui*) *quieſcam die anguſtiæ*.) Nimirum ideo contremui, quia quum hæc contingent, quæ jam eventura proſpexi, quieſcam in ſepulcro, nec Deum iratum placare potero. Vel : His a te auditis, o Jehova, perturbatus ſum ego qui calamitoſis temporibus quietus eſſe conſuevi. Vel : quæ audivi, terrore me perculerunt, at ſpero fore, ut calamitatis tempore omni timore ſolutus requieſcam. Alii ſic exponunt : utinam requieſcere poſſim, atque hanc calamitatem evitare. Pagninus demum hæc, & ſequentia verba ſic tranſtulit: *Qui me putabam requieſcere in die anguſtiæ, quæ erit quando hoſtis cogitabit aſcendere contra populum, ut ſuccidat eum.*

(לעלות לעם יגודנו *labalóth lebàm jegudènnu* ; ideſt, *ad aſcendendum* (vel *aſcendendo*) *ad populum*, *congregabitur cum eo*, vel *contra eum*.) Locus obſcuriſſimus. Radix גור ſignificat *in exercitum ſe congregare*, *in turmam convenire* (5). Itaque hæc verba ſic poſſumus interpretari : Quum aſcendet (Babyloniorum exercitus) ad populum (meum), & cum eo, vel contra eum congregabitur. Lege, ſi libet, aliorum etiam Interpretum explanationes.

Verſ. 17. (כי תאנה לא תפרח, ואין יבול בגפנים *ki theenàh lo thiphràh, veèn jebhùl bagghephanìm* ; ideſt, *quoniam ficus non germinabit*, *& non erit proventus in vitibus*.) Duobus potiſſimum modis hic locus, atque adeo totus iſte verſiculus exponi poteſt. Nimirum primo ita, ut hanc fere habeat ſententiam : Quum Chaldæi, aut Romani Jeroſolymam obſidebunt, igne ac ferro omnia vaſtabunt, arbores omnes excident, pecora furabuntur. Deinde ſic etiam interpretari licet, ut tota ſententia in ſequente verſiculo abſolvatur, atque hoc velit Habaccu-

(1) pag. 26 col. 1. (2) cap. xv verſ. 35. (3) Prov. cap. xxii verſ. 18 תשמרם בבטנך, ideſt, *ſervabis ea* (verba) *in ventre tuo*, hoc eſt, *in corde tuo*. Vide etiam cap. xx verſ. 27. (4) verſ. 9. (5) Conſule Marini Theſaurum.

cuchus: Quamvis neque arbores fructus, neque arva fruges ferant, &c.; ego tamen exsultabo in Jehova.

(כחש מעשה זית *kihésh mahaséh zájth*; ideſt, *mentitum eſt* (ſeu *mentietur*) *opus olivæ*.) *Opus olivæ* eſt aut fructus oleæ, aut oleitas, ſive olivarum collectio. *Mentiri* autem apud Hebræos ſæpe idem eſt, atque votis non reſpondere, aut ſpem alicujus fruſtrari (1). Simili modo Horatius quoque *fundum mendacem* dixit (2), ut ſignificaret fundum infructuoſum.

(ושדמות לא עשה אכל *ushdemóth lo hasáh ócbel*; ideſt, *& arva non fecerunt cibum*.) Singularis dictio עשה poſita eſt pro plurali עשו. De voce autem שדמות dixi alibi (3).

(גזר ממכלה צאן, ואין בקר ברפתים *gazár mimmichláh zon, veén bakár barefathím*; ideſt, *abſcidit* (ſeu *abſcindet*) *de caula pecus, & non erit bos in ſtabulis*.) De vocibus צאן, & בקר vide quæ alibi (4) adnotavi. Verbum vero גזר aut eſt activum, ut ſubaudiendum ſit *hoſtis*: aut eſt intranſitivum, ut vocant. Hoc altero modo illud accepit Hieronymus: vertit enim *abſcindetur*.

Verſ. 18. (ואני ביהוה אעלוזה, אגילה באלהי (5) ישעי *vaaní biJhováh ehelózah, aghilah bElohé ishí*; ideſt, *& ego in Jehova exſultabo, lætabor in Deo ſalutis meæ*.) Exſultare, ac lætari in Deo (6) is dicitur, qui tametſi graviſſimis prematur ærumnis, quum tamen ſpem omnem, fiduciamque in Deo ſitam habeat, ſereno ſemper ac tranquillo animo eſt, propterea quod ſe a Deo diligi confidat. Deum autem *ſalutis ſuæ*, ideſt Deum ſervatorem quum dicit Habaccuchus, Chriſtum Dei Filium potiſſimum indicare videtur, qui a radice ישע, hoc eſt *a ſervando* (7), Jeſus appellatus eſt (8).

Verſ. 19. (יהוה ארני (9) חילו, וישם רגלי כאילות *Jehovih Adonáj heli, vajásbem ragláj caajjalóth*; ideſt, *Jehova Dominus vis mea, & ponet pedes meos ut cervarum*.) Nimirum, efficiet, ut pedes mei ſint inſtar pedum cervarum, hoc eſt, ut velociſſime hoſtes meos, et quævis pericula evadere queam. Alii ſic exponunt: efficiet, ut celerrime in patriam revertar. Alii etiam in hunc modum: Præ gaudio exſultabimus, & ſaliemus ut cervi. Porro in hoc verſiculo, item ut in XIV, & in ſuperiore, non tam loqui videtur Habaccuchus, quam probum quemque e ſuo populo loquentem inducere. Imitatus eſt autem hoc in loco verſiculum 34 pſalmi duodevicesimi, ubi David de Deo ſic loquitur: משוה רגלי באילות, ועל במותי יעמידני, hoc eſt, ut transfert Marinus: *Adæquans pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa mea ſtare me facies*.

(ועל במותי ידרכני *vehál bamotháj jadrichéni*; ideſt, *& ſuper excelſa mea* in-

(1) Vide Jeſahi. cap. LVIII verſ. XI; Hoſe. cap. IX verſ. 2; Jerem. cap. III verſ. 23. &c.
(2) lib. III Od. 1. Vide etiam epiſt. lib. I epiſt. 1; et lib. III Od. 15. (3) ad verſ. 32 Cantici ſecundi Moſis. (4) ad verſ. 14 Cantici ſecundi Moſis, pag. 55 col. 2.
(5) lege quæ ſcripſi pag. 7, et 8. (6) Lege etiam quæ adnotavi ad verſ. 1 Cantici Hannæ.
(7) Nonnulli ex veteribus Eccleſiæ Patribus Jeſu nomen duxiſſe etiam videntur ab ἰάσασθαι, ſive ἰᾶσθαι, quod eſt *mederi*. Cyrillus quidem in catech. VI, Ἰησοῦς, inquit, τοίνυν ἐστὶ κατὰ μὲν Ἑβραίους Σωτὴρ, κατὰ δὲ Ἑλλάδα γλῶσσαν τὸ ἰώμενος, ἐπειδὴ ἰατρός ἐστι ψυχῶν, καὶ σωμάτων, καὶ θεραπευτὴς πνευμάτων. Similia exſtant apud Epiphanium in hæreſi 28 Cerinthianorum. Hæc tamen omnia, ut ſcite ait Petavius in adnotationibus ad hunc Epiphanii locum, comiter accipienda ſunt, non ut ab ἰάσασθαι deductum τοῦ Ἰησοῦ vocabulum dixerint Patres, ſed ut pronunciatione, et ſignificatione græcum nomen cum hebræo convenire demonſtrent. (8) Vide Matth. cap. 1 verſ. 21. (9) De voce ארני dixi pag. 30 col. 1; ac de יהוה pag. 10, 11, et 12. Lege etiam quæ adnotavi ad verſ. 2 primi Cantici Moſis.

incedere me faciet, seu *deducet me.*) *Excelsorum* nomine alii firmam excelsamque arcem in monte positam, alii celsos Judææ montes, alii Judæam ipsam, alii denique cælum intelligunt (1).

(למנצח בנגינותי *lamnazzéah binghinoth.ij*; idest, *præfecto Cantorum in pulsatilibus meis.*) Hæc verba ad Cantici titulum pertinent, ejusque pars sunt: ea tamen Habaccuchus a Davidis, aliorumque, qui Psalmos scripserunt, consuetudine recedens hac in re, ad extremum Canticum adnectit. Totus vero Cantici titulus hic est: תפלה לחבקוק הנביא על שגיונות למנצח בנגינותי. Porro Lxx Interpretes, quasi pro למנצח בנגינותי legerint לנצח בנגינתו, sic translulerunt: *τοῦ νικῆσαι ἐν ᾠδῇ αὐτοῦ* (2), idest, *ut vincam in Cantico ejus.* Nos autem de voce נגינות alias diximus (3): itaque superest duntaxat, ut aliqua dicamus de voce מנצח (4). Occurrit ergo hæc vox passim in psalmorum titulis una cum litera *lamed*, & primum in titulo psalmi quarti, ubi Lxx Interpretes verterunt εἰς τὸ τέλος. Vulgatus pariter, *in finem.* Aquila τῷ νικοποιῷ. Hieronymus *Victori.* Theodotio εἰς τὸ νῖκος. Symmachus demum ἐπινίκιος quasi subaudiendum sit ὕμνος. At recentiores plerique Interpretes, quorum mihi valde probatur opinio, docent vocem מנצח idem ferme significare ac nomen פקיד, Cantorumque *præfectum* designare (5). Ac sane verbum נצח, ex quo fit participium מנצח, significat præesse, & urgere, atque instare, ut opus aliquod absolvatur (6): מנצחים vero, seu *præfecti* memorantur in libro secundo Paralipomenon (7), qui a Lxx Interpretibus dicuntur ἐπιστάται.

F I N I S.



(1) Vide Gen. cap. xix vers. 17; et Matth. cap. xxiv vers. 16. (2) In Aldinis Bibliis legimus: τοῦ νικῆσαι με ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ. (3) ad vers. xi Cantici Hezechiæ, pag. 106 col. 2. (4) Lege Augustini Steuchi Eugubini comment. in titulum psalmi quarti, Calmeti dissertationem *in duas voces lamnazeach, & Sela*, et præsertim Marini Thesaurum ad verbum נצח. (5) Vide lib. 1 Par. cap. vi vers. 31. (6) In Marini Thesauro collecta habes Scripturæ loca, ex quibus apparet hanc esse significationem radicis נצח.
(7) cap. 2 vers. 2, et 18.